



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Cautela Confessarii Pro Foro Sacramentali Occasione  
Decretorum S. M. Alex. VII. Innoc. XI. Et Alexandri VIII. ...**

**Matthaeucci, Augustín**

**Francofurti Ad Moenum, 1711**

Liber Primus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40684**



# LIBER PRIMUS CONTINENS PROPOSITIONES AB ALEXANDRO VII. PROSCRIPTAS.

Quadraginta quinque Propositiones, quas ALEXANDER VII. duobus respectivè decretis, altero, edito die 24. Septembris 1665. & altero, 18. Martii 1666. damnavit, hoc libro referimus, & alteri postea, aliis duobus, cæteras ab INNOCENTIO XI. & ALEXANDRO VIII. proscriptas; quibus pro praxi à Confessariis in Sacro Tribunali exercenda, resolutiones, & dubia, ad ipsorum Decretorum præscriptum, adnectimus.

## CAPUT I.

Prima propositio ab Alexandro damnata. Obligatio credendi, sperandi, & diligendi Deum.

1. **P**ROP. I. Ab Alex. damnata. Homo nullo unquam vite sue tempore, tenetur elicere actum fidei, spei, & Charitatis, ex vi Matthæi Cautela Confess.

præceptorum Divinorum, ad eas virtutes pertinentium.

Authores propositionis putarunt hominibus non fuisse imposta præcepta divina credendi, sperandi, & diligendi Deum, directe, & per se exigentia illos actus, prout dixit Thom. Tamb. co. 1. in decalog. lib. 2. cap. 1. de fide, §. 1. num. 9. sed solum ad id teneri indirectè, & per accidens, quando, nimirum, urget præceptum exercendi actus aliarum virtutum,

(A)

tutum, ut ostendit clausula: *ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium*, contra quos Alex. VII. decretum edidit. Occasione cuius eum DD. noto, hominem teneri ad eliciendos actus supernaturales fidei, spei, & Charitatis, aliquando *per se*, & *directè*; & aliquando *per accidens*, & *indirectè*.

2. Quæritur, quando obligetur per se, & directè?

Resp. Cum debet eos actus elicere, obligatione proveniente ab ipsa respectivè virtute, vel fidei, spei, aut Charitatis. Et tunc ommissio actus est peccatum per se, & directè contra huiusmodi virtutes, in confessione explicandum, sic, *quod non credideris, nec speraveris, aut dilexeris, quando ad similes actus directè, & per se obstringebatur*; Nam regula generalis est, cum ad actum alicujus virtutis datur obligatio directè, & per se, ommissionem actus esse peccatum contra virtutem, cuius actus est per se sub præcepto.

3. Quæritur, quando obligetur per accidens, & indirectè?

Resp. Cum actus Fidei, Spei, & Charitatis non præcipiuntur, nisi in ordine ad exercendos actus alterius virtutis, adeò ut, si hic, & nunc actus istius virtutis non esset per se, & directè sub præcepto, in ista circumstantia nulla daretur obligatio credendi, sperandi, & diligendi: V. G. obligatur quis gratiam per peccatum amissam, per contritionem perfectam extra Sacramentum, vel per attritionem in Sacramento, recuperare, non poterit hos actus elicere, nisi credat ea, sine quibus similes actus doloris haberi nequeunt: hoc est, *nisi credat in Deum: nisi ab ipso*

*veniam speret: nisi credat Deum esse summum bonum, quem offendisse se doleat: vel penas inferni, cuius timore attritur: nisi credat Sacramentum confessionis, cuius perceptione liberari à peccato intendat*: Hic actus Fidei, & Spei non præcipitur, nisi ratione contritionis, vel attritionis, & non per se: ideò omittens tunc eos actus doloris non peccat contra præceptum Fidei, vel Spei, sed solum contra præceptum contritionis, vel attritionis, & satisfacti, si in Confessione dicat, se non eliciisse actum contritionis, vel attritionis, dum debuit, Layman. *Theol. Moral. lib. 2. tract. 1. cap. 10. in fine, & tract. 2. cap. 2. à num. 1.* Nam est commune, cum obligatio V. G. credendi provenit ab alia virtute, quam à virtute fidei, ommissionem actus fidei non esse peccatum diversum ab eo, quòd committitur contra illam aliam virtutem; quia illa virtus ad actum proprium per se, & directè, ad actum verò Fidei solum per accidens, & indirectè obstringit.

4. Est hominibus adultis impositum à Deo præceptum speciale obligans per se ad eliciendum actum fidei supernaturalis, constat Matth. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*. Neque enim quis damnaretur ob ommissionem alicujus actus, nisi præceptum de illo eligendo esset impositum. De quo etiam lib. 1. cap. 11.

5. Pariter à Deo est adultis fidelibus impositum præceptum speciale spei, obligans per se ad actum supernaturalem spei eliciendum, ut ex Psal. 4. *Sperate in Domino 1 Petri 1. Sperate in eam que offertur vobis, gratiam, &c.* & alibi sæpè.

6. Item:

6. Item Præceptum diligendi Deum super omnia, est speciale à cæteris distinctum per se obligans ad eliciendum actum amoris supernaturalis erga Deum, ut Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: ubi à Christo dicitur primum, & maximum mandatum.*

7. Tandem hæc præcepta leguntur etiam in Augustino *Enchiridion de fide, spe, & charit.* ubi cap. 3. & 6. dixit *Fide, spe, & charitate Deum colendum.* Colitur Deus fide, firmiter credendo esse verum quidquid Deus dixit Ecclesiæ. Hac enim firma fide, quam ejus verbis præstamus, ipsum recognoscimus, & cultu intellectuali adoramus, tamquam ens summæ veracitatis in loquendo; ac tamquam infinitè sapientem, & bonum, à quo habet, ut nec ipse falli, nec nos fallere possit, & velit.

8. Colitur Spe, dum ab ipso certò expectamus beatitudinem, & cætera alia quæcumque bona salutaria, hoc est, ad salutem consequendam necessaria, aut utilia, sive sint spiritualia, sive corporalia. Hac enim firma fiducia eum recognoscimus, confitemur, & adoramus, ut infinitè misericordem, Omnipotentem, & fidelem in suis promissis erga nos.

9. Tandem colitur amore charitatis; quia dum eum super omnia diligimus, protestamur, & confitemur ipsum esse summum, & infinitum bonum propter se amandum, cui nos ipsosita subijcimus, ut parati simus potius velle omnes alias res perdere, quam ejus amorem, quando ad eum super omnia diligendum per illas impediremur. Legendus Catechismus Concil. Trid. p. 3. de præcept. Deca-

log. nu. 12. Vanni t. 2. il Catechis. 12. prætit. 41.

10. Cæterum duo respectivè sunt præcepta fidei, spei, & Charitatis. Negativam unum, affirmativam alterum.

§. I.

Obligatio eliciendi actum fidei supernaturalis.

11. **Q**Uæritur. Quando per se, & directe obligat præceptum negativum fidei divinæ, hoc est, ut non adhibeamus fidem erroribus divinæ revelationi contrariis, & ab Ecclesia proscriptis; nec negemus ea, aut voluntariè, & cum advertentia dubitemus de veritate eorum, quæ Deus revelavit, & ut talia nobis ab Ecclesia proponuntur.

Resp. Semper, & pro semper. Quia quodlibet est intrinsecè malum, idèò semper prohibitum; Perinde enim est, ac protestari, Deum mentiri posse, & firmam fidem suis dictis non mereri. Quod esse non potest absque gravissima injuria in ejus infinitam perfectionem, & summam veracitatem.

12. Quæritur. Quando per se, & directe obligat præceptum affirmativum fidei; seu quo nam tempore teneatur quis ad aliquem actum fidei iterum exercere?

Resp. Primo: Cum quis primò venit ad plenum usum rationis, eique sufficienter proponuntur mysteria fidei esse à Deo revelata cum obligatione credendi. Layman. cit. cap. 17. nu. 3. Illung. Theol. prætit. 3. disp. 11. art. 1. §. 4. n. 153. Abelly Medul. Theol. p. 2. t. 2. cap. 4. sect. 1. §. 1. Championus p. 2. instruit. pro confes. cap. 1. n. 19.

n. 19. Hujusmodi obligatio fundatur in debito colendi Deum ut veracem, cui statim ac nobis Ecclesia proponit ipsum aliqua dixisse (tunc enim sufficienter proponitur) debemus cultum supremum intellectualem exhibere per assensum firmissimum submitendo intellectum ejus locutioni. credendo esse vera infallibiliter quae revelavit. Per omissionem enim assensus praesumeretur judicare ipsum firmissimam fidem non mereri, vel Ecclesiam proponentem nobis locutionem Dei, falli posse, & non esse *columnam, & firmamentum veritatis, contra primam ad Timoth. 3.*

Secundo. In periculo mortis; nam id est tempus opportunum implendi hoc praecipuum, & profitendi se christianum; maxime quia, tunc quisque tenetur omnem, quam potest, curam adhibere, ut suae salutis certo consulat, & Deum colere assensu fidei supernaturalis, quae est virtus Theologica, cujus actus est necessarius necessitate medii.

Tertio. Saepius in anno. Verisimile enim est, quod Christus in institutione praecipui fidei id voluerit. Nam, cum actus interni fidei necessarii sint ad nutriendam, & conservandam vitam spiritualem, juxta illud Pauli ad Roman. 1. *Justus ex fide vivit, videtur necessarium, & divino praecipuo injunctum, ut frequenter eliciantur. Quemadmodum praecipuum naturale de vita corporali conservanda obligat ad sumendum saepius cibum corporalem.*

Quare diu intra annum differre est mortale; nec censetur diu differre, qui semel saltem pro quolibet bimestri actus fidei elicit, *Campion. cit. & cap. 8. nu. 18.*

*instruit. per gl'ordinar. adeo ut sexies ad minus in anno fideles adulti ex divino praecipuo, & ratione praecipui fidei ad credendum teneantur. Nisi dicas, & non improbabiler, quod sint ad id obstricti, ut minimum semel in mense. Principalior enim cura fidelium esse debet, ut se exercent in actibus virtutum Theologicarum propter ipsarum excellentiam, & praestantiam cultus, qui per actus ipsarum Deo exhibetur; minus autem propterea dicere, si aliquis illarum exercitio incumbere, si saltem semel in mense non crederet, non speraret, nec ut oportet, diligeret.*

13. Observat ubi supr. Campionus Christianos toties teneri per se ad actum fidei de illis mysteriis, quorum fides explicita est necessaria necessitate medii ad salutem, quoties tenentur ad implendum praecipuum fidei, directe obligans ad credendum; adeo ut in illis casibus debeant explicitè credere Unitatem, & Trinitatem Dei: Incarnationem, mortem, & resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, & Deum remuneratorem remunerando decedentes in gratia, vita aeterna in Caelo; & morientes in mortali poena aeterna in inferno.

14. Quapropter partes Confessarii esse debent, penitentes instruere de debito credendi, (& sperandi, ac diligendi Deum) eosque monere, ut quoties eliciunt actum fidei divinae, exprimant rationem formalem credendi: hoc est: *firmiter credo Deum esse Unum in essentia, & Trinum in personis, quia Deus revelavit Ecclesiae, & Ecclesia id nobis credendum proponit. Ratio motiva, & formalis credendi, est divina revelatio. Ratio verò, & regula nobis proponens*

reve.

revelationem divinam est auctoritas Ecclesiae. Unde Augustinus Lib. contr. Epistol. Manichei, quam vocant fundamenti, cap. 5. dixit: ibi. Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret auctoritas. Et ideo, propositio Ecclesiae est conditio sine qua, non crederetur; divina verò revelatio est ratio formalis credendi, ut dixi *tr. de fide*.

15. At quaeritur. *Quare Confessarii non interrogant penitentem, an praecepto fidei satisfecerint?*

Resp. Quia supponunt satisfecisse, & de obligatione instructos esse à Parochis. Quod si dubitarent, an ignorantia laborarent, essent tunc etiam instruendi. Maxime quia supposita noticia obligationis, videtur moraliter impossibile, quod dum adfunt sacro, recitant symbolum, orant, signant se Crucis signo, ea mysteria non crediderint.

16. Quarto. Cum urget gravis tentatio contra fidem. Actus enim virtutum medicamenta sunt, ut actus vitiorum contrariorum impediuntur. Tunc exclaimandum est: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam, Marc. 9.*

17. Quaeritur. *Quando praeceptum affirmativum fidei obliget per accedens?*

Resp. 1. Cum eliciendus est actus supernaturalis cuiuscumque alterius virtutis, & praecepti, ut timoris, spei, doloris, amoris, & similibus. Requiritur enim actus fidei supernaturalis, tanquam regula praevia proponens voluntati objectum, in quod tendere debet. Huiusmodi necessitatem agnovit Augustinus ubi *supr. in Enchirid. cap. 7. ibi. Fides credit, spes, & charitas orant, sed sine fide esse non possunt; ac per hoc & fides o-*

*rat. .... Quid autem sperari potest, quod non creditur? & cap. 8. in fin. Nec amor sine spe, nec sine amore spes, nec utrumque sine fide.*

II. Cum urget gravis tentatio ad aliquid peccatum, cui sine actu fidei non possumus resistere, juxta illud Apostoli ad Ephes. 5. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli. .... In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extingueri.* Tunc praeceptum fidei non per se obligat, sed ratione alterius praecepti, ne succumbamus tentationi. *Campion. p. 1. cap. 8. num. 16.*

III. Cum accipienda sunt sacramenta, & praesertim Eucharistia; nam Christi carnem manducare, & sanguinem bibere debemus, non sacramentaliter duntaxat, sed etiam spiritualiter, ut nobis proficit ad salutem, & ad vitam aeternam. Spiritualis autem illa manducatio fit actu fidei viva, quae per dilectionem operatur. Unde ex antiquissima Ecclesiae consuetudine, Sacerdoti porrigenti, & dicenti: *Corpus Domini nostri Jesu Christi.* Fidelis quisque ipsum recipiens, respondebat: *Amen:* hoc est: *Verum est, ita credo.* *Juvenin. Theol. 10. 6. dissert. 4. p. 7. c. 6. art. 3.*

IV. Cum in die festo tenemur praecepto Ecclesiae audire Sacram: cui non possumus satisfacere, nisi credamus Christum verum Deum esse sub Hostia, quam audientes Missam adoramus, *ibidem, Campion.*

V. Quoties tenemur ad justificationem nos disponere consequendam, sive per baptismum, sive per Pœnitentiae Sacramentum, sive extra, si urgente pericu-

6  
 10, ea suscipi non possint. Et Trid. Sess. 6. cap. 6. de justis. Est tunc necessarius actus fidei conducens ad excitandam voluntatem ad reliquos actus disponentes ad justificationem, timorem scilicet, spem, dolorem de peccatis, & amorem Dei; ille nimirum quo creditur Deus esse justissimus Judex, misericors, infinite bonus; quod Christus satisfecit pro nobis, & meruit omnibus gratiam, & gloriam sufficientem. Poncius Theol. disp. 35. q. 2. num. 8.

18. Formula eliciendi actum fidei eorum mysteriorum, quorum fides explicita est necessaria necessitate medii ad salutem.

*Firmiter credo, quia Deus revelavit Ecclesie Catholice, esse unum Deum, & remuneratorem supernaturalem esse; ac tres esse divinas personas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quarum qualibet est Deus; sed non sunt tres Dii, sed unus Deus; atque Filium propter nos esse hominem factum, mortem sustinuisse, & à mortuis resurrexisse. De quo etiam lib. 2. d. cap. 13.*

## §. II.

## Obligatio eliciendi actum spei Theologica.

19. **Q**ueritur. Quando per se obliget præceptum negativum spei, hoc est, pro quo tempore homo teneatur non desperare, & non presumere.

Resp. Semper, & pro semper. Utrumque enim est ab intrinseco malum: Et proinde pro quovis momento prohi-

bitum, quia malum morale nunquam operari licet.

20. Desperatione offenditur divina Misericordia, & Omnipotentia; quatenus, qui desperat, de illis diffidit amplius remissionem peccatorum, aut beatitudinem æternam, & media ad illam necessaria, à Deo non expectans; quasi Deus ea nolit, & non possit ea sibi conferre. Propter quod desperatio secundum defectum opponitur spei. Nam sperans firmam fiduciam juxta illius promissionem à Deo beatitudinem, & cætera dona supernaturalia expectat; desperans verò, quia beatitudinem, & remissionem peccatorum sibi impossibilem apprehendit, id eò eas non expectat. Hinc etiam, qui desperat, injuriam facit fidelitati divinæ, judicans in suis promissis Deum fidelem non esse.

21. Præsumptione verò offenditur divina Justitia, quæ adultis decrevit dare gloriam; per merita ab eis auxilio gratiæ elicitæ: & gratiam sanctificantem, ac remissionem peccatorum conferre, præviis dispositionibus, quibus se, divina gratia adjuti, ad eas se præparent, & disponant. Quare præsumit, qui expectat gratiam sanctificantem, aut gloriam æternam ex se ipso, & naturæ suæ viribus consequi posse; vel, se ex sola divina misericordia consecuturum remissionem peccatorum sine ullo actu doloris, aut æternam beatitudinem sine ullis operibus divina gratia productis confidit. Consequenter præsumptio opponitur spei secundum excessum, quia spes expectat beatitudinem, & remissionem peccatorum modo, quo obtineri debet. Præsumptio

sumptio verò modo, quo obtineri non potest, & à Deo non praefixo.

22. Observandum cum Toletò l. 4. c. 7. desperationem aliquando cum hæresi conjungi, ut si quis existimet, & pertinaciter sibi persuadeat, Deum aut nolle, aut non posse peccata commissa remittere, vel beatitudinem conferre. Pariter cum hæresi præsumptio conjungitur, si pertinaciter credas, te adultum posse sine tuis meritis, vel cum solis meritis naturalibus salvari. Quod est in confessione specialiter declarandum. Confessarius enim ordinarius non potest à peccato desperationis, & præsumptionis absolvere, quando cum hæresi non purè interna conjungitur, licet per se præsumptio, & desperatio alias non sint peccata Papæ reservata. Ut notavit etiam Campion. d. p. 2. cap. nu. 4.

23. Quæritur, quando per se, & directe obliget præceptum affirmativum spei, hoc est, speranda beatitudinem?

Resp. Primò, statim ac homo usum rationis adeptus, sufficienter instruitur de rebus fidei, eique Deus, ut nostra beatitudo, & finis, ad quem bonis actibus tendere debet, proponitur, Layman, cit. tract. 2. cap. 2. a. num. 1. Mastrius disp. 10. qu. 2. art. 1. num. 35. Joan. de la Cruz direct. conscient. primum præceptum art. 2. de spe; Quilici cit. art. 2. num. 2. Obligatio videtur fundari in debito colendi Deum, ut Bonum, Misericordem, & Omnipotentem, promittentem nos aliquando consecuturos beatitudinem, si usque in finem perseverabimus; quem sic colimus, dum ab ipso, bene operantes supernaturaliter, speramus, expectam usque beatitudinem, sic promissam; quod

ipse videtur exigere statim, ac nobis constat ipsum esse ultimum finem, & nostram beatitudinem.

Secundò. Quando urget gravis tentatio contra spem, quæ vinci non potest, nisi animus contrario actu spei Theologicæ ad Deum elevetur. Quilici, & Layman.

Tertiò. In articulo Mortis, tùm ob tentationes desperationis, quæ tunc solent graviore insurgere; tùm quia id est tempus opportunius, etiam per actum spei, accedendi ad Deum, ut ad nostrum ultimum finem, in quo maximè speranda est venia, & gloria.

Quartò. Ad minùs sexies in anno; sed censo probabile ad minùs semel in mense; quia videtur indignum homine fideli, credente Deum proposuisse vitam æternam bene operantibus usque in finem, integrum percurrere mensem, quia ipsam, sic propositam, ut minimum semel in eo, à Deo speret; hoc enim perinde est, ac ipsam beatitudinem per tempus notabile, judicio prudentum, parvi pendere; & revera Deo denegatur cultus, (qui exhibetur per actum spei) ipsum, ut bonum nostrum, non diligendo; quod esse non potest absque gravi irreverentia in ipsum, & contemptu salutis, & licet ignorantia invincibilis, vel opposita opinio posset à peccato excusare, tamen diù differri non debet.

24. Quæritur, quare igitur Confessarii penitentes non interrogant, an tempore adducto, præcepto spei satisfecerint, nec penitentes se de omissione accusant?

Resp. Quia supponunt satisfecisse, & non tantùm semel, sed, & frequentius in Mense



Mense actum spei elicuisse \* vel, dum orant, sperando id, quod petunt; vel, dum de peccatis dolent, sperando à Deo veniam; vel, dum Conciones audiunt, & recitant Symbolum, sperando vitam æternam.

25. *Quæritur, quando obliget per accidens, & indirectè?*

Resp. Quoties præcipiuntur actus aliarum virtutum, qui sine actu spei Theologicæ exerceri non possunt; sic, qui orat, tenetur sperare, quod petit; ne vaga sit oratio, sed Deo placens, debet juxta fidei regulas esse conjuncta cum confidentia, & spe obtinendi, quod petitur; qui dolet de peccatis, & verè penitentiam agit, debet veniam sperare: qui accedit ad Deum, ut justificetur, tenetur sperare Deum sibi fore propitium, ut exprimit *Trid. sess. 6. cap. 6.* alia vide apud *Lauræam tom. 4. disp. 4. de spe, & infr. lib. 3. cap. 1.*

26. *Formula eliciendi actum spei Theologica.*

*Deus meus, quia infinite misericors, & Omnipotens es, firmissimè spero ob meritum D. N. Jesu Christi te mihi daturum beatitudinem æternam, si usque in finem bene cum tuo auxilio operabor & sic operari, te auxiliante propono.*

### §. III.

#### *Obligatio eliciendi actum charitatis circa Deum.*

27. *Quæritur.* Quando præceptum negativum charitatis de non odiendo Deum, & nihil agendo, quod ejus dilectioni, & amicitie repugnet per se, & directè obliget.

Resp. Semper, & pro semper. Nam semper est malum Deum offendere, & ipsum odio habere, ut patet ex terminis.

28. *Quæritur.* Quando præceptum affirmativum charitatis, & diligendi Deum super omnia per se, & directè obliget.

Resp. Primò. Cum quis primò veniens ad usum rationis sufficienter instruitur de mysteriis fidei, ac proponitur Deus ut bonum infinite amabilitatis, & præceptum de amando Deum super omnia, ut D. D. communiter. Id exigens infinita ejusdem amabilitas, & excellentia, ac innumera ab ipso in nos collata beneficia.

Secundò in morali periculo vitæ. Nam illud est tempus opportunius; ut fidelis per actum amoris jungat se Deo auctori suo, ne in æternum ab ipso, quem sequi sperat, separetur. Tum quia pro eo tempore tenetur suæ salutis tutò consulere; tutò autem sibi Consulere non potest; quin eliciat actum charitatis Dei super omnia, quo Deum rebus omnibus creatis anteponat, & in Deum se convertat. *Juvenit cit. cap. 1. art. 1. §. 3. conc. 2.*

Tertiò. Frequenter intra annum, ita ut ad prudentem æstimationem homo dñi non sit, quin ad Deum per charitatis actum se convertat. Non enim frustra hoc tanti momenti præceptum à Christo dicitur *primum, & maximum.* Ideoque vel semel in mense, ut mihi est probabile; vel ad minus sexies in anno juxta superius dicta de præceptis fidei, & spei. Videtur enim per se valde rationi conforme, ut infinita amabilitas Dei per actum tantæ excellentiæ super omnia diligatur. Maximè quia ingratum se præbet,

bet, qui ultra id temporis differret, se per actum dilectionis convertere in Deum, à quo continuis beneficiis afficitur.

29. Queritur. Quando praeceptum affirmativum diligendi Deum obliget per accidens, & indirectè.

Resp. Quoties obligat ratione alterius virtutis, & praecepti. Sic obligat, cum quis sacrificaturus, vel Sacramentum administraturus, habet conscientiam peccati mortalis sine copia Confessoris. Nam tunc tenetur elicere actum contritionis perfectè, adeòque actum charitatis. Si quidem perfecta contritio debet esse charitate formata, ut ex Trid. sess. 14. c. 4. Abellii cit. §. 4. & Layman. cit. tract. 3. cap. 2. artic. 6.

30. Formula elicendi actum dilectionis Dei.

Deus meus, quia infinitè bonus propter se amabilis es super omnia te diligo, & omnibus creaturis te praefero: & paratus sum potius vitam perdere, quam tibi displicere.

CAPUT II.

Prop. 2. ab Alexandro VII. damnata. Duellum.

1. PROP. 2. Vir equestris ad Duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

Duella sub excommunicationis censura, aliisque poenis prohibuit Trid. sess. 25. cap. 19. de ref. quas approbat, & confirmat, ac habere locum ubique Gentium, & terrarum declarat Clemens VIII. Const. Illius vices, la 11. Bullar. to. 3.

Mastbaucii Cautela Confess.

2. Queritur, an absolutio excommunicationis, qua duellantes, ipso facto, absque alia monitione, aut declaratione, iudicis decreto, aut ministerio, ex Alleg. Const. Clement. §. Quinimò, ligantur, sit reservata Romano Pontifici?

Resp. Affirmativè, ut idem Pontifex eodem, §. firmat.

3. Queritur, an soli duellantes ea censura, & poenis innoventur?

Resp. Negativè, quia Clemens, §. Quinimò excommunicat omnes, & quoscunque publice, vel privatim, palam, vel occultè, in quibuscunque locis, modis, & formis, ac casibus sub presenti nostra, vel aliis praedictis constitutionibus, & decreto comprehensis, singulare certamen (quod duellum vulgò dicitur) ex composito inveniunt, nec non id scelus suadentes, aut provocantes; opem, consilium, vel favorem praestantes; equos, arma, & commectus praebentes, aut comitantes; vel circa cartulas, seu libellos, literas, nuncios, aut quaecunque alia scripta huiusmodi quomodolibet peccantes, huiusque delicti socios, de industria spectatores (hoc est, qui non casu, sed ex proposito duellantes aspiant) Patrinos, fautores, Defensores, &c.

4. Queritur, an ad incurrendam praetactam censuram, & ceteras poenas debeat reatuer, & cum effectu pugna committi?

Resp. Negativè, ex clausula adjecta in Const. Greg. XIII. ad tollendum la 78. Bull. to. 2. ac ex alia in d. const. Clementis §. Præterea, ibi: volentes, etiam si neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximus, neque expressa, & aperta pro-

(B)

voantur

vocatio subsentia fuerint; neque scriptio-  
nes pradicta, qua manifesta dicuntur,  
in publicum prodierint, aut cuiquam in-  
timata extiterint, si per eos non steterit,  
quo minus publicatio, aut denunciatio fio-  
ret.

Dices, Const. Clement. est pœnalis, &  
propterea restringenda ad actum con-  
summatum juxta regul. 15. jur. in 6. odia  
restringi, Sc. præsertim, quia per DD.  
cum pœna propter actum imponitur, hæc  
non incurritur, nisi actu sequuto; quod  
exigitur ut censura incurrantur?

5 Resp. Dum agitur de salute animæ,  
& evitando peccato, ut in casu, debet  
fieri extensio etiam juris pœnalis. Qua-  
rant. sum. ver. casus reservati. Additio  
quoad primum. Nota: in casu duelli ad  
effectum incurrendi censuram, duplex  
consideratur effectus; alter est ipsa pro-  
vocatio, vel acceptatio per principales,  
& ad ipsum cooperatio per complices; &  
alter est ipsa pugna, vel mors, & vulne-  
ra ex ipsa; iste nullatenus est necessa-  
rius ad censuram incurrendam (licet suf-  
ficiat); & idem innoiantur Complices,  
Patrini, & alii, de quibus supra, quamvis  
non perficiatur conflictus; ille verò de-  
bet esse consummatus, & perfectus; de-  
bet nimirum ex parte principalium ad se  
provocatio, & acceptatio, & ex parte  
aliorum cooperatio.

6. Quæritur quid sit duellum?

Resp. Est pugna duorum, vel pluri-  
um, facta armis, seu instrumentis, aptis  
ad ferendam mortem, grave vulnus, vel  
mutilationem ex condito; mutua sci-  
licet, & spontanea conventionem suscepta de-  
signatis loco, & tempore pugna. Con-  
dicere ex Calvino, Lexicon importat

diem, locumque communi consensu  
constituere.

8. Quæritur, quotuplex sit duellum?

Resp. Duplex, solemne, & privatum:  
illud dicitur, quod fit ex vi provocatio-  
nis ex condito ad certum locum, &  
diem, cum armis, Chartellis, coram testi-  
bus, & patrinis; alterum est conflictus  
cum loci, & temporis deliberatione cum  
armis, sed sine Chartellis, Testibus, &  
Patrinis; quod committunt, qui, post-  
quam inter se convenerunt comparere  
intra tot horas in tali loco cum armis, ad  
effectum certandi, juxta conventionem  
conveniunt, & pugnant; Utrumque pro-  
hibetur sub excommunicatione reservata  
in Const. Clement. 8. quas pœnas, & 9.  
Quinimodò, siue publicè, siue occultè com-  
mittatur.

8. Quæritur, an duellum differat à  
rixa?

Resp. Affirmativè, quia rixa est pu-  
gna, quæ oritur ex subita ira, eodem calo-  
re iracundiæ, animo alterato, non ex de-  
liberata, & spontanea loci, & temporis  
conventionem, nec interposito aliquo tem-  
pore inter contentionem & pugnam, quæ  
duello non aptantur ex dictis.

9. Quæritur, an committant duellum  
duo inter se verbis contententes, quorum  
unus, quia caret ense, in domum pro-  
prium properat, & dicit, expecta me,  
donec arma, uttu, habuero; & alter  
respondet: vade, & fer gladium tuum,  
nolo te proditorè, & inarmatum aggredi,  
& sic redit, & pugnant?

Negat Marckant. & non improbabili-  
ter, alias omnes ferè rixæ, & pugna rus-  
ticorum & hominum infimæ plebis  
duella reputantur, excommunicationi  
sub-

subjecta; quod durum apparet: solent enim tales, modò inter Choreas, modò inter pœcula, & ludos, à verbis injuriosis incipere, & pugnis sese mutuo percutere, ac deinde, quia impediuntur, mutuo se provocant, ut uterque gladium ferat, & ex illo primo impetu ad gladios currunt, redeunt, & pugnant; pugna videtur prioris rixæ prosecutio, & continuata actio præcedentis quaestionis.

Verum esse subjecta dicerem, si ex incontinenti non redirent, hoc est, nullo actu contratio intermedio, juxta Glos. ad cap. quia propter de elect. in ver. mox. vel, non intra tempus, in quo potest prudenter præsumi, in eis eundem impetum iracundiæ durare.

10. Quæritur, an incurrant penam duellantium, qui consuetum suscipiunt hac lege, & pacto inito de non continuanda pugna, cum primum quis eorum aliquod vulnus inceperit, vel sanguinem fuderit, aut post certum ictuum numerum?

Resp. Affirmativè sic Clemens, §. Nec non iisdem penis decreto.

11. Quæritur, an Titius duellum committat, qui à Cajo armato aggreditur, & stricto gladio, sic provocatur: tecum hic, & hac hora pugnare, duello certare volo, si non acceptes, & gladium exeras, te occido.

Resp. Negativè cum Bonaccina, Peregrino, Filliuccio apud Barbosam in Trid. cit. n. 13. Boyvino t. 3. Theol. cap. 3. de fortis. quæ. nli. ratio est, quia duellum spontè, & non per vim, & coactè suscipi debet, juxta text. in cap. Porro de Clericis pugnant. in duello: spontè autem à Titio non suscipitur; ex parte cujus est

potius justa defensio contra injustum aggressorem; vid. infr. cap. 1. n. 10. sed Cæcus pœnis duellantium tenetur, quia pet eum non stetit, quin duellum fuerit commissum.

12. Quæritur, an, sic provocans, & alteri intimans, ut ense accinctus incedat, & ei, ad finem evadendi penas duelli locum, tempusque non assignans: provocatusque ense armatus incedat, non ad solam defensam, sed ad dimicandum cum provocante, & ad hunc effectum unus alium querat, panam duellantium incurrant?

Resp. Affirmativè, quia intervenit conditio loci, & temporis, ac armorum sufficientissima determinatio; utriusque enim mens est simul ense pugnare, quocumque tempore, & in quocumque loco sibi obviabunt. Amenio de penis.

13. Dubitatur, an Ecclesiastica sepultura sit privandus, qui in duello, accepto vulnere, non statim, sed alio die moritur?

Resp. Negativè, si impenitens non decesserit, quia pena privationis sepulturæ Trid. cit. indigit, si in ipso consuetu decesserit. Clemens, si in ipso consuetu obierint: par dispositio habetur cap. Felicitis de torneamentis.

14. Sed quid dicendum de eo, qui ante mortem à signa penitentia, vel à Presbytero absolutionem recipit, sed in loco consuetus moritur?

Resp. Non esse sepeliendum in loco sacro, quia de eo verificatur; quod in consuetu moriatur; denegatio enim sepulturæ non est præcisè ob decessionem in peccato, sed in penam, & detestationem duelli commissi; vel, ut loquitur

(B) 2 Glos.

Glof. ad alleg. cap. in ver. careat sepultura: ut potius consulatur vivis, quam defunctis, ut alii terreantur, & abstineant à similibus, cum viderint illos sepeliri in campis.

15 Quæritur, quomodo se gerere debeat Confessorius cum duellante, ex vulnere in conflictu recepto, constituto in articulo mortis, dolente, & petente absolutionem, quam habere non potest ab eo, cui censura reservatur?

Resp. Dum de peccatis verè doleat, debet ab his eum absolvere, & censura, quæ in eo articulo non est reservata, juxta §. cit. quinimò vid. Trid. sess. 14. de penit. cap. 7. sed non nisi imposto prius onere, & recepto juramento de stando mandatis Ecclesiæ (hoc est, quod similia amplius non sit commissurus) & recepta sanitate, ac impedimento cessante, de comparando coram Summo Pontifice, veleo, cuius absolutionem commiserit juxta text. in cap. de cetero; cap. ea noscitur; cap. quod de his de sent. excom. non ut iterum à censura absolvatur, sed, ut pro ea satisfactionem præstet: vel: ut obedientiam præbeat Ecclesiæ, & majorem penitentiam recipiat; vel, ut etiam in foro externo satisfactionem exhibeat. Quia, ut notat Engel. lib. 5. tit. 39. §. 4. num. 115. ea absolutio à privato sacerdote data, valet tantum pro foro animæ, & in foro externo non potest præjudicare superiori; sub poena reincidendi in similem excommunicationem, ut expressè tex. in cap. eos qui de sent. excom. in 6. h. cum primum possit, non compareat.

Est etiam ab eo exigenda cautio pignoratiua, vel fidejussoria, seu pro-

missio jurata de satisfacienda parte (si tum non potest) si quæ sit læsa, Layman. Theol. lib. 1. tr. 5. p. 2. cap. 2. num. 8. & Pueronius in Bullam Cœna cap. final. num. 19. & 20.

Et est cautela in praxi à Confessariis tenenda, cum absolvunt similes, & ligatos censura reservata.

16. Quòd si scienter omitant ea cum penitente exequi, quamvis is validè absolvatur (excipitur à casibus Bullæ Cœnae per dicta cap sequen. num. 26.) mortaliter peccant, quia in re gravi operantur contra sacros Canones. Felix. tom. 1. exam. num. 3363.

### CAPUT III.

Propositio tertia, & quarta.  
Absolutio ab hæresi.

PROP. 3. Sententia asserens Bullam Cœnae solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio S. Cong. Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

PROP. 4. Prelati Regulares possunt in foro conscientia absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occultis, & ab excommunicatione propter eam incursum.

1. Bulla Cœnae (sic dicta quia quolibet anno, Papa præsentem, Romæ legitur ferri 5 in Cœna Domini) est processus casuum, quibus annexa est excommunicatio, summo Pontifici reservata, cum derogatione privilegiorum, quibuscunque concessorum; cujus transumptum,

nisi

nisi memoriter sciant, debent apud se habere Confessarii omnes, ad effectum, ut excommunicationes, in ea contentas, cognoscant, & distinguant, ne errent absolvendo eos, ad quos eorum non extenditur jurisdictio.

2. Queritur, an mortaliter peccens, si illud non retineant?

Resp. Affirmativè cum Quilici *confess. manud. quest. 4. art. 3. à num. 1.* Ratio est, quia exponunt se in re gravissima periculo invalidè administrandi Sacramentum pœnitentiæ, & faciunt contra præceptum Pontificis expressum, §. *Cæterum Patriarcha* in fine.

Quarum propositionum occasione plura, & quidem ad praxim necessaria, ad hæresim, & hæreticos spectantia breviter adnotamus.

3. Queritur, quinam censendi sint hæretici?

Resp. Omnes, qui, post susceptam fidem Catholicam, contra illam pertinaciter in aliquo errant: Sola *Aphorismi Inquisitorum lib. 1. cap. 8. num. 2.* differt hæreticus ab hæresiarcha, quia iste errores contra fidem inveniit, seminat, & defendit, & ideo Princeps hæresis appellatur: Sola *ibid. cap. 4. num. 1.*

4. Queritur, quid sit hæresis?

Resp. Est voluntarius error intellectus contra aliquam fidei Catholicæ veritatem cum pertinacia, assertus ab eo, qui fidem recepit. Sic DD. apud Carena *de offic. S. Inquisit. part. 2. tit. 1. §. 1. num. 2.* Error itaque in intellectu est hæresis initium, & pertinacia in voluntate ejusdem complementum. Fagn. *in 1. ad cap. damnatus de sum. Trinit. n. 11. vid. Clement. de sum. Trin.*

5. Queritur, in quo pertinacia consistit?

Resp. In eo, quod quis sciens suam sententiam esse contra Ecclesiæ Universalis auctoritatem, & definitionem, nihilominus eam tenet, Layman. vel in hoc, quod quis sciens, vel volens, & cum advertentia consentiat in id, cujus contrarium scit à Sanctæ Matre Ecclesiæ determinatum, Carena *ibid. §. 2.* quare pertinacia in hæresi, est consensus deliberatus in errorem cum certa cognitione, quod sit contra id, quod Ecclesiæ tenet; & ideo pertinax est, qui, non obstante, quod cognoscat ab Ecclesiæ teneri, quod aliquid sit de fide, non vult credere. Ponticus *disp. 30. quest. 2. in fine*, ad pertinaciam in casu, vel, ut quis pertinax dicatur, & sui propositi tenax, vel, indocilis, & obstinatus sit, ut legit Glos. ad *Clement. cit. in ver. pertinaciter*, non requiritur temporis mora, vel, quod per spatium temporis in errore perseveret, sed sit est, quod unico momento sciens, & volens errori contra fidem adhareat. Carena *ibid.* aliique.

6. Queritur, quando hæresis dicatur interna, seu purè mentalis, & quando externa?

Resp. Interna, cum quis ei mente solum assentitur, & exterius eam nullo signo manifestat; quo casu dicitur, etiam per se occulta; externa verò, quando quis eam mente tenet, & verbo, vel facto exterius ostendit.

Ut hæresis, etiam externa dicatur, de necessitate per DD. requiritur: I. Ut signum externum sufficienter sua natura, vel institutione, aut circumstantiis hæresim internam manifestet, ita quod, si

(B) 3

ibi

ibi aliquis adesset, vel ad ipsum adverte-  
ret, arguere posset proferentem esse hæ-  
reticum, eique sufficienter hæresim ma-  
nifestaret; ex quo sequitur hæreticum  
mentalem, qui, nemine audiente, vel vi-  
dente, sed secretò suam hæresim ore pro-  
fert, vel scribit, etiamsi statim se retractet,  
percutiendo os, lacerando schedam, effici  
hæreticum formalem & externum, quia  
signa de sua natura eam manifestant. II.  
Quòd actus externus, quo quis suam hæ-  
resim declarat, sit de se malus; qua pro-  
pter sequitur, hæreticum mentalem  
Confessario hæresim suam verbis expri-  
mentem, vel alteri, causa capiendæ in-  
structionis, aut consilii, ad effectum  
eam deponendi, non effici hæreticum  
externum, quia eam non exprimit ani-  
mo eam docendi, aut profitendi, sed  
sine bono, Soula cap. 15. num. 7.

7. Quæritur, quomodo se gerere debeat  
Confessarius cum hæretico, verè pani-  
tente?

Resp. Animadvertat, an ejus hæresis  
fuerit purè mentalis, & interna: quò ca-  
su non habet annexam excommunicationem  
Bullæ Cœnæ; idèd hæreticus purè  
mentalis à quocumque Confessario ap-  
probato potest absolvi. Carena §. 7. n. 45.  
Aliique, sed, si etiam externam invenerit,  
eum absolvere nequit, ex quo sit cum ex-  
communicatione Bullæ conjuncta, Sum-  
mo Pontifici reservata; etiamsi secretò,  
& nemine audiente, vel vidente, eam ex-  
ternam fecisset, quòd si esset solum hæ-  
reticus externè, credens internè omnia,  
quæ S. M. Ecclesia credit, absolvi posset,  
juxta dicenda num. 9.

8. Advertas, facultatem absolvendi ab  
hæresi externa, etiam occulta, datam

Episcopis à Trid. sess. 24. cap. 6. de refor.  
esse sublatam per Bullam Cœnæ, juxta  
sæpius resoluta à S. C. C. apud Piafec. prax.  
Episc. par. 2. cap. 1. art. 3. nu. 5. & num. 18.  
& me ipsum Offic. Cur. cap. 38. nu. 26.

9. Quæritur, quomodo Confessarius  
se gerere debeat cum blasphemo hæretica-  
li, verè penitente?

Resp. Animadvertat, an non modo  
procalerit verba blasphemæ hæreticalis,  
verùm etiam habuerit errorem in intel-  
lectu contra fidem, quia tunc erit verè  
hæreticus formalis, & externus, inno-  
datus excommunicatione Bullæ, Summo  
Pontifici reservata. Si in intellectu nul-  
lum habuit errorem, videat, an hæretica-  
lis blasphemia sit reservata Episcopo: &  
ubi invenerit esse, nec tunc poterit absol-  
vere (nisi facultate recepta) licet blasphe-  
mus reservationem ignoraverit; si autem  
nulla erit blasphemæ adjuncta reserva-  
tio, à quolibet Confessario approbato ab-  
solvi poterit, Carena ibid. tit. 7. §. 19. num.  
98. debet etiam interrogare de numero  
blasphemiæ, an in Deum, B. V. vel in  
Sancro fuerint, quia graviores sunt juxta  
diversitatem objecti: an unico impetu in  
plures Sanctos blasphemaverit, ut in duo-  
decim Apostolos, quo casu duodecim  
sunt peccata, quia duodecim sunt inju-  
riati; an habuerit expressam voluntatem  
injuriandi Deum: de consuetudine blas-  
phemandi, &c.

Sed quid, si penitens dubitet, an ha-  
buerit, cum blasphemavit, errorem in  
intellectu?

Resp. Cum Homobono apud Carenam  
nu. 95. Confessarium, ut potè de sua juris-  
dictione dubium, non debere eum absol-  
vere, sed eum Superiori remittere.

10. Qua-

10. Queritur, in quo differat blasphemus hereticus ab heretico?

Resp. In hoc, quod hereticus, etiam internè contra fidem sentit: Blasphemus autem hereticus solum ore profert verba heretica, & contra fidem mente nil negat, sed omnia tenet, quæ credit Sancta Mater Ecclesia. Quare, qui loquitur contra Deum, vel ei tribuendo, quod ei non convenit, ut esse *injustum*: aut tollendo, quod convenit, ut non esse *sapientem*; vel tribuendo Creaturæ attributum proprium Dei, ut esse *Omnipotentem*, si internè non credat, ut loquitur, est dumtaxat blasphemus hereticus, non hereticus.

In blasphemia hereticali duplex est malitia: una, qua opponitur virtuti Religionis, altera, qua repugnat externæ Confessioni fidei; ut à Deo tollit debitam reverentiam, & honorem, virtuti Religionis opponitur; quatenus verò affirmat, vel negat, quod de Deo fides docet, est contraria confessioni fidei. Carena cit. tit. 7. §. 1. num. 6. Soufa cap. 19. l. 1. num. 8. vide lib. 2. cap. 1.

11. Queritur, an dubius in fide sit hereticus?

Resp. Affirmativè, textus in cap. 1. de heret. ubi: *dubius in fide infidelis est*; & Clement. cit. §. porro, habetur, doctrinam, quæ vertit in dubium, quod anima rationalis sit forma corporis, esse inimicam fidei Catholicæ, & eum, qui ei pertinaciter adheret, esse hereticum. Carena tit. 1. §. 3. Soufa cap. 11. Layman. Poncius, & Pueronius in Bulla Cæna.

Et procedit, tam de Dubio, qui positivè cum advertentia, & voluntariè iudicat articulum aliquem fidei, quem scit ab

Ecclesia Catholica teneri, & proponi fidelibus credendum, non habere tantam certitudinem, ut tutum sit ei sine hesitatione assentiri (qui non est, tam formaliter dubius, sed etiam positivè errans in fide, quia positivè cum advertentia pertinaciter iudicat, ea, quæ proponit Ecclesia fide Divina credenda, esse incerta, vel non certò à Deo revelata; & sic Ecclesiam falli posse, contra fidem) quàm de Dubio negativè, qui omnem actum suspendit circa aliquem articulum fidei ab Ecclesia propositum, putans non habere motivum sufficiens ad firmissimè credendum, quasi propositio Ecclesie non sit infallibilis.

12. Queritur, quid sit Apostasia à fide?

Resp. Est recessus in totum à fide Christi. In hoc differt Apostata ab Heretico, quod hic unum, vel aliquos solum articulos fidei negat, ille autem omnes, & ad aliam sectam, putà, Turcarum, Judæorum, Atheorum, &c. se confert. vid. Carena tit. 3. §. 1. num. 3.

13. Queritur, quomodo Confessarius debeat se gerere cum Apostata penitente?

Resp. Eo modo, quo supra diximus cum heretico; animadvertat, quòd si Apostasia sit tantum exterior, & intellectu suo rectè penitens senserit de Catholica fide, poterit à quocumque Confessario approbato absolvi, nam excommunicationem Bullæ Cæna non incurrit, Carena §. 15. nu. 67.

Et si queratur, an circumstantia Apostasia sit in Confessione necessariò explicanda, vel sufficiat dicere contra fidem voluntarium errorem habui?

Resp.



Resp. Explicanda est, quia ad minus importat circumstantiam notabiliter aggravantem peccatum intra eandem speciem, & mutantem iudicium Confessarii, de necessitate in Confessione aperiendam, Quilici *qu. 16. art. 11. num. 39.*

Quæritur, quid sit schisma?

14. Resp. Est voluntaria, & pertinax separatio ab unitate, & obedientia Ecclesie Universalis, ejusque Capituli, Romani Pontificis, ut Pontifex est, & Caput visibile Corporis Mystici, constantis ex universis fidelibus. Carena tit. 3. §. 10. Soufa lib. 1. cap. 20. Dicitur, ut Pontifex est, per quod Schismaticus non reputatur, qui renuit Papæ obedire, eique non vult subijci, ut Domino temporali. V. G. Civitatis Bononiæ, Perulæ, &c. Soufa *cit.*

Schismatici sunt in duplici differentia; alii divisi sunt ab Ecclesia, quoad obedientiam solum, & nullum errorem habent in fide; hujus generis sunt, qui licet credant Summum Pontificem esse Caput visibile Ecclesie, & ceteros fidei articulos, ex propria tamen voluntatis malitia nolunt Pontifici, quæ tali obedire, & ligantur excommunicatione Bullæ, ut clare textus.

Alii verò sunt divisi ab Ecclesia & quoad obedientiam, & quoad fidem, & hi sunt formaliter hæretici. Hujus generis sunt Græci schismatici nostri temporis, qui non solum nolunt credere, Summum Pontificem Romanum esse Christi Vicarium, & Caput visibile Ecclesie Catholicæ, sed etiam credunt Ecclesiam Orientalem, & Constantinopolitanam non esse sub Ecclesia Romana, ac Patriarcham Constantinopolitanam non

esse inferiorem Romano Pontifici, ut patet ex actis Conc. Florentini sub Eugenio IV. & habent errorem in fide cum pertinacia contra articulum, & unam Sanctam Ecclesiam, cap. inter hæresim 24. quæst. 3. Fagnan. in 5. ad cap. quod à Prædecessore de schismat. numero 16. hi excommunicatione Bullæ ligantur, sicut alii hæretici.

15. Quæritur, an ligetur excommunicatione Bulla Catholicus, qui in Anglia obedientia signa exhibet erga Regem, uti caput Ecclesie, quamvis firmiter credat, non ipsum, sed Romanum Pontificem esse Christi Vicarium, & Ecclesie Caput?

Resp. Affirmative, Carena §. 12. num. 46. & Soufa cap. 20. num. 16. Quilici §. 10. art. 11. num. 40. Ratio est, quia, ut schismatici crimen committatur, & censura incuratur, sufficit se subtrahere ab obedientia Papæ, ipso effectu, seu opere externo, etiam sine animo se subtrahendi ab obedientia ipsius, ut est Ecclesie Caput.

16. Ideò notet Confessarius differentiam inter excommunicationem latam ob hæresim, & ob schisma: prima copulative requirit errorem in intellectu cum manifestatione illius externa; secunda, solum opus externum, DD. communiter. Differentiam inter hæresim, & schisma habes: nam hæresis consistit in errore contra fidem, & sic opponitur fidei; schisma verò in separatione ab unitate corporis Ecclesie, & sic principaliter opponitur Charitati.

17. Quæritur, quomodo Confessarius se debeat gerere cum schismatico patiente?

Resp.

Resp. Si schismaticus sit, etiam hereticus, eo modo, quo diximus cum heretico.

Si verò non sit hereticus; videat, an schismaticus sit purè interitus, & tunc poterit eum absolvere, quia in casu censura non incurritur; si autem reperiat esse, etiam externum, eum absolvere nequit, utpotè innodatum censura Bullæ, Papæ reservata.

18. Queritur, quid agere debeat in praxi, cum in Ecclesia eodem tempore duo reputantur Summi Pontifices?

Resp. Si constat de Canonica electione unius, & de non canonica alterius, Confessarius consulat, & pœnitenti præcipiat, ut pro vero Pontifice eum agnoscat, quem constat canonicè electum, & Ecclesia recipit. Si verò res sit dubia, & ignoretur, quis eorum sit legitime electus, est pœnitenti injungendum, ut teneat se, tanquam Ecclesiæ Catholicæ membrum, sub uno ipsius Capite Christo, & ejus Vicario, qui in conspectu ipsius est legitime electus, quisquis ille sit; & promptum se exhibeat ad illum pro vero Pontifice agnoscendum, quem pro tali approbabit Concilium Generale, vel Ecclesiæ susceperit.

19. Queritur, an, qui negaret hunc numero Papam V. G. Clementem XI. esse verum Pontificem, & Ecclesiæ Catholicæ Caput visibile, esset schismaticus, vel hereticus?

Resp. Affirmativè, quia de fide est, Clementem esse verum Pontificem; ratio est, quia, sicut est de fide, quòd omnis ritè, & canonicè electus in Pontificem, sit verus Pontifex; & Ecclesiæ Caput; ita est de fide, quòd hic numero homo, ritè, & ca-

nonicè electus, sit verus Pontifex: in ea enim propositione omnes singulares revelantur; quemadmodum in ista: omnes homines resurgent, revelatur, quòd ego, & alii resurgemus; Clemens autem XI. est ritè, & canonicè electus in Pontificem: quòd morali evidentia, & certitudine innotescit, ex quo eligentes, & universalis Ecclesiæ consensus, eum in verum Pontificem recipiant, & teneant. Quilici, Carena, & ego ipse alibi in tract. de fide.

20. Queritur, quinam dicantur hereticis Credentes?

Resp. Qui hereticorum errores credunt. Quorum aliqui in particulari, & explicitè eos credunt, & heresim profitentur; & hi sunt formaliter heretici; contra quos, ut contra formaliter hereticos, proceditur. Aliqui verò solùm implicitè, ut dicendo: vera sunt dogmata, quæ Calvinus contra Ecclesiam Romanam docuit; Calvinista in sua fide salvari possunt, &c. licèt in particulari nesciant, quanam dogmata sunt. Et licèt hujusmodi Credentes sint formaliter heretici (sicut Catholici, etiam sunt, qui fidei articulos implicitè credunt, credendo, quidquid credit Ecclesiæ Catholica) tamen, ne quis de eorum excommunicatione dubitare posset, eorum etiam specifica mentio in Bulla facta est.

Quidam ex factis exterioribus præsumuntur, & judicantur credentes hereticorum erroribus, ut loquitur Cardinalis Guido Fulgodius (qui fuit Clemens IV.) q. 9. quindecim qq. ad Inquisitores. Hinc notes, alia esse facta spectantia ad ritus hereticorum, ut sunt cœna Valdensium, Lutherana, & Calvinistica: frequen-

*tia audiendi eorum conciones, & similia.* Qui in cœna Calvinistica communicarent, conciones hæreticorum frequentes audirent, eorum *Credentes* iudicandi essent; quia, ut quis hæreticorum *Credens* dicatur, parum refert, an voluntatem suam opere aperiat, an factis; & isti, etiam si internum errorem contra fidem non haberent, adhuc in Bulla Cœnæ essent excommunicati.

Et alia sunt facta, quæ non concernunt eorum ritus, sed potius communem conversationem, & politicam societatem: in his cõmunicans cum hæreticis, non potest dici *Credens hæreticorum*; potest enim moveri alio fine, quàm eo, quod credat eorum erroribus.

21. *Quæritur, qui nam formaliter sint fautores, receptatores, & defensores hæreticorum?*

Resp. Omnes, qui scienter favorem, vel auxilium Hæretico præbent, quatenus Hæreticus est, sive, ut hæresim suam facilius docere, defendere, aut latius diffundere possit: v.g. recepi hæreticam, dum à suo Principe quærebatur ad necem ob homicidium, materialiter solum sum receptor Hæretici; recepi verò, dum à S. Inquisitione petebatur damnandus ad tritrepes ob hæresim, sum formaliter receptor, & fautor, ac excommunicatus in Bulla Cœnæ.

22. Nota, Confessarium non posse absolvere *Credentes*, *Fautores*, *Defensores*, & hæreticorum *Receptatores*, dum hæreticos, quæ tales, recipiunt; & dum fautoria, credentia, vel receptio sunt in subsidium hæresis; quia excommunicantur in Bulla.

23. *Quæritur, an quando in literis*

*subilei apponitur hæc clausula: Insuper, &c. licentiam concedimus, ut sibi eligere possint Confessarium, qui ab omnibus peccatis, & censuris, etiam in literis die Cœnæ Domini legisolitis, contentis, &c. in foro conscientiæ, & hæc vice tantùm, absolvere, & liberare valeant: Confessario approbato tribuatur facultas absolvendi penitentes, etiam ab hæresi?*

Resp. Negativè, nisi sit purè interna, vid. cap. 34. num. 29. Decretum Alex. VII. id prohibentis.

24. *Quæritur, an possit absolvi penitens, qui scit, se lingua hæresim pronunciasse, sed dubitat, an mente consenserit?*

Resp. Negativè; nam debet hæreticus formaliter, & hæresis interna, & externa simul reputari; ratio est, quia, cum verba sint naturaliter signa intentionis, & nullus ore præsumatur dicere, quod in corde non habet, præsumptio est, & possessio in hoc dubio, quod hæresis illa processerit exterius, ex vero consensu interiori in illam.

25. *Quæritur, an possit absolvi, qui non serio, sed per jocum suam hæresim profert; ut, si quis credens sub speciebus panis non esse Corpus Christi, dicat: ego nolo adorare Deum, qui comedi potest à muribus, & dentibus conteri?*

Resp. Negativè, quia revera hæresim, quam mente tenet, extra ponit: & licet per jocum, tamen id, quod sentit, pronunciat: per jocum sæpè veritas aperitur. Nec obstat, quod dicens ex joco, fidem non faciat; quia non est necesse, quod hæresis fiat externa, quantum ad iudicium aliorum: nam sufficit, quod

quod signo externo exprimat, etiam si, non nisi ipsi loquenti sit notum. Soufa cap. 15. num. 6. Talis modus loquendi, quamvis sit ex joco, addit circumstantiam contemptus, quod crimen aggravat.

26. Quæritur, an in articulo mortis Confessarius ordinarius possit absolvere ab heresi formali, etiam publica, & cæteris censuris Bullæ Cœnæ?

Resp. Affirmativè, quia Trid. sess. 14. cap. 7. de pœnit. definit in articulo mortis nullam esse reservationem. Sed nota verba textus: nam Bulla §. cæterum à prædictis, id concedit, ut infra: à prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontif. nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc (nota) nisi de stando Ecclesie mandatis, & satisfaciendo, cautione præstita, absolvi possit, vid. cap. præter num. 16.

Si in eo articulo constitutus possit recurrere ad Superiorem, habentem facultatem legitimam absolvendi, vel eum vocando, media aliqua persona, vel missis literis, possit expectare, ab eo præsentè, absolutionem, vel facultatem, ut à Confessario ordinario absolvar, debet recurrere, Soufa lib. 3. c. 4. num. 3. Si verò mors certò sit imminens, & iudicio boni viri tempus pro recurso insufficiens, potest ipsum absolvere, sed non nisi juxta textum modò expressum, & observata cautela, de qua in cap. 2. num. 15.

27. Quæritur, an Confessarius sine legitima facultate, & extra mortis articulum, scienter absolvens ab heresi formali, & cæteris censuris Bullæ, de factò excommunicationis innodetur sen-

tentia? & quatenus, an sit reservata?

Resp. Affirmativè, §. quod, si forte per verbum innodamus, de factò excommunicatur, qui præsumpsit absolvere, hoc est, qui sciens non posse de jure absolvere, temerè, & imprudenter absolvit; is enim dicitur præsumens; propterea non præsumit, qui bona fide, ignoranter, sive inadvertenter aliquid agit. Barbofa dict. 23 §. num. 2.

Censura expressè reservatur, in decreto de casuum reservatione, edito à S. C. Episcop. de mandato Clement. VIII. sub die 9. Januarii 1601. & in extravag. Sixti IV. Et si Dominici Gregis de pœnit. & rem.

28. Quæritur, an Superiores Regulares ad minus possint suos subditos ab heresi formali, & aliis censuris Bullæ Cœnæ, sive publicis, sive occultis, absolvere sine speciali facultate?

Resp. Negativè: de la Cruz lib. 1. de stat. Religionis cap. 6. dub. 14. conc. 2. Carena tit. 4. §. 14. num. 102. & Alii plures, quos cumulavi adducto cap. off. Curia num. 17. Ratio est, quia Bulla Cœnæ quolibet anno renovatur, & publicatur, & in illa §. non obstantibus privilegiis, &c. revocantur omnia privilegia, & indulta, etiam Ordinibus Mendicantium, sub quavis forma concessa, eidem contraria: observa modum loquendi Bullæ: Cæterum à prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, &c. Nullus: ergo non Secularis, non Religiosus, contra Felicem to. 1. examen nu. 3377. alioque, quos ipse sequitur. Et dixi Offic. Cur. Cap. 38. numer. 24.

29. Quæritur, an Confessarius ordi-

narius possit à crimine hæresis Sacramentaliter absolvere penitentem, qui in foro exteriori, seu extra Confessionem; prævia abjuratione, fuit ab Inquisitore, vel Superiore legitimo absolutus à censura, hæresis annexa?

Resp. Affirmativè, cum Carena tit. 2. §. 7. num. 48. Quilici qu. 16. art. un. nu. 36. ver. quare: quia non sequitur, quòd eum absolvat à sententiis Bullæ, aut talibus laqueatum, quòd ipsa Bulla prohibet, §. quòd si forte: vide *Campionum instr. 1. par. cap. 18. num. 17.* & nota cum Quilici, & *Ilfung. tract. 6. disp. 6. art. 3. §. 1. nu. 107.* Pontificem reservare sibi quidem certa peccata, sed tantùm ea, & tandiù, quæ, & tandiù, habent annexam censuram, sibi reservatam.

An autem Papa reservet sibi peccata, etiam independentè à censura?

Consule Constitutiones Apostolicas.

30. Quæritur, an ordinarius confessorius possit absolvere à peccato, quòd contineri dubitat in Bulla Cœnæ?

Resp. Negativè ex enunciato decreto sub Clemente VIII. 9. Januarii 1601. revocante facultates absolventi ab ullo ex casibus clarè, vel dubiè in Bulla, die Cœnæ Domini legi consueta, & contentis, contra Felicem tom. 1. num. 3; 13. Ponderet Confessorius hæc verba 2. decreti sub Clement. S. Congr. vult, & mandat d. h. decretum, hoc est editur 1601. in sua firmitate, & pristino robore permansurum: quoad ea nimirum, in quibus per secundum non moderatur, sed non moderatur quoad prohibitionem absolventi ab ullo ex casibus clarè, vel dubiè contentis in Bulla Cœnæ. Textus decretorum est satis apertus.

## CAPUT IV.

Prop. 5. ab Alex. VII. &c.  
Obligatio denunciandi Hæreticos.

PROP. 5. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non tenetis denunciare, si probare non possis.

1. Hæresis ex D. Thoma apud Pagnam *prax. Inquisit. cap. 2. num. 4.* tendit ad spirituales multitudinis corruptionem, & ex l. *Manichæos C. de Heret.* in omnium fertur injuriam, quatenus omnibus Catholicis vera credentibus, per eam, & hæreticos aliud, quam credendum est, proponentes credendum, injuria inferitur. Ipsi verò Hæretici apud *alleg. cap. 1. num. 3.* sunt organa diaboli, vasa iræ, Rei læsæ Majestatis Divinæ, & ex c. *vergentis de Heret.* Christianæ Religionis conantur fundamenta convellere, omnesque Catholicos in errorem contra fidem trahere: propterea omnes debent Judicibus fidei, Inquisitoribus, vel Episcopis respectivè denunciari, ut similia damna reparentur, & hæresis in sua radice opprimatur.

2. Quæritur, unde oriatur obligatio denunciandi hæreticos?

Resp. Oritur, ex naturali ratione, qua quælibet persona, cum sit pars Reipublicæ, tenetur, quasi pars toti, ei succurrere, dum viderit eam contagione infici, vel sceleribus corrumpi, Genuen. *Prax. cap. 18. num. 1.* Carena p. 2. tit. 9 §. 1. Item ex jure canonico id præcipiente, cap. *excommunicamus il primo de Heret. §. adjicimus:* & ex edicto S. Officii videndo nu. 10. ac ex PP. autoritatibus apud Pagnam cap. 3.

§. Quæ-

3. Quæritur, an denunciationi hæretici præmittenda sit correctio fraterna?

Resp. Negative cum D. Thoma 2. 2. qu. 33. ar. 1. in corpore, & ad 3. ubi habet; quando imminet periculum multitudini, non habent ibi locum hæc verba Domini (si peccaverit, &c.) quia tunc frater peccans, non peccat in te tantum: maxime, quia sperandum non est, quod, qui ausus est se opponere Ecclesie Universalis, corrigatur per secretam monitionem unius: *Car. 4. Genuen. num. 7.* itaque, nulla admonitione, aut fraterna correctione præmissa, Hæretici sunt denunciandi: ut dixit Pegna *cap. 7. num. 3. vid. cap. sequen. num. 8.*

4. Quæritur, an denunciandi sint Hæretici occulti, quorum crimen nec duobus restibus probari potest?

Resp. Affirmative, quia, dum PP. Pontifices, & Inquisitorum edicta firmant obligationem denunciandi Hæreticos, indistinctè loquuntur, & idè indistinctè intelligendi sunt, tam de manifestis, quàm occultis.

Sed quid, si Hæreticus sit ita occultus, ut ego solium sciam eum esse Hæreticum, nec aliter possim ejus hæresim probare?

Resp. Teneor denunciare, & in histerminis damnatur propositio ab Alex. Ratio est, quia quamvis delictum probari non possit, Superior vigilabit; & potest contingere contra prædictum alias adesse denunciations, ex quibus de facili possit deveniri ad torturam, & ad alia juris remedia, ac omni meliori modo succurri Reipublice; *Genuen. nu. 5. & Car. num. 18.*

Nota per denunciationem Reis injuriam non fieri: nam ad bonum commu-

ne Reipublice expediebat concedi adversus ipsos, etiam occultos, facultatem, ac jus denunciandi, ad effectum impediendi damnatentia in periculum multitudinis. *Ilung. tract. 4. disp. 2. qu. 7. ar. 6. §. 2. num. 30.* Præsertim, quia ex lege charitatis bonum commune, quod per hæresim læditur, præferendum est bono particulari famæ Hæretici, qui in communitatem, & in Deum peccat.

6. Quæritur, an hæreticus emendatus sit denunciandus?

Resp. Affirmative, ratio est, quia hæretici fingere possunt se emendatos; & non est eis credendum, si affirmant, sed necessarium est, ut innotescat Judicibus fidei, ut ad juris remedia procedant. *Car. §. 6.*

6. Quæritur, an sciens sub secreto, etiam jurato, aliquem esse Hæreticum, teneatur eum denunciare?

Resp. Affirmative, nec obstat secretum, aut juramentum: non secretum: quia hujusmodi est mere humanum, nascens ex privato pacto, tacito, vel expresso inter loquentem, & audientem, & idè non potest præjudicare legi Superioris, præcipientis denunciationem; nec, qui silentium exigit, potest rationabiliter velle, quod de commisso alter non loquatur: *vid. Th. 2. qu. 6. ar. 1. ad 2.* ubi loquens de iis, quæ sunt secreto extrâ confessionem commissa, sic pronunciat: quandoque sunt talia, quæ statim, cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur: puta, si pertinent ad corruptionem multitudinis spirituales, vel corporales, vel in grave damnum alicujus persone, vel, si quid aliud est hujusmodi, quod quis

quis propalare tenetur, vel testificando, vel denunciando; & contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum, quia in hoc frangeret fidem, quam alteri debet.

Nec juramentum: quia juramentum juxta regulam § 8. Jur. in 6. non est obligatorium contra bonos mores; nec de illicita obligat, cum non sit vinculum iniquitatis, cap. Inter cetera 22. qu. 4. Emissum autem esset hujusmodi, quia contra leges canonicas; & ideo invalidum, juxta commune Doctorum; & notat Glos. in cap. pervenit il 1. de test. cogen. ver. juramentum. vide etiam cap. constitutis, de test. & attestat. & Pegn. cap. 8. Fulcodium qu. 8. & Carena §. 5.

7. Quæritur, an Confessarius teneatur denunciare Hæreticum, qui accedit ad Confessionem, animo non confitendi peccata, sed pervertendi Confessarium, eum inducendo in hæresim?

Resp. Affirmativè, quia talis Confessio non est Sacramentalis, sed modus occultè dogmatizandi, ex Carena §. 5. num. 21. & 22. & Genuen. num. 17.

Advertas ex cap. omnis utriusque sexus de penit. & remiss. Confessarius obligari ad sigillum Confessionis, quod aliud non est, quam particularis obligatio, quam habent Confessarii ad non revelandum ullum peccatum, aut circumstantiam ejus, auditam in Confessione, in ullo prorsus casu; etiamsi sint enormia, contra bonum commune, ut hæreses: nisi penitens dicat se non habere animum cessandi ab illis. Quæ obligatio oritur ex omni, & sola Confessione sacramentali, ex eam nimirum, facta Sacerdoti, animo se accusandi, & subjiciendi peccata clavi-

bus Ecclesia, à Christo Sacerdotibus concessis ad solvendum, & ligandum. Quam non intendit facere hæreticus, de quo quæritur; & ideo in casu obligatio sigilli sacramentalis non reperitur per Sylvestrum ver. Confessio 3. qu. 4. & de la Cruz de penit. qu. 6. cont. 2. juxta dicent. lib. 2. cap. 13.

8. Quæritur an audiens à persona fide digna aliquem esse hæreticum teneatur eum denunciare?

Resp. Affirmativè ad tenorem edicti S. Officii, in quo præcipitur esse denunciandos; tunc, e ciascuno di quelli, de quali sappiano, abbiano havuto, ò averanno notizia, che siano heretici, &c.

9. Quæritur, an filius teneatur denunciare Patrem hæreticum, & Uxor Maritum?

Resp. Affirmativè, nam edictum per verba generalissima loquitur; e comandiamo in virtù di S. Obedienza, sotto pena di scomunica di lata sentenza, &c. a tutte, e ciascuna persona di qualunque stato, grado, e condizione, ò dignità, &c. Ergo generaliter est intelligendum, ut allegatos etiam comprehendat.

Sed quid, si forent solum de hæresi suspecti? ut blasphemus hæreticales, malefici, &c.

Resp. Tenetur, quia edictum præscribit denunciandos omnes, che siano heretici, ò sospetti, ò diffamati di heresia, ceterosque, de quibus statim; & quia decretum non distinguit, sed promiscuè, absolute, & cum disjunctiva loquitur, ò sospetti di heresia, de singulis intelligendum. Carena §. 2. num. 7. contra Genuen. num. 10.

Quoniam verò edictum Supremæ, & Univer-

Universalis Inquisitionis, omnibus, & singulis personis in virtute S. Obedientia; sub excom. pœna, lata sententia, aliisque per sacros Canones, & Pontifices statutis, denunciationem præcipit ideò eisdem transumptum subijcimus.

§. 1. Essendo à noi, &c. che fra il termine di un mese, dieci de quali per il primo, dieci per il secondo, & dieci per il terzo, termine perentorio, si debbano rivelare, e giuridicamente notificare al S. Offizio, ovvero à gli Ordinarij, tutti, e ciascuno di quelli, de quali sappiano, ò abbiano avuto, ò avranno notizia.

§. 2. Che siano Eretici, ò sospetti, ò diffamati di Eresia, ò credenti, ò fautori, ò ricettatori, ò difensori loro, ò abbiano aderito, ò aderiscano à Riti de Giudei, ò Maumettani, ò de Gentili, ò abbiano apostatato dalla S. Fede Christiana.

§. 3. Che abbiano fatti, ò facciano atti, da quali si possa argumentare patto espresso, ò tacito col Demonio, esercitando incanti, magie, sortilegii, porgendovi suffumigii, incensi per trovar Tesori, & altri intenti, chiedendo da lui risposte, & invocandolo, & à quest' effetto promettergli obediencia, ò consacrargli pentatuli, libri, spade, specchi, ò altre cose; nelle quali intervenga il nome, & opera sua.

§. 4. Che si siano ingeriti, ò ingeriscono in far esperimenti di Negromanzia, di qualsivisia altra sorte di Magia, con entrare ne circoli, far l'esperimento della Caraffa, ò del Crivello per trovar i medesimi tesori, co-

se nascoste, rubbate, ò perdute, e fare altre simili, e superstiziose azzioni ad altri fini, massime con abuso de Sacramenti, ò di cose sacre, ò benedette.

§. 5. Che senza licenza dovuta ritenghino scritti, che contenghino Eresie, ò libri d' Eretici, che trattino ex professo di Religione, ò che gli abbiano letti, ò tenuti, ò stampati, e fatti stampare; ò li leggano, tengano, stampano, fanno stampare, introducano, ò difendino sotto qualsivisia pretesto, ò colore.

§. 6. Che abbiano libri di Negromanzia, ò Magia, ò continenti incantesimi, sortilegii, e simili superstizioni, massime con abuso di cose sacre.

§. 7. Che contro il voto solenne, fatto nella professione in qualsivoglia Religione approvata, ò doppo haver preso l' Ordine sacro, abbia contratto, ò contraha matrimonio.

§. 8. Che vivendo la prima moglie, pigli la seconda, ò vivendo il primo Marito, pigli il secondo.

§. 9. Che contro i Decreti, e Costituzioni Apostoliche abbiano abusato, ò abusino il Sacramento della Penitenza, servendosi della Confessione, e Confessionario à fini disonesti, sollecitando in essi Penitenti ad turpia, & avendo con essi discorsi di cose illecite, e non convenienti al fine, per il quale è stato istituito.

§. 10. Che abbiano proferito, ò proferiscono bestemmie eretiche contro Dio, la Beatissima Vergine, e Santi; ò procedino à qualche atto di offesa, ò di-



» è dispreggio contro l'imagini, ò figure  
» rappresentanti il medesimo.

» §. 11. Che abbiano tenute, ò tenghino occulte conventicole, ò radunanze in pregiuditio, dispreggio, ò contro la Religione.

» §. 12. Che abbiano indotto qualche Cristiano ad abbracciare il Giudaismo ò altra setta, contraria alla Fede Cattolica, ò impedito i Giudei, ò Turchi à battezzarli.

» §. 13. Che non essendo ordinati Sacerdoti, s'abbino con sacrilego ardore usurpato, ò si usurpino di celebrare Messa, ancorche non abbiano proferrito le parole della Consecrazione; ò abbiano presunto di ministrare il Sacramento della Penitenza a' fedeli di Christo, ancorche non si sia venuto all'atto dell'assoluzione.

» §. 14. In oltre si dichiara; che quelli, i quali non denunciaranno, come ò ordina col presente Editto, non possono essere da alcuno assoluti, se non dal S. Offizio, dopo che averanno in esso giuridicamente rivelato i delinquenti, al che non possono soddisfare con bollettini, ò lettere senz'nome, e cognome dell'Autore, ò altri modi incerti, de quali non si tiene conto alcuno nel Santo Tribunale.

» §. 15. Si dichiara anche, che con la suddetta espressione de casi di sopra da noi specificati da rivelarsi, non si escludano gli altri casi spettanti al S. Offizio, che per altro sono compresi nei Sacri Canoni, Constitutioni, e Bolle de Sommi Pontefici; ne meno col presente Editto s'intende derogato all'altre provisioni Canoniche, Apo-

» stoliche, & à gl' altri Editti degli Ordinari, & Inquisitori, &c.

Cujus Edicti occasione aliqua pro pra-xi breviter adnotabo de pacto expresso, & tacito cum Dæmone, & sortilegiis, remisso fustori examine ad alibi de hac materia, Deo dante, dicenda; interim videantur Carena tit. 12. Soufa Aphorismi. à cap. 36. ad 57. Cobat. tom. 3. oper. moral. part. 4. & nunc.

11. Quæritur, quinam censeatur implorare auxilium Dæmonis, & operari cum pacto expresso, vel tacito cum ipso?

Resp. Qui expressis verbis ab eo auxilium petit, vel ipsum ad aliquid agendum, vel sciendum consulit, formaliter ipsum invocat, & operatur cum pacto expresso ipsius. Qui verò ad aliquid habendum, vel sciendum, utitur signis indebitis, factis, vel verbis, non habentibus virtutum ad id, nec ex sua natura, nec ex divina institutione, ipsum virtualiter invocat, & operatur cum pacto implicito: utitur quis ampulla, aqua plena, ad inveniendum furem, ad quod aqua, & vitrum ex sui natura virtutem non habent, nec ex divina institutione (nam id nobis per Ecclesiam non constat, sed potius oppositum) necesse est in ea ampulla eam virtutem inesse ex pacto Dæmonis: vide Soufam cap. 38. nu. 11. & Campion. p. 2. c. 36. nu. 3.

Hoc tacitum pactum cum Dæmone intervenit, etiam si utens illis rebus, vel verbis explicitè protestetur se nolle inire pactum, vel convenire cum Dæmone, modò illis rebus indebitis utatur ad effectum, quem intendit; quia factum est contrarium protestationi, & operans virtualiter vult Dæmonis auxilium. Quem-

Quemadmodum, qui protestatur nolle occidere Petrum, & interim venenum propinat, vel gladio transverberat, dicitur protestari contra factum.

12. Quæritur, quid sit sortilegium?

Resp. Est quoddam opus illudicium, & summè noxium, ab homine effectum, Demonis ministerio. *Carena tit. 12. §. 1. num. 1.* Tres in generali sunt sortilegii species; prima est divinatio, quæ est præ-nuntiatio futurorum, seu occultorum eventuum, indebitis modis, à Divina providentia non constituitis. Secunda, est Sortilegium amatorii, quod fit ad flectendos animos pudicos mulierum, vel virorum ad libidinem. Tertia, est sortilegii malefici, per quod fabricantur infirmitates, & similia in hominibus, vel brutis; ex quibus vel mors maleficiati statim oritur, vel illius corpus paulatim conteritur, & virtus debilitatur: plura alia videas apud alleg. *Sousa à cap. 38.* Et nota, sortilegia, in quibus intervenit abusus Sacramentorum, vel Sacramentalium, vel pactum expressum dici hæreticalia: ea vero, in quibus ea non interveniunt, non hæreticalia, & simplicia nominati, & hæc etiam solent ab Inquisitoribus judicari, *Carena.*

13. Quæritur, quinam censentur de hæresi suspecti.

Resp. Alios esse de hæresi leviter, & alios de vehemènti suspectos; illi dicuntur, qui V. G. blasphemias hæreticales evomunt, sed non ex habitu, sed raro, in ludo, vel in ira solummodo, & ideo levis conjectura hæresis habetur; alii vero, qui talia agunt, vel dicunt, ex quibus oritur argumentum, & suspicio concludens, ut plurimum, talia proferent

*Maithaucci Causela Confess.*

tes, vel facientes esse hæreticos: hujus generis sunt, qui pluries, tam in ludo, & ira, quàm extra, & ad omnem levem animi motum hæreticaliter blasphemant. *Genuen. prax. cap. 18. num. 11* Piassecus *prax. p. 2. cap. 4. art. 6. num. 8.* Item invocantes Dæmonem verbis deprecativis, etiam in iis, quæ eus facultatem non suspiciunt: pactum expressum cum eo facientes: cultum ipsi exhibentes, & admiscentes in sortilegiis Sacramenta, vel Sacramentalia, aut verba sacra, Hostiam consecratam, Sanguinem Christi, aquam, & candelam benedictam, Sanctorum Reliquias, Agnus Dei, Evangelium, Symbolum fidei, Pater noster, Ave Maria, Psalmum aliquem Davidicum, aut verba Sacra Scripturæ, aliasque sanctas Orationes; quoniam, nisi crederent præfata habere virtutem ad operationem maleficiorum, scienter illa non adhiberent. *Genuen. cit. n. 11.*

14. Quæritur, an sit denuncianda mulier, quæ habet malum nomen Malefica, ad quam plures pro maleficiis concurrunt, non apparet autem ipsam fecisse, nisi sortilegia simplicia ad curandas infirmitates. V. G. eadem moneta argentea signasse erysipellim, vel tali hora, tali charta, vel tali atramento scripsisse nomina ignota, obscura, &c.

Resp. Affirmativè, *Genuen. num. 15.* ex clausula illa edicti, *che abbiano fatti, ò faccino atti, da quali si possa argomentare patto espresso, ò tacito col Demonio, esercitando incanti, magie, sortilegii, &c.* maxime, quia negari non potest, ea cum tali pacto fieri solere; nam, nec figura illa artificialis, nec verba ex natura sua vim ad curandum

(D)

habent,

habent, neque eam ex impressione corporum Cœlestium recipiunt, aut ex divina institutione ad id sunt ordinata, ergo tribuendum est, quod procedat ex pacto, saltem implicito, cum Dæmone; propterea, Ecclesia ea prohibet, & per suos Ministros, Inquisiteurs, & Episcopos utentes punit, Carena, & Soufa: notantes quosdam, etiam orationes, alias piissimas, prohiberi, si permixta habeant nomina incognita, ob pactum implicitum cum Dæmone. Sunt utiles, & efficaces orationes ad petendum necessaria ad salutem; sed ponere vim in numero precum, ita ut credatur, quod non obtinebitur res petita, nisi tot, & non plures, vel pauciores recitentur, est superstitiosum. Christus promittens exaudire preces, etiam peccatoris, pro necessariis ad salutem, non determinavit numerum precum, sed sibi reservavit, ut alium exaudiret citius, alium tardius, ut optimè *Campionus cit. num. 4.*

15. Pondera ex Soufa, *lib. I. cap. 54. num. 13.* sortilegia esse ex suo genere mortalia: nec parvitas mæstia excusat, esto quis operetur cum pacto implicito, nisi ex simplicitate, & ignorantia, quæ crassa, & affectata non sit, procedant.

16. Quæritur, quomodo Confessarius se gerere debeat cum obligatis ad denunciandum?

Resp. Animadvertat, an ex non denunciatione incederint in fauoriam hæreticorum, de qua diximus *cap. priori num. 21.* & tunc tales ligantur excommunicatione Bullæ Cœnæ, & absolvi nequeunt propter censuram reservatam; idem dicitur, si non denunciante omni-

serint denunciare per totum tempus, ab edicto Inquisitionis taxatum ad incurrendam excommunicationem, quamvis fautores hæreticorum non sint.

Difficultas est de non denunciante, qui in nullam adhuc excommunicationem incidit, *an eum possit Confessarius absolvere, antequam actu denunciet.*

17. Crederem esse distinguendum, si persona sit fide digna, & Confessario bene nota, de cujus fidelitate in promissis experimentum habeat, & alteri Confessario id non promiserit, ac onus ignoraverit, firmum propositum denunciandi videtur sufficere: si verò sit homo ordinarius, curare omnino debet, ut denunciatio præcedat, nisi communicandi urgeret necessitas, *Carena §. 10. num. 43. v. cap. sequen. nu. 25.* sed tunc debitum non extinguitur.

18. Sed quid, si poenitens Confessario significet sibi ex denunciatione imminere periculum vitæ?

Resolutio pendet à quæstione, an denunciatio sit facienda cum periculo vitæ; & resolvitur affirmative à *Genuen. num. 8.* & *Carena §. 7. num. 34.* præcipue, si tractetur de hæretico formali, dogmatizante in perniciem Reipublicæ, & Malefica, quæ multum noceret Reipublicæ, animos seducendo, & corpora offendendo: ut, si occidat pueros, & similia faciat; nam hic subintrat Axioma fixum à *Soto de iust. & jur. lib. 5. q. 1. art. 6. & 7.* apud *Genuen. ibid.* quod *quilibet pro Patria tenetur ponere vitam:* & id debet Confessarius poenitenti significare, & cuicumque periculo posse per S. Officium provideri; idèd in omni casu debitum

debitum agnosco; de absolute fortilega, *vid. cap. 18. nu. 41.*

19. Queritur, quomodo Confessarius se gerere debeat cum Astrologo.

Resp. Interroget, an sit Astrologus naturalis, an iudiciarius; idque, ut percipias, notes, Astrologiam iudiciariam, per quam ex astris ex pacto tacito cum Demone pradicuntur eventus contingentes, pendentes à libero hominis arbitrio, prohiberi à Sixto V. *const. Cæli, & Terra Creator, apud Quaranta sum. ver. Astrolog.* in qua Episcopis, & Inquisitoribus committitur, ut procedant contra Astrologos, mathematicos, & alios quoscumque, dicta iudiciaria Astrologia artem, præterquam circa Agriculturam, navigationem, & rem medicam in posterum exercentes, aut facientes iudicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus, successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendens, aliquid eventurum affirmare audent, etiam si id se non certè affirmare asserant, & protestentur.

Ex constellationibus, astrorumque aspectu, motu, ac situ, possunt licitè per Astrologiam naturalem conjecturari, & præcognosci effectus necessarii, & naturales: in Cælo Eclipsis, pluvia in aere, in mari tempestas, siccitas in terra, alique effectus, qui, vel dependent à solo Cælo, vel ab ipso, & aliis concausis necessariis. Ubertas terræ potest præcognosci solum in universali, quatenus hoc anno præcognoscitur talis, vel talis stella prædominium; quæ multum ad ubertatem conducit: sed nequit absolute, & infallibiliter affir-

mari, quod sit ubertas futura; nam id dependet à cultura agri, & si per homines seminabitur, quod non potest ex astris præcognosci, an futurum erit; unde solum potest præcognosci, quod terra fructificabit, si homo seminabit, sed hoc secundum ex astris prædici non potest. Pariter, quantum importat circulatio Cælorum, potest in universali præcognosci aliquem esse victurum usque ad annos sexaginta, quatenus, cum natus sit tali hora, ex vi Syderum habet complexionem robustam, & optimum temperamentum, ut possit usque ad illos annos vivere, sed non potest absolute affirmari, quod prius mori non possit, vel ex fortuito lapsu lapidis, qui non subiacet stellis; vel, si ex propria voluntate se interimat, se non cibando, vel excedendo in nutrimento, alterante suam complexionem, sic, ut vix possit pertingere ad annos pubertatis; maxime etiam, quia temperamentum non à solis astris pendet, sed à qualitate seminis parentum, à quo potest attenuari: immò nec in universali videtur id prædici posse, quia principia, ex quibus Astrologi discunt, sunt incerta, & in ipsis variant. Nam alii in 12. partes æquales dividunt Zodiacum, alii Equatorem; alii à octava domo sumunt iudicium mortis, alii à septima, & alii à somniant, apud Carenam *p. 2 tit. 12. §. 12. num. 100.* Ideo ex astris, nec cum certitudine, nec sine ea possunt prædicere futura contingentia, ut ibid. *num. 95.*

Dices. Sæpè Astrologi prædixerunt futuros eventus, & divinarunt matrimonia, filios, dignitates, &c.

(D) 2

Resp.

Resp. Id effectisse ex instinctu, & pacto tacito cum Demone arg. ex Cap. illud 26. qu. 2. Carena cit. num. 117. Campion. 2. par. cap. 36. num. 8. Antonel. de reg. Eccl. lib. 6. cap. 22. num. 1. Ut inde homines inducerent ad credendum in stellis esse vim ad tales effectus inferendos, & cogendum liberum arbitrium. Quæ aonæxio est inter astra, & tales eventus? Audias D. Th. 2. 2. qu. 95. artic. 5. Corpora Cælestia non possunt esse per se causa operationum liberi arbitrii: possunt tamen ad hoc dispositivè inclinare, in quantum imprimunt in corpus humanum: & per consequens in viros sensitivæ, quæ sunt actus corporalium organorum, quæ inclinant ad humanos actus. Quia tamen viros sensitivæ obediunt rationi, nulla necessitas ex hoc libero arbitrio imponitur, sed contra inclinationem Cælestium Corporum homo potest per rationem operari. Nam Sapiens dominatur astris.

Unde, prius quam Astrologus judiciarius absolvatur, interrogandus est, an contra fidem erraverit, credens homines, quia natos sub tali, vel tali sydere, cogi, & necessitari ad bene, vel male operandum: & dum, ita reperitur, quia hæreticus formaliter est, negans liberum arbitrium, procedatur cum eo juxta dicta cap. 3. num. 7. si sine errore fuerit, antè absolutionem curet Confessarius, ut libros astrologiæ consignet Inquisitoribus, vel Episcopis: deceptos de fallitate moneat: se retractet, & Astrologiam detestetur. Optimum erit ei suadere, ut Inquisitoribus se presentet ad effectum, ut gaudere possit

privilegiis spontè comparentium, per dicenda cap. sequen. nu. 26.

## CAPUT V.

Prop. VI. & VII. ab Alex. VII. Sc.  
Solicitatio ad turpia.

**PROP. 6.** Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam, postea legendam, in qua ad venereus invitatur, non censetur sollicitasse in Confessione; ac proinde non est denunciandus.

**PROP. 7.** Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est: si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere, absque onere denunciandæ.

I. Scribit Soufa lib. 1. Aphorism. cap. 34. num. 2. quod soll. citare, est diligentiam adhibere ad aliquod consequendum, sive id fiat verbis, promissis, & nutibus, sive aliis actibus. Uno ore DD. dixerunt pœnitentes, sive mares, sive fœminas à Confessariis sollicitatos ad turpia, ad actus nimirum venereos, & carnales, ad eos denunciandos teneri, juxta Const. Greg. XV. incip. *Universi Dominici Grægis in Bullar. Cherrab.* edita contra Confessarios, ubi vis locorum sollicitantes ad turpia, sive sollicitatio sit. I. In actu Sacramentalis Confessionis: II. Sive antea: III. Vel post immediatè: IV. Sive occasione: V. Vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Confessione non secusa: VI. Sive extra occasionem Confessionis in Confessionario: VII. Aut in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentalis

les audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo: Simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint; ex quibus constat, pœnitentes ad denunciandum obligari, si fuerint à Confessore in uno ex præfatis locis, aut modis sollicitati.

Pro praxi plura declarantur, & referuntur casus, qui frequentius possunt occurrere, (cæteris omiſſis apud Auctores videndis) in quibus pœnitentes sollicitati tenentur Confessarios Inquisitoribus, vel Ordinariis denunciare.

2. Primus casus. Si *immediatè antea*, antequam, scilicet, pœnitens genuflectat, ut confiteatur; vel *immediatè post*, postquam videlicet, Confessarius absolutionis verba pronunciauit, sollicitetur.

Hinc notabis clausulam, *immediatè ante Confessionem*, importare, quod post sollicitationem factam, nulla alia interposita extranea actione, sequatur Confessio; & *immediatè post Confessionem*, quod præmissa Confessione, & data absolutione, nulla alia simili actione intermedia, & non multo tempore transacta, sequatur sollicitatio: actio talis esse debet, quæ iudicio prudentis viri sufficiens non sit ad discontinuanda hæc duo, *Confessionem, & sollicitationem*.

II. Si Mulier, ut integrè confiteatur, se accuset de peccato carnis, & Confessarius dicat: de hoc, finita Confessione, erit nobis sermo, & Confessione terminata, eam sollicitet. *Soufa citat. num. 36.*

III. Si mulieri, accusanti se animum

libidinosum habuisse, vel circa ipsum Confessarium, aliove viros, Confessarius respondeat: de hoc volo tibi loqui extra Confessionem, propterea da mihi licentiam opportuno tempore loquendi; qua accepta, post unum, vel plures dies ad illam accedat, & capta occasione loquendi de casu in Confessione audito, sollicitet; quia talis sollicitatio refertur ad Confessionem, & ab ea dependet: occasionatur enim à peccato in Confessione audito. *Ameno de pœnit. tit. 4. §. 2. sollicitatio ad turpia num. 17. & Bulla habet, sive occasione Confessionis.*

IV. Si Confessarius post Confessionem, puerum ducat, vel ei dicat: venias hodie in meam domum, aut cubiculum, & dabo tibi chyrographum Confessionis, & ad nefandam venerem sollicitet; casus iste dependet à Confessione, & traditio Chyrographi ad Confessionem refertur. *Soufa ibid. num. 39.*

V. Si statim post Confessionem pœnitenti, qui se accusavit de peccatis carnis, dicat, quia alteri carnaliter commiseris, mihi quoque copiam tui fac.

VI. Si Confessarius mulieri sibi confesse pœnitentiam injungat, ut domi à semetipso nuda verberetur: etsi postea sic non accedat. *Sum. Leandri verb. sollicitat. num. 8.*

VII. Si Confessarius in actu Confessionis pœnitentem de pulchritudine laudet, *ibid. num. 7.* quia Sacerdotes hujusmodi blanditiis Sacramento pœnitentiæ abutuntur, & fceminas illis verbis ad inhonestam, ad minus tacitè alliciunt. *Carena tit. 6. §. 5. num. 37.*

VIII. Si in Confessione pœnitentem sollicitet ad peccandum cum alio, ut ex-

preſſe Conſt. Greg. per clauſulam, ad *inhoneſta*, ſive *inter ſe*, ſive *cum alijs*; & tunc Confellarius, etiam lenonis officium exercet.

IX. Si ſollicitet ſœminam, ut ſit mediatrix, ſive *lena*, vulgo *ruſiana*, ad inducendam aliam perſonam, ut in peccatum carnis conſentiat, ſive cum ſe, ſive cum alio: ex clauſula Bullæ, aut *cum eis illicitis*, & *inhoneſte ſermones*, ſive *tractatus habuerint*.

X. Si vocatus ad audiendam Confellionem mulieris infirmæ, & ei ſollicitanti conſentiat, ad vitandam infamiam, quia eum minis terret, ſe exclamaturam vim ſibi ab eo inferri, niſi conſentiat; quia inhoneſta perſicit cum ſœmina, occasione Confellionis; & in Bulla comprehenditur, habens tractatus, & ſermones inhoneſtos in Confellione Sacramentali, vel occasione ejuſdem.

Nec ex capite metus poteſt ſe tueri Confellarius, quia iſte metus eſt levis; nam, utin conſtantem virum cadere metus dicatur, debet probabiliter aliquod grave damnum timeri ab eo, qui poteſt, & ſolet minas exequi; in caſu autem Confellarius non debet daſinum aliquod probabile timere ex acclamatione mulieris, ſed Deum præ oculis habens, potius mortem ſuſtinere, quam crimen committere. Souſa num. 28. & Carena.

Propter quæ cenſeo quoque eſſe denunciandum Confellorem, qui domi ſtimulat ſœminam, ut ſibi in peccatum conſentiat, ipſa renuente, hoc unico fine, ne à ſuo Confellario vociferetur, & reprehendatur; cui alter reſpondet, ad me pro Confellione accedas, ego te abſolvam: & propterea adhæret; quia

id ſanè factum præſumitur occasione Confellionis, quæ, ut medium, ad peccandum eligitur, & ideo ad ſollicitationem ſufficiens, ex Souſa num. 7.

XI. Si Confellarius in Confellione prænitenti tribuat chartam provocativam ad venerem, poſtea legendam, quia traditio chartæ eſt verè, & propriè ſollicitatio, & traditur in Confellione; ideo oppoſitum Alex. proſcripſit.

XII. Si Confellarius ſœminam ſollicitet, & iſta non conſentiat, juxta textum Gregorianæ, *ſollicitare, vel provocare tentaverint*. Unde mens Pontificis fuit, ut etiam affectus puniretur, dummodo non eſſet purè internus, ſed extra manifeſtatus, quamvis effectum ſollicitatio non habuerit; quandoque enim ſua attentatio punitur, ex Gloſ. in cap. *ſi quis tam ſœminam, de penit. diſt. 1.*

XIII. Si Confellarius, ſciens mulierem velle conſiteri, eam ſollicitet, licet Confellio non ſequatur, vel, quia ipſa noluit amplius conſiteri, vel, quia Confellarius eam noluit audire: ex Bulla, etiam *Confellione non ſecuta*.

XIV. Si ſœmina accedens ad effectum conſitendi, à Confellario præveniatur, ut Confellionem differat in aliud tempus, & mutato conſitendi animo, à Confellario ſollicitetur. Souſa ibid. n. 32.

XV. Si Confellarius ſollicitatus à ſœmina, vel puero, in Confellione conſentit; ex clauſula Bullæ, aut *cum eis illicitis*, & *inhoneſtos tractatus habuerint*; ceteros apud Authores videat lector; & interim ad alia non minoris momenti accedamus.

3. Quaritur, an ſit denunciandus Confellarius, qui in Confellionario penitenti-

nitentem sollicitat, sed revera Confessionem ex conditio non audit, sed solum sollicitationem cum eo intendit?

Resp. Affirmative; sive fingat confessionem audire, ita ut Astantes eredant Confessionem excipere, sive non; pro ut resolutum fuit Suprema SS. Inquisit. decreto X. Julii 1614. ibi. *Facta relatione, quod multi Confessarii tractant cum mulieribus in Confessionali extra occasionem Confessionis, de rebus inhonestis: S.S. decrevit, ut contra hujusmodi Confessarios procederetur in S. Officio; apud Carenam §. 5. num. 32.*

4. Sed petitur. *An denunciandus sit Sacerdos non habens facultatem audiendi Confessiones, si in Confessionario ad turpia sollicitat?*

Resp. Affirmative, ex textu Gregorianæ ibi: *Omnes, & singuli Sacerdotes, tam Seculares, quam quorumvis Ordinum, &c. Regulares.* Ubi Pontifex utitur verbo *Sacerdos*, non Confessarius; quamvis confessionem non audiant, nam in casu etiam, Sacerdos a-buitur loco, in quo Sacramentam per Sacerdotes administratur, ita Diana *Coord. tom. 5. tr. 9. resolut. 86. & 87.* apud quem plures, & Cozza *dubia select. dub. 37.* refert id declaratum esse à S. Congr. S. Officii 11. Febr. 1661.

5. Quæritur. *An denunciandus sit Confessarius Monialium, qui monialem sollicitat ad turpia in loco, in quo indifferenter, & ab eo audiuntur Monialium Confessiones, & alia negotia diversa ab aliis pertractantur?*

Resp. Est certum esse denunciandum Confessarium Monialium, qui in Sede Confessionali ad Monialium solum con-

fessiones deputata ad venerea, & turpia etiam extra occasionem confessionis, provocat, & sollicitat. Nam in casu currit dispositio Constitutionis; cum similes tractatus in ea prohibiti habeantur in Confessionario: quinimò videtur in casu etiam concurrere circumstantia Constitutionis: *Simulantes ibidem Confessiones audire.* Quoniam, cum in eum locum non soleant Moniales, & Confessarius convenire, nisi occasione confessionis, nec de aliis loqui, præsumitur eos ad illum accessisse occasione confessionis, & quot quæreas vident, putant ad eum effectum convenisse. Nec obstat, quod intentionem non habeant simulandi confessionem. Siquidem licet non habeatur simulatio interna, & ex parte animi, adesset tamen externa ex parte facti, & præsumpta; quod sufficit, ut Confessarius in crimen sollicitationis impingat, ut post Passerin. in 6. *Decretal. ad cap. Ut inquisit. n. 95.* notavit Cozza *cit. dub. 36. nu. 212.*

Et inde sequitur, quod denunciandus sit Confessarius, qui cum Moniali ad sedem confessionalem se transfert, ut liberius de inhonestis tractare possint, quamvis animum non habeant simulandi confessionem. Quoniam factum externum est intentioni contrarium, & semper habetur Confessionarium.

6. Quo supposito ad dubium ex eodem Passerino excipit allegat. Cozza; quod, si tempore, quo solent eo in loco confessionem audire, una ex Monialibus accedat, quamvis sine intentione confitendi, sed alloquendi dumtaxat Confessarium, & interea Confessarius cum ea de inhonestis tractet, est reus sollicitationis



nis, atque ita denunciandus est. Quoniam tunc praesumitur pro confessione; ex facto enim exterius, & circumstantia aliarum Monialium accedentium ad eum locum causa confessionis, reputatur quod ad eum finem illa Monialis accesserit. Concordat Carena *cit.* §. 5. *num.* 32. resolvens, quod denunciandus sit Confessarius, qui in Parlatorio communi Monialium confessiones audit, si sollicitaret pro eo die, quam Moniales haberent destinatum pro confessione.

7. Ceterum advertant Monialium Confessarii, quod, licet locus ille, in quo regulariter excipiuntur Monialium confessiones pro aliis negotiis per alios pertractandis frequenter deseruiat, adeo ut quoad istos possit indifferens appellari, indifferens tamen censendus non est respectu Confessarii ipsarum Monialium; sed regulariter praesumendum, quod accedat, ut in eo confessiones Sacramentales excipiat; & hinc videtur semper haberi simulata confessio.

8. Proinde confessarii in huiusmodi locis de aliis negotiis non tractent. Quinimod Superiores provideant, ut dictus locus, qui deputatus sit ad audiendas Monialium confessiones, sit & quibusvis alio separatus, cautè sera munitus, ad quem non nisi Confessario, qui clavem retineat, accessus pateat.

9. Queritur. *An sit denunciandus Confessarius, qui in confessione Sacramentali ita mulierem alloquitur, se io non fossi Sacerdote, vi prenderi per moglie.*

Resp. Affirmativè cum Diana *cit. resolut.* 49. contra Bordonum in *Sacr. Tribun. p.* 23. q. 3. *nu.* 54. Ratio est, quia simi-

lia verba sunt maximè excitativa ad venèrem; & cum sint impertinentia ad confessionem, praesumuntur profecti ad ostendendum animum, & affectum impudicum; atque ita sapiunt sollicitationem.

10. Nec dicatur, praedicta verba indicare pudicum affectum, cum pro obiecto habeant contractum matrimonii sub conditione, quod in omnium sententia est honestum. Quia, quamvis secundum se non sint mala, tamen ex circumstantia confessionis, (ad quam non spectant) & in qua proferuntur, malitiam contrahunt. Quinimod, si possunt in bonam partem aliquo modo trahi, ad Inquisitores spectat Confessarium vocare, eumque super intentione interrogare. Ad quorum iudicium pertinet in dubiis pronunciare de bono, ac corrupto verborum sensu; ut post Del-Bene, dixit allegat. *Cozza dub.* 42. *num.* 22.

11. Queritur. *An denunciandus sit Confessarius, qui in confessione mulieri dona, & munera tradit?*

Resp. Dubium excitatur à Diana *resolut.* 50. apud quem Bordonus negavit, quia donum ex sua natura non ordinatur ad venerea; ergò de se non est signum, aut factum sufficiens ad arguendam sollicitationem; eum quo ipse concordat, si Confessarius donet mulieri florem, vel donum minimi valoris; secus, si daret rem maximi valoris; nam tunc est maxima praesumptio contra Confessarium, quod det animo sollicitandi, & trahendi mulierem ad amorem, cum collatio doni sit res impertinens ad confessionem: ideo censetur facta tacito animo palliandi sollicitationem, quod etiam in Gre-

Gregoriana prohibetur; cum ad sensum illius prohibeat absolute provocatio ad turpia: atque adeo tam ea, quae fit signis, & verbis, quam, quae fit facto, & muneribus, quibus foeminae facillime alliciuntur, & provocantur ad venerem. Unde, quia ex circumstantia confessionis intentio Confessarii donantis non potest ullo modo cohonestari, praesumitur dare ad lucrandum affectum, & familiaritatem mulieris, de quo cit. Cozza dub. 6.

12. Quæritur. *An sit denunciandus Confessarius, qui, audita confessione mulieris, qua venerea aperuit, eam de Ecclesia abeuntem ipse per se, vel per lenonem sequitur, & eam in itinere, vel domi sollicitat?*

Resp. Plures apud Dianam cit. *resolut. 46 num. 2.* negant, ex eo quod licet Confessarius utatur scientia confessionis, tamen eam non sollicitat in locis, prohibitis sollicitare in Gregoriana: hoc est, neque in Confessionario, aut loco ad confessiones audiendas electo, aut simulans confessionem audire, proinde sollicitatio, nec moraliter, nec physice cum confessione coniungitur. Affirmat Peyrin. *de privil. regul. ad const. 4 Greg. XV. §. 2. nu. 2.* ubi scribit: occasione confessionis diceretur sollicitare Confessor, qui audiens mulierem in confessione, eamque levem ibi cognoscens, lenonem paulo post ad dictae mulieris vestigia insequenda mitteret, eamque domum intrantem sollicitaret, seu etiam in itinere; & allegat Grassium *ro. 1. consil. lib. 4. de cognat. spirit. conf. 1. a num. 37. & de casib. reservat. lib. 2. cap. 12. nu. 30.* quam sententiam sequitur Lezana *sum. quest. re. Authancci Cautela Confess.*

*gul. chap. 19. num. 34.* nec dubito esse denunciandum, si statim facta confessione, & foemina discedente ab Ecclesia, prius quam ipsa ad actus extraneos divertatur, ipsam sequatur, eamque sollicitet; quia tunc sollicitatio censetur facta *immediate post confessionem*, quod in Constitutione expressè prohibetur.

13. Quæritur. *Mulier à Confessario sollicitatur per verba: io vi voglio gran bene: quando vi vedo, ne godo molto: Sed tunc non percipit sensum verborum; deinde instruitur ea fuisse sollicitationis verba: petitur, an mulier teneatur denunciare Confessarium?*

Resp. Affirmative. Obligatio enim denunciandi statim nascitur, ac quis habet notitiam de tali obligatione. Quae notitia est in muliere, dum agnoscit verba sollicitationem importare.

14. Nec obligatio denunciandi cum lapsu temporis extinguitur; ideo non subsistit eorum sententia, qui dixerunt post triennium cessare debitum denunciandi, ut apud Escobar. *de Confessar. sollicitant. p. 2. q. 3. §. 2. nu. 10.* & post eum Cozza dub. 29.

15. Nec obligatio denunciandi in poenitente sollicitato cessat, etiam si sciat, quod Confessarius ea de re se presentaverit S. Officio, & fuerit absolutus. Obediendum est enim legi praecipienti denunciationem, & tunc Inquisite res recognoscunt, an Confessarius sincere, & per integrum delictum exposuerit. Et ita fuit resolutum in Sacr. Congr. S. Offic. 26. Julii 1628. apud d. Cozza dub. 45. num. 75.

16. Ita denunciandus est Confessarius, quamvis sit emendatus, ut dixit Diana

(E) cit.

*cit. resolut. 6. § 7.* Et Catena *cit. §. 22. nu. 128.* Ratio est, quia Confessarius sollicitans posset fingere se emendatum. Tum quia emendatio debet innotescere Judicibus Fidei.

17. In casu dumtaxat obitus Confessarii penitens sollicitatus liberatur ab onere eum denunciandi, ut ex Bordonio in *manual. q. 32. nu. 64.* dixit Cozza *dub. 29. num. 178.*

18. Quæritur, *An sit denunciandus Confessarius Regularis, qui ad effectum obtinendi facilius licentiam à Superiore exeundi e Conventu, eidem significat se debere accedere ad domum agrotæ, ut illius confessionem excipiat, sed in effectum ad eam accedit, ut ipsam carnaliter cognoscat?*

Resp. Casus proponitur à Bordonio in *Tribunal. q. 7.* ubi resolvit negativè; quia re vera Confessarius nec penitens confessionem audit, nec eam simulat audire, nec cum muliere tractatum habet; sed solum apud Superiorem confessionem fingit, ut licentiam exeundi extorqueat: unde nec pratextu, neque occasione confessionis penitens tenetur eum denunciare. Cozza *cit. cas. 35.*

19. An autem sit denunciandus Sacerdos non Confessarius, qui in Confessorio ad turpia sollicitus?

Resp. Affirmativè; prout declaravit S. Congr. Sancti Officii 11. Febr. 1661. apud Cozzam *dub. 37. num. 228.* propter quod oppositum amplius probabile non est.

20. Quæritur, *An sit denunciandus Confessarius, qui post sollicitationem immediatè dolet, & sollicitationis penitens?*

Resp. Affirmativè, quia jam contra legem peccavit, & sollicitatio jam fuit facta: in delicto non consideratur perseverantia, sed, si adfuerit voluntas deliberata factis, vel signis expressa: subita penitentia, quando probaretur, potest operari in sacro Tribunali diminutionem pœnæ.

21. Quæritur, *An sub secreto naturali, etiam jurato, sciens aliquem Confessarium sollicitasse faminam, vel puerum in Confessione, teneatur denunciare?*

Resp. Affirmativè, quia sollicitatio in Confessione est delictum contra bonum publicum, & commune, contra, nimirum, reverentiam Sacramenti penitentiae, & bonum spirituale Fidelium; aliàs admodum rarò tenerentur penitentes ad denunciandum, cum sollicitationis crimen secretissime committatur. Vid. *cap. super num. 6.*

22. Quæritur, *An ante denunciationem præmittenda sit correctio fraternæ?*

Resp. Negativè, juxta ibi dicta *nu. 3.* & interim observa, quod duplex est denuntiatio, alia Evangelica, Judicialis altera; ante Evangelicam, quæ fit ad emendationem Fratris, præmittenda est correctio; non verò ante Judicialem, quæ tendit ad punitionem, & exemplum aliorum; denuntiatio autem Confessoris sollicitantis, præcepta in Constit. Greg. est Judicialis, ut ibi expressè *§. dantes*, quod, etiam edictum SS. Inquisit. per hæc significat: *che fra il termine di un Mese, &c. si debbano rivelare, e giuridicamente notificare al Sancto Officio, o vero à gl' Ordinarii, &c.*

23. Quæritur, *An possit excusari penitens*

nitens à debito denunciandi ex parvitate materiae?

Resp. Negando suppositum. In crimine, & materia sollicitationis non datur parvitas materiae, ut optime Carena §. 5. num. 37. & probatur ex dictione Bullae quomodolibet, quae per Barbof. de diction. dist. 282. universalis est, omnes casus comprehendit, omnemque poenitentis modum includit, & distribuit, Glof. ad cap. Indemnitatibus de elect. in 6. §. si qua verò, in ver. quomodolibet: semper enim fit injuria, & irreverentia Sacramento; propterea quilibet excessus in hac materia à Greg. dicitur nefarius. Carena ex Sancio dixit, impuritatibus verba, quae fortè aliàs essent venialia, effici mortalia, si contingant in Sacramento poenitentiae. Videat Confessarius, ne in hac materia, & rebus veneris laxet habenas, & constanter sustineat in neutra dati materiae parvitatem.

24. Quæritur, an excusetur femina, quae Confessario sollicitanti consenserit?

Resp. Negativè, habetur ex dispositione Sac. Congr. Inquisit. ut legitur in Epistola à Card. Millino transmissa ad Card. Borromæum, Archiepif. Mediol. die 27. Septemb. 1624. Dopo Sc. N. S. e questi miei Illustrissimi Signori in Congregazione, tenuta avanti la Santità Sua à 25. di Luglio passato, dopo haver inteso il parere d'una particular Congregazione, deputata per questo effetto, hanno risoluto, che qualsivoglia penitente è tenuto à denunciare il Confessore, dal quale sia stato sollecitato nel luogo della Confessione, ancorche gl'abbia consentito, e non è tenuto à propalare il proprio consenso, Sc. apud Carena §.

10. & Volpi resol. moral. resol. 183. verb. sollicitare num. 3.

25. Quæritur, An poenitens sollicitatus, qui denunciare noluit Confessarium sollicitantem, possit tempore Jubilæi, vel vigore alicujus privilegii absolvi?

Resp. Negativè; nam privilegium quodcumque, etiam Jubilæi tempore, intelligitur satisfacta parte, & sine præjudicio tertii: in casu autem tertium, & pars læsa est poenitentiae Sacramentum, commune bonum Ecclesiae, & Fidelium; cui censetur poenitens satisfacere per denunciationem.

26. Quæritur, quomodo Confessarius se gerere debeat cum Confessario sollicitante?

Resp. Videat, an in actu sollicitationis habuerit errorem in intellectu, credendo aliquid contra fidem; ut, quod Sacramentum poenitentiae non sit institutum ad remittenda peccata: quod licitum sit illud profanare, &c. quatenus invenerit, in absolutum dimittat, & ad Judices fidei correptum dirigat: si semper Catholicus sensit, inspiciat, an in loco sollicitationis casus confessarii sollicitantis sit reservatus Episcopo, & nec tunc potest absolvi, nisi ab habente facultatem absolvendi à reservatis. Si verò non sit reservatus, quilibet confessarius approbatus poterit eum absolvere. Carena §. 20. nam casus ex parte Confessarii sollicitantis non est reservatus in jure.

Item videat, an docuerit poenitentem sollicitatum non teneri ad denunciandum, si confiteatur cum Confessario sollicitante; etsi reperiat, non potest eum absolvere, utpotè excommunicatum,

(E) 2.

EX-

excom. Papæ reservata in præsentî Decreto *Alexandri VII.*

Deinde consulat, ut spontè se deferat Inquisitoribus, quia, si nullius sit præventus iudicii, gaudebit beneficio spontè comparentium, & si erit præventus, gaudebit beneficio comparentium, non citatorum, nec vocatorum.

27. Tandem exigat ab eo juramentum de simile amplius non committendo; in enormibus enim esse tale juramentum exigendum, & respectivè præstandum dixerunt *Graff. & Beloch*: apud *Carena tit. 12. num. 30*; enorme autem *Greg. §. dantes*, vocat crimen sollicitationis; & in casu, quod id præstare nollet, tamquam indispositus, & non paratus ad illud iterum non patrandum, non esset absolvendus.

28. Quæritur, quomodo Confessarius se gerere debeat cum penitente sollicitata?

Resp. Ipsam moneat (etiam si Confessori sollicitanti consenserit) de obligatione denunciandi Inquisitoribus, vel Ordinariis Confessarios sollicitantes, vel sollicitationi consentientes, pro ut expresse præcipitur in alleg. *Greg. §. mandantes*; quod si Confessarius ad opittat, vel doceat penitentes sollicitatos ad id non teneri, mortaliter peccat, & ab Inquisitoribus punitur, ut in re gravi legis Ecclesiasticæ transgressor.

An autem sufficiat penitentem esse in firmo proposito denunciandi. Vide cap. præterit. num. 17.

Si intra mensem (tempus in edicto SS. Inquisit. ad denunciandum statutum) non denunciaret, ipso facto ligatur censura, eujus absolutio est eidem S. Officio reservata.

29. Dubitatur, an possit ab ordinario Confessario absolvi in mortis articulo?

Resp. Affirmativè, dummodò non sit tempus sufficiens, ut penitens possit vocare Judices fidei, ad effectum recipiendi ab eis absolutionem, vel ad eos dirigere non valeat literas, juratas de veritate, aperiendo in individuo confessarium sollicitantem, & expectando facultatem, ut à confessario præsentî absolvi valeat; sed non nisi, imposito ei onere, & jurata promissionè recepta de comparando, cessante periculo, coram fidei censoribus ad denunciandum, sub pœna reincidentiæ in similem censuram.

30. Quæritur, quomodo Confessarius se gerere debeat cum Moniali à Confessario sollicitata, qua Inquisitores, vel Ordinarii: adire non potest?

Resp. Ipsam moneat, ut per literas eis significet, se habere negocia communicanda, ad S. Officium spectantia, & interim ab eis expectet responsum; vel, literis de veritate juratis, proprio nomine, & cognomine firmatis, expresso nomine sollicitantis, eum cum effecta reveler; in quo me remitto S. Tribunali pro praxi, & determinatione.

31. Quæritur, quomodo se gerere debeat cum muliere virgine, honestissima, & nobili, qua nullo modo flecti potest pro denunciatione, ut accedat ad Judices fidei?

Resp. In hoc, etiam me supremo Tribunali submitto; & Confessario ex alleg. *Epist. Eminentiss. Millini*, hæc transferbo: e quando il penitente tuttavia persistesse nella medesima renitenza, N. S. si contenta, che dal Vescovo, ò dall' Inquisitore,

fiore, si dia autorità al Confessore di ricevere per scrittura, e con giuramento la denuncia, per portarla subito, à chi gl'ha vera data autorità di pigliarla: e se oltre le cose suddette occorret à altro caso grave, per il quale non si possa il penitente indurre à denunciare, vuole la Santità Sua, che si scriva qui, e s'aspetti la risposta, e in tanto, si sopra seda nell'assoluzione.

32. Queritur, An, cum sollicitata ex denunciatione, grave damnum timet sibi, vel marito, filiis, aut proximis consanguineis, debeat denunciare?

Resp. Tenetur, quia timori, seu præfatis periculis occurrere potest auxilio Supremi Tribunalis; quamvis alii affirmant excusari. Cætera tit. 9. §. 7. nu. 34. sed nostra opinio est tutior.

33. Queritur, quanam sint signa, quibus reputetur confessio simulata?

Resp. Ex parte Confessarii sunt: sedere in loco convenienti: benedicere mulieri: manum ante faciem tenere, modo, quo fit, dum Confessiones audiuntur: & demum, manum supra ipsam extendere, fingendo ipsam absolvere; ex parte vero mulieris sunt: genuflexio: signum Crucis: percussio pectoris: manuum conjunctio: humilis allocutio cum Confessario, quæ exterius appareat, & presumatur accusatio peccatorum. Ameno de pen. tit. 4. §. 2. num. 16.

34. Sed queritur: an clausula illa: simulantes ibidem Confessiones audire, referatur, etiam ad confessionarium, adeo ut in Bullam confessarius impingat, qui in confessionario sollicitat, si sibi non simulet confessionem audire?

Resp. Affirmative, nam verè est reus

Bullæ, dum in eo sollicitat, licet confessionem audire non simulet; ut ex decreto alleg. num. 6. colligitur, ac ipse textus Bullæ concludit, ex clausula, si-  
ve extra occasionem confessionis in confessionario: per quam excludit expressè confessionem, habens respectum dumtaxat ad injuriam loci, utpotè ad Tribunal ordinarium iudicii Sacramentalis, & subdens, aut in loco quocumque, &c. addit, simulantes ibidem, &c. ne dicatur, quòd omnia peccata carnis à Confessariis, ubique commissa, vel tentata, sint denuncianda, nam in aliquo loco sunt commissa, & attentata, ergo ad effectum denunciationis exigit, ut in loco extra confessionarium simuletur confessio; unde hic habet respectum, non ad locum, sed ad Confessionem, & ejus injuriam: propterea exigit, simulationem confessionis, ut terminum restrictivum clausulæ: aut in loco quocumque, ubi confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo: ut optimè Felix tom. 2. numer. 523.

## CAPUT VI.

Prop. VIII. IX. & X. ab Alex. VII. Co.  
Stipendium Missæ.

PROP. 8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem, etiam specialissimam fructus, ipsius celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

PROP. 9. Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missa celebranda traditur,

(E) 3

zur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

PROP. 10. Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione juramento firmata, dari stipendium, quod pro nullo alio offeram.

Quarum occasione, ut ad ea accedamus, quæ in praxi magis pro casibus conscientiarum faciunt.

Notetur cum D.D. Missæ sacrificium esse ex opere operato propitiatorium, satisfactorium, & impetratorium.

2. Quæritur, quare dicatur propitiatorium?

Resp. Quia per ipsum fit, ut, sicut vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia, contriti, ac penitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno: hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum penitentiae concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia, dimittit. Trid. sess. 22. cap. 2.

3. Quæritur, cur dicatur satisfactorium?

Resp. Quia Deus illud acceptat, tamquam satisfactorium pro pœna temporali, sive tota, sive parte ipsius, in quam virtute penitentiae commutata erat pœna æterna, debita peccatis mortalibus, in Sacramento penitentiae remissis, dummodò obex peccati non invenerit; & is, pro quo offertur, sit in statu gratiæ.

4. Quæritur, quare dicatur impetratorium?

Resp. Quia per illud impetrantur bona spiritualia gratiæ ad agendam penitentiam de peccatis, & perseverandam in accepta iustitia: item, temporalia, sanitatem, victoriam, pacem, &c. quatenus hæc ad salutem conducunt, & hanc animæ profint, Trid. l. c. & Can. 3. triplex iste fructus ex opere operato ex sacrificio provenit.

5. Quæritur, quare fructus dicatur ex opere operato?

Resp. Quia provenit ex vi, & virtute sacrificii, sine respectu ad innocentiam, vel Sacerdotis devotionem, seu, in quantum Christus Dominus ex pacto cum Deo Patre inito, voluit, & instituit, ut eo ritè posito, infallibiliter effectus conferatur, independentè à bonitate Ministrum; modò ex parte ejus, cui sacrificium applicatur, divinis beneficiis obex non ponatur; Sic D.D. communiter, & cap. Ut cum de consecr. dist. 2. a Trid. cap. cit. vid. Fagn. in 3. ad cap. Fraternalitate de sepul. num. 35.

6. Quæritur, An licitum sit, accipere stipendium pro Missa celebranda, & an simoniam contineat?

Resp. Est licitum, nec simoniam continet; quia stipendium non datur pro ipsa sacrificii applicatione; nec in pretium laboris, & actionum, per se intrinsecè connexarum cum Missa, & per se necessariorum ad tale scè uni Ministerium; ut est labor se vestiendi sacris vestibus, legendi orationes, Symbolum, & alia, ut in Missali, sine quibus Missa celebrari non potest. Si hæc deducerentur in pactum, & pro eis stipendium reciperetur, realiter, & cum effectu simonia committeretur ex dicendis lib. 2. cap. 26.

Sed

Sed quid, si sacerdos sit dives, & aliunde abundantem habeat sustentationem?

Resp. Et ipse potest licite recipere, per tex. in cap. Clerici 1. q. 2. ubi: Clerici omnes, qui Ecclesie fideliter, vigilanterque deserviant, stipendia sanctis laboribus debita, secundum servitii sui meritum, per ordinationem Canonum à Sacerdotibus consequantur: in his pondera: I. Omnes, quod includit, tam pauperes, quam divites: II. Stipendia sanctis laboribus debita, quæ significant esse danda stipendia Sacerdotibus, non propter indigentiam, sed propter labores: III. Servitii sui meritum; & non secundum indigentiam qualitatem: quia nullus sive dives, aut pauper, tenetur de suo se sustentare, ut alteri obsequatur, & ministret; nam, quis militat suis stipendiis nunquam? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat. 1. ad Corinth. 9. videatur Fagnan. in 3. ad cap. significatum de prebend. num. 39.

7. Quæritur, quodnam reputetur justum, & adequatum stipendium Missæ?

Resp. Reprobata opinione asserentium non esse justum, nisi tantum detur, quantum necesse est ad sustentationem unius per integrum diem, dicimus illud esse justum, quod lex, (non laica) vel loci consuetudo taxavit, juxta decret. S. C. C. de celebr. Missarum ad quintum; hic Roma Julium est ordinarium stipendium, & consueta elemosyna pro qualibet Missa privata.

8. Quæritur, an, crescente pretiore-rum necessariorum ad vitium, possit licite sacerdos pauper plura stipendia ac-

cipere; & unica Missa pro omnibus satisfacere?

Resp. Negativè, sed tot debet celebrare, quot stipendia recepit, per expressè disposita ab eadem S. C. ibid. §. deinde his verbis; mandat, & precipit, ut absolute tot Missa celebrentur, quot ad rationem attributa elemosyna præscripta fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, sua obligationi non satisfaciant: quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur. Ponderandum est sacros Canones in assignatione stipendii non considerasse pauperem, vel victualium caritatem, sed mercedem laboris, ut alleg. cap. Clerici. Operarius vineæ ob paupertatem non potest plus accipere, juxta, & pacta mercede, ergo nec Sacerdos juxta stipendio.

9. Sed quid, si stipendium ab uno acceptum non esset justum, sed tenue, an possit ab alio tantum accipere, quantum sufficit ad justum stipendium, & unica Missa utriusque satisfacere?

Resp. Negativè, quia ibid. Sac. Congreg. extendit dispositionem, etiam ad stipendia quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive a pluribus personis collata fuerint, aut conferantur; à simili de eo, qui acceptat beneficium tenue, qui non propterea excusatur à residentia Glof. in cap. Clericus vitium in ver. vigiliis 91. dist. hinc, ex quo stipendium ab ipso acceptum sit minus congruum, non ideo minus tenebitur integrum sacrificium illi applicare, dum convenit.

10. Quæritur, an, cum Sacrificium sit propitiatorium, satisfactorium, & impetratorium, possint à tribus tria stipendia



pendia recipi, & unica Missa tribus obligationibus satisfieri, applicando uni, ut defuncto, fructum satisfactorium: alteri, ut infirmo, fructum impetratorium v. g. sanitatem: & tertio, ut peccatori, vel iusto, fructum propitiatorium?

Resp. Negativè ex allegato S. C. decreto s. deinde, & ex alio ejusdem sub die 13. Decemb. 1659. quæ super simili interrogata, respondit non posse: apud Fagnan. ad cit. cap. fraternitatem in fine.

11. Quæritur, an ultra solium stipendium possit ab aliquo aliquid accipi pro fructu Sacrificii: & opere operantis proveniente?

Resp. Negativè, quia dantes stipendium pro Missa exigunt, & deposcunt fructum Sacrificii, quem possunt, tam ex opere operato, quam ex opere operantis: & sic responderent, si interrogarentur.

Non omitto, quòd similem nundinationem certò Papa prohiberet, si sciret ab aliquo exerceri.

12. Quæritur, an Sacerdos, qui hodie à nemine stipendium accepit, possit Missam, quam celebrat, applicare illi, qui primus dabit stipendium?

Resp. Negativè: quòd legitur prohibitum à S. C. Conc. in responso dato 15. Novemb. 1605. sub Paulo V. ad Archiepiscopum Hispalensem. Est communis fidelium mens, stipendium dari non pro Missa, jam dicta, sed pro dicenda; qui sanè elemosynas pro Missis non tribuerent, si hujusmodi applicandi modum dubitarent, posse à Sacerdotibus ad praxim deduci: abusus igitur reputatur contra usum Ecclesie, avaritiam, indi-

gnam Ecclesiasticis, sapiens, & propterea communitè à DD. Layman, Gobat, Gavanto, Poncio, Jacobo, Marchant, aliisque, qui agunt de Missa: stipendio, reprobatur.

13. Quæritur, an possit Sacerdos dare Missam alteri dicendam pro minori stipendio, quam ipse receperit?

Resp. Negativè, ut expressè S. C. Conc. in alleg. decretis: quæ quoad octavum: excipit Rectorem Beneficii; qui, si per alium celebrare valeat, ei potest tribuere elemosynam congruam, secundum morem Civitatis, & Provinciae, & non ad rationem reddituum beneficii, nisi in fundatione ipsius aliud fuerit dispositum.

At dubitatur, an prohibitio comprehendat tam eum, qui, accepto iusto stipendio, retenta sibi ejusdem parte, alteri Missam celebrandam committit, quam eum, qui recepta pinguiori elemosyna, Missam alteri committit. eisdem dato iusto stipendio juxta loci praxim, & legem, reservato sibi ejusdem excessu?

Resp. Utrumque, ut ipsa S. Cong. disponit; à quòd, s. ac similiter prohibetur Sacerdoti cum clausula, qui Missam suscepit celebrandam cum certa elemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem elemosynæ sibi retenta, celebrandam committat; in his nota adjectivum certa, comprehendens, tam justum, quam pinguius stipendium; considera etiam ejusdem Congr. responsum ad septimum.

14. Quæritur, an Parochus possit elemosynam accipere pro Missa celebranda iii diebus, in quibus tenetur ex di-

Alio præcepto sacrificium offerre pro suis Parochianis; pro quibus tenetur singulis diebus, si reddens sine pingues, si vero tenues, saltem diebus festis, ut in una Lucana, Sac. Cong. Conc. die 10. Maji 1681. Ex Trid. sess. 23. cap. 1. de ref.

Resp. Aliqui dixerunt posse, ex eo, quod in Sacrificio Missæ per Scotum quolibet. 20. art. 2. & 3. Fagnan. ad cit. cap. Fraternitatem num. 94. & Gavantum p. 2. tit. 3. lit. P. triplex sit fructus ex opere operato: generalissimus, specialissimus, & medius, seu specialis: primus debetur toti Ecclesiæ, & cæteris, de quibus in Canone, quem Sacerdos, ut publicus Ecclesiæ minister, intentione generali, quam habet offerendi Sacrificium pro iis, pro quibus Ecclesia ordinat, ut offerat, illud illis applicat, juxta Trid. sess. cit. cap. 6. Qui, ut loquitur Gavantus ibid. à Deo ipsis distribuitur pro eorum capacitate, & devotionis mensura, & ideo in Canone dicitur, *Et omnium circumstantiarum, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio.* Secundus est, quo fruitur ipsemet Sacerdos tantum, qui celebrat, cujus est proprius, & personalis. Tertius verò, cujus dispensatio committitur Sacerdoti, quem illis applicat, pro quibus, vel, stipendio recepto, vel promissione, particulari intentione Sacrificium offert.

Sed licet adducta divisio fructus optima sit; eorum tamen sententia est à Concilii, & Sac. Congr. mente aliena; nam hæc in Parocho, in ordine ad offerendum sacrificium pro suis ovibus requirunt, specialem aliquam obligationem, diversam ab illa, quam habent

*Maithancci Catecha Confess.*

singuli Sacerdotes applicandi fructum Missæ omnibus Christi fidelibus; sed isti (quemadmodum ipsi Parochi) tenentur applicare fructum generalissimum omnibus fidelibus, ergo suis ovibus ille, ut specialis obligatio satisfaciatur, fructum medium, seu specialem: res est certa, & conformis declarationi S. C. Conc. in alleg. decretis, quæ ad quartum respondit: *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu Capellæ, legati, aut salarii, si elemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa uniusque obligationi satisfacere.*

15. Queritur, an dato stipendio, ad effectum, ut Missa determinatè celebretur in tali Ecclesia, Capella, vel Altari; teneatur Sacerdos ibi celebrare: & quatenus non ibi, sed alibi sacrificet, peccet mortaliter?

Resp. Affirmativè, nisi id faciat iusta, & rationabili causa. Layman. cap. 2. n. 15. Gobat casu 17. sess. 2. num. 575. aliique; quibus addo Pignatellum tom. 1. consult. 277. allegantem id esse resolutum à S. C. Conc. 17. Augusti. 1647. in una Regularium; ratio est, quia facit contra suam obligationem in re gravi, & mentem offerentis non implet; cum quo contractum, ad minus tacitè, celebravit, de ibi celebrando, quando stipendium recepit; Gavant. num. 24.

16. An autem, si sine iusta causa alibi celebraverit, teneatur supplere, iterum celebrando in electo?

Resp. Affirmativè, si altare electum, fuerit privilegiatum; & sibi imputet, si bis teneatur pro eodem celebrare.

(F)

17. Que-

17. Quæritur, an mortaliter peccet, & ad restitutionem teneatur Sacerdos, qui accepta elemosyna pro Missa dicenda, V.G. ad impetrandam sanitatem infirmo, aut pro felici expeditione alicujus causa, tandem celebrationem differt, ut interim mors infirmi sequatur, & causa expediatur?

Resp. Affirmativè Gobat. cit. casu 17. num. 596. sect. 3. Layman. & Bonaccina mox citand. Gavant. part. 3. titul. 12. nu. 8. ratio est, quia in re gravi peccat contra justitiam, graveque damnum ex sua negligentia tertius patitur; & quamvis videatur posse sub mortali à restitutione excusari ratione stipendii, ex eo, quod defraudatio unius julii, dati pro stipendio, non sit per se materia peccati mortalis, per accidens tamen est, ratione damni, quod offerens patitur ex omissione sacrificii, quod Sacerdos ex justitia tenebatur offerre; idè radix restitutionis non levis, sed gravissima judicio prudentis reputatur, & ab ea non excusatur.

Caveant Sacerdotes, ne se onerent nimis multis sacris, ad longum duraturis, quia exponunt se periculo, vel, ut nunquam ea, morte superveniente, persolvant, vel, ut non persolvant tempore opportuno; & graviter peccant, juxta Roderic. Navar. & alias à Bonac. disp. 17. de Euch. qu. ult. num. 7. § 4. num. 2. allegatos.

18. Quæritur, quando censentur nimis multa?

Resp. Cum eis, infra modicum tempus juxta responsum S.C. in alleg. decretis ad undecimum; vel intra breve tempus moraliter, ut legitur in Const. Innoc.

XII. nuper, edita sub anno 1697. ad ea decreta confirmanda, satisfacere non poterunt.

19. Et si quaratur, quantum tempus importent illa clausula?

Resp. D.D. non conveniunt; alii unum mensem, duos alii, & quidam tres assignant, quia id tempus, tamquam quid modicum reputatur; verum semper est consideranda mens dantis, occurrentes circumstantiæ, & necessitas, pro qua Missa desideratur, idè aliqui discernendum remittunt arbitrio prudentis, juxta tex. in l. sicim dies, §. intra quantum, ff. de recept. arbitr. quod fortè innuit clausula intra breve tempus moraliter: in quo est relinquenda opinio Peyrini ad const. 9. Urban. VIII. ad 10. intelligentis per modicum tempus, spatium trium annorum, ut profus improbabilis, nimis laxa, & à mente S. Sedis aliena.

20. Quæritur, an recipiens stipendium pro legenda Missa in Altari privilegiato pro anima alicujus defuncti, satisfaciatur, si in eo Missam de Sancto, & non de Requiem pro ea celebret?

Resolutio qua sit pendet à questione; an ad consequendam indulgentiam à Sum. Pontif. Altaribus privilegiatis concessam, necesse sit in eis Missam defunctorum celebrare; an verò sufficiat aliam Missam dicere; sed facilis est responso, ex literis Alexandri VII. Clement. IX. & Innocent. XI. alleg. 10. 1. offic. Cur. cap. 6.

21. Itaque Alex. const. credite nobis, sub die 22. Januarii 1667. declaravit ut infra; quoad Altaria perpetuò privilegiata, & in quibus proinde quotidie, etiam

etiam in duplicibus celebranda sint Missae de Requiem ex obligatione, auctoritate, &c. declaramus per celebrationem Missarum de festo currenti satisfieri dictis obligationibus, & suffragari, cum eisdem indulgentiis, perinde ac si essent celebrata Missa de Requiem ad formam privilegiorum.

22. Clemens constit. cum fel. sub 9. Septembris 1669. declarationem Alex. extendit ad Altaria, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadae diebus, privilegiata, & ad Missas, sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione in eis celebrandas.

23. Deinde Innoc. XI. Constit. alias postquam, sub die 14. Maji 1688. confirmavit decretum S. R. C. editum 3. April. ejusdem anni, occasione dubii, an videlicet, Alex. & Clement. declarationes sibi pariter locum vindicarent, etiam in diebus Dominicis, infra Octavas, Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi, aliisque diebus, in quibus, licet a festo duplici non impediuntur, adhuc tamen Missae defunctorum juxta ritum, & usum Ecclesiae celebrari nequeunt? Quae respondit, praefatas Alex. & Clement. declarationes intelligendas esse pro omnibus diebus, quibus juxta rubricas Missae defunctorum celebrari non possunt: vid. cap. 27. in fin.

24. Quaeritur, an Religiosus possit valide applicare Missam contra intentionem Praelati, praecipientis, ut Missam applicet V. G. pro offerentibus stipendia, qua cedunt in communem Re-

ligiosorum sustentationem; & quatenus applicet, an mortaliter peccet; & an valeat pro intentione ipsius, vel Praelati?

Resp. Mortaliter peccat, sic communiter DD. quia in re gravi agit contra obedientiam.

25. Cujusnam autem, applicatio valida sit, an subditi, an Praelati? res est in quaestione; valeat illam factam a Praelato per Ministrum infidelem, dixit Gavant. est. p. 3. tit. 12. num. 28. allegans Fraxinellum, Marchant. 10. 2. tribunal. qu. 2. ref. 8. dub. 4. respond. 2. Poncius disp. 44. quest. 1. conc. 5. num. 126. alique. Quibus arbitrator esse adhaerendum; ex quo, ut bene discurrit ex Fraxinello Gavantus, possit Superior irritare intentionem subditorum in Missae celebratione, si secus applicent, ita ut in foro Dei sacrificium illi valeat, cui a Praelato per subditum applicatur: est enim verisimile, ut Poncius notat, quod statim ac subditus obedientiam Superiori vovet, alliget suam illius voluntati, quantum ad ea, quae rationabiliter possunt dependentiam habere ab illa Superioris, & pro quibus ipse possit nomine suo subditum substituere; est autem valde rationabile, quod voluntas subditi, quoad applicationem Missae, sit ab illa Superioris dependens; aliis onera Missarum, quae habent Monasteria, & in diem suscipiunt, subjacerent ex subditorum malitia, periculo, & dubitationi, an persolverentur; de quo Fideles possent prudenter dubitare: & hinc retrahi a sacrificiis adjuvandis animabus fidelium.

Nec relevat dicere, effectum sacrificii pendere ab intentione, etiam injusta

(F) 2 cele-

celebrantis, vel auctoritatem offerendi sacrificium pro hac, vel illa intentione esse datam Sacerdoti à Christo, & consequenter limitari non posse à Prælato quocumque, Christo inferiore, ad aliam intentionem, quàm ad illam subditi celebrantis.

Nam, vel id cum Gavanto intelligitur de Sacerdote Seculari libero, non de Regulari, cujus voluntas à Prælato pendet; vel cum Poncio, non esse verisimile, quod Christus dederit eam auctoritatem Sacerdoti Regulari, nisi cum dependentia à voluntate ejus, qui potest ei præcipere, & solet applicare Missam ipsius pro sua intentione: propter ipsam Religiosi conditionem, & ad evitanda adducta incommoda.

Duo distinguas, consecrare, & pro hoc, vel illo applicare sacrificium: in primo subditus à voluntate Prælati non dependet; bene vero in secundo, propter superius dicta, & à me alibi *Offic. Cur. tom. I. cap. 12.*

Quare sententia contraria, quamvis esset probabilis, tamen, quia est minus tuta, quàm nostra, ad praxim non est deducenda, juxta doctrinam communi: et receptam: quòd non sit licitum sequi opinionem partis minus tutæ, quando ex ejus sequela, dato, quòd à parte rei non esset vera, notabile, & irreparabile damnum tertio adveniret, ut in casu.

11. Quæritur, an Fr. Min. de Obser. sint capaces legatorum annuorum cum onere Missarum?

Resp. Negative; quoad ea, quæ sunt ipsis Fratribus directè relicta, Vespignan. in compend. priv. R. Fab. bene vero, quoad ea, quorum proprietates manet

apud Hæredes; à quibus Fratres possunt recipere per viam simplicis elemosinæ, quicquid ab eis spontè pro celebratione Missarum traditur. Sac. Cong. Epif. in una Lucana 26. Martii 1677. sed in pecunia debet à Syndico recipi; nec possunt per se, vel Syndicum, vel alium in judicio ea petere; & si scienter id faciant, excommunicantur ipso factò: juxta decretum. R. Fabr. sub. 14 Febr. 1633. vide infr. cap. 32.

## CAPUT VII.

Prop. XI. ab Alex. VII. &c.  
*Confessionis integritas.*

I. PROP. II. Peccata in Confessione omissa, seu obliu: ob instans periculum vita, seu ob aliam causam, non tenentur in sequenti confessione exprimere.

2. Propositio integritatem Confessionis tangit; idèd hic, ejus occasione speciales quæstiones, quæ ad hujusmodi integritatem conducunt, possibili brevitate subnectimus, de quare dicendum etiam lib. 2. cap. 36.

3. Quæritur, in quo consistat integritas Confessionis?

Resp. Materialis in hoc, quod quis prævio examine omnia peccata, quæ post baptismum commisit, nondum confessæ, secundum numerum, species, & circumstantias, in Confessione exponat; Formalis verò per hæc explicatur, quod penitens, omnia peccata, secundum numerum, species, & circumstantias, quæ sibi, post sufficiens examen memoria occurrant, & moraliter potest hic, &

hinc

nunc in Confessione aperire, cum formali dolore omnium, aperiat.

4. Quæritur, an possit dari casus, in quo Confessio sit materialiter integra, & non sit valida?

Resp. Affirmative, in casu, quo quis omnia peccata, numerum, & circumstantias ipsorum in Confessione exprimat, non præmissis diligenti conscientia examine: vel cum illo, sed sine eorum formali dolore, proposito non peccandi, fide in Deum, spe veniæ, &c. propter periculum, cui se exponit, non confitendi omnia, ut requiritur: quod omnia tunc aperiret, casu esset & propterea Confessio invalida, & sacrilega, in sequenti Confessione cum cæteris aliis peccatis aperiendum.

5. Quæritur, an Confessio formaliter integra possit esse invalida?

Resp. Negative: nam ad integritatem formalem necesse est: primo, quod omnia peccata, quæ post sufficiens examen occurrunt memoria, & quæ hinc, & nunc moraliter possunt, in Confessione aperiantur; secundo, quod adlit animus, & propositum, tempore opportuno, & cessante impedimento, in alia Confessione exponendi, quæ tunc omittuntur; tertio, quod adlit dolor formalis omnium peccatorum commissorum ex fide supernaturali regulatus cum proposito non peccandi, &c. propterea, si hæc non desint, valida est confessio, de quo etiam, lib. 3. cap. cit.

6. Quæritur, quanta diligentia debeat adhiberi in examine conscientia?

Resp. Quanta permittit humana fragilitas, & à viro prudenti solet adhiberi in negotio gravis momenti, quod sibi

multum cordi esset, juxta Scotum in 4. dist. 17. quest. unic. & DD. in quo est ponderanda conditio personæ, quæ confitetur, qualitas officii, temporis intervalam, à quo Confessio non est facta: certè enim minori examine indigent, qui frequenter, quàm qui rarè confitentur: qui vitam quietam ducunt, quàm qui variis detinentur negotiis.

7. Quæritur, quomodo se gerere debeat Confessarius, advertens pœnitentem non præmississe examen conscientia?

Resp. Debet illum dimittere, ut examine se præparet, & postea paratus redeat; cum imparatus absolvitur, Sacerdos peccat, & pœnitens in sequenti Confessione debet, cum peccatis invalidè confessis, & illud sacrilegæ Confessionis, examine præmissis, aperire; si esset rudis, & imperitus, ignorans modum discutiendi conscientiam, esset super eo à Confessario instruendus, & quatenus inveniret aliqualem diligentiam adhibuisse, posset ad completam, & integram suis interrogationibus eum juvare; numquam tamen permittatur abusus in pœnitente nil confitendi, nisi interrogata. Verùm cautè Confessarius in interrogationibus procedat, nè sibi, vel pœnitenti periculum gravium tentationum pareat.

8. Quæritur, an ad integritatem materialem Confessionis pertineant peccata dubia; quod est idem ac quærere, an quando quis dubitat, an commiserit peccatum v. g. furtum, vel est certus se commississe, sed dubitat, an sit mortale, vel veniale ita, ut, post diligens examen propter insufficientes rationes habeat intellectus, vel suspensus maneat sic,

fic, ut in neutram partem contradistinctionis inclinare, vel de una pra alia iudicare possit (quod est eum esse dubium, dubio negativo, & proprie dicto) teneatur illud peccatum confiteri, & peccatum sic dubium sit materia necessaria Confessionis?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia in dubio, ubi agitur de salute animarum, tutior pars est amplectenda, tutius autem est, ut quis de peccato illo sub dubio se accuset, ut, si fortè illud commiserit, remissionem per Sacramentum poenitentiae obtineat, Islung. tract. 6. disp. 6. qu. 4. art. 4. per totum. Layman. l. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. a num. 37. & debet esse communis resolutio D. D. juxta conclusionem communiter receptam inter Canonistas; quod, qui dubius est in morali materia, in his, quæ salutem respiciunt animæ, teneatur ex præcepto sequi partem tutiorem, ut perdoctè probat Fagnan. in 1. de consil. ad cap. cum innitaris num. 161. & sequen. vid. lib 2. capit. 34. & ibi peccata dubia esse materiam necessariam, sed non sufficientem Sacramenti poenitentiae.

9. Et si quærat, an debeat illud confiteri absolutè, & ut certò commissum?

Resp. Negativè, sed debet dicere: dubio, an commiserim furtum, &c. quia sic est in memoria, & non, ut certum; & idè, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis ob defectum materiz, si forsàn non fuisset commissum, debet addere aliud peccatum certum, nunquam confessum; quòd si non habeat, est de necessitate cum eo in Confessione exponendum, vel peccatum mortale

certum, jam confessum, vel peccatum veniale.

10. Ad dubitatur, an peccatum mortale expressum in Confessione, ut dubium, debeat iterùm, ut certum confiteri, si postea cognoscatur ut certum?

Resp. Affirmativè cum communi DD. habetur ex Trid. sess. 14. cap. 5. statuente de necessitate esse à poenitentibus confitenda peccata omnia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent: sed, quando peccatum confessum ut dubium, hac forma, vel simili, dubito, an hoc fecerim; cognoscitur ut certum, de eo habetur memoria esse certò commissum, ergo, ut certum debet exponi.

11. Dices: peccatum illud sub dubio expressum, jam fuit directè absolutum, & dimissum: ergo non est iterùm confitendum.

Resp. Negando consequentiam: nam licet fuerit directè absolutum, semper est in peccatore debitum illud subjiciendi clavibus assertivè, & distinctè, & quomodo est in ejus memoria; cui debito nisi satisfaciatur, peccatum novum committit.

12. Quæritur, an semper sit confitendus numerus peccatorum? an sufficiat dicere in genere, peccavi: Accedit Rudis dicens: à Festo B. V. in astate non sum confessus: fateor me miserum peccatorem, attamen nil sum furatus, nunquam me inebriavi, diebus Festis, & Dominicis præceptum explevi de audienda Missa: nil aliud scio; & ad interrogaciones Confessarii: an nunquam fuerit iratus? nunquam malum alteri impre-

imprecatus; numquam inter orandum cogitaverit de rebus non pertinentibus ad orationem, &c. *ad omnia respondet negativè, & solum peccavi?*

Resp. Semper cum moraliter potest, ex Trid. *cit. Can. 7.* omnia, & singula sunt confitenda; idè, qui centum aureos, centum vicibus furatus est, debet specificare illos centum actus repetitos, quia quilibet peccaminosus est, & proximo in re gravi injurius; qui unico actu bombardæ decem homines occidit, decem peccata committit, quia decem offendit; tot peccata scandali committis, quot scandalizas, Campionus *instr. per gl'ordin. cap. 40. à num. 26.* si numerus peccatorum aperiri non potest, aperienda est consuetudo, qualis, & quantita fuerit, juxta dicenda *cap. 10. n. 21.*

Rudis itaque Confessionem nullo modo integram facit; quippè nec unum in specie, vel numero, peccatum significat: proindè casus absolutionis non est, (excipio mortis articulum) quia Sacramenti materiam, quantumvis examinatus, non proponit. Layman. *lib. 5. tit. 6. cap. 8. num. 8.*

13. Queritur, quid agendum Confessario cum femina, qua post significatum peccatum detractionis, & scandalis, subdit, Pater, me premit adhuc conscientia duorum peccatorum antiquorum, quæ ob verecundiam nunquam sum ausa confiteri, & jam vix audeo; primum, quod ætatis meæ anno decimo furata sum in Ecclesia unum obolum (*un bajoccho*:) alterum, quod die Paschæ ante auditionem Missæ ovum comederim?

Resp. Interroget, an, quando ea

peccata commiserit, putaverit Deum graviter offendere; si affirmet: petat à quanto tempore ea commiserit, & an semper, quando voluerit confiteri, venerint hæc eadem peccata in mentem, judicans eo silentio, graviter in Deum delinquere; & quatenus id item affirmet, est significandum, teneri ad exquirendum numerum Confessionum, & Communionum, à tempore reticentia duorum peccatorum, sacrilegè factarum, easque in proxima Confessione, cum cæteris peccatis, quoad speciem, & numerum, olavibus denuò, cum vero eorum dolore submittere. Si responderit, se solum quadriennio sensisse remorsum conscientia, quando confitebatur, ob silentium illorum duorum, reliquo autem tempore inculpabiliter nunquam ea sibi venisse in mentem: obliganda est, ad Confessiones, & Communiones cum cæteris peccatis eo quadriennio confessis, in nova confessione aperiendas, Gobat *tract. 7. cas. 5. num. 559.* Quilici *q. 9. art. 2. num. 3. resolventes eum, qui facit Confessiones voluntariè sacrilegas, & postea hujus rei oblitus, bona fide, multas alias legitime facit, non teneri repetere illas, quas bona fide fecit, sed illas solum volenter sacrilegè factas.*

14. Queritur, quomodo Confessarius se gerere debeat cum penitente, qui interrogatus de peccatorum numero, respondet, se in prioribus Confessionibus non fuisse solitum illum exprimere, nec super hoc interrogari?

Resp. Interroget, an fuerit ipsi notum, de exprimere, esse necessarium ad integritatem, & validitatem Confessionis; & quatenus affirmet; compellendus est

ad



ad repetitionem omnium Confessionum; si verò alleget se id ignorasse (super quo, nec à Parocho instructus, neve in Concione, vel ab alio fuit edoctus) licet propter bonam fidem fuerit integrè formaliter confessus, est ei significandum, ad implendum præceptum de exponendis peccatis in Confessione distinctè teneri, quantum sibi est moraliter possibile, post diligentiam adhibitam, supple-  
re defectum, verisimilem numerum explicando: V. G. à tribus annis confiteor: semel in anno confessus sum; peccata, quæ, ut plurimum, exposui, fuerunt molliciei, à quibus nulla hebdomada fui immunis, sed modo ter, modo quater peccavi; blasphemavi in Deum, & Sanctos, ad minus semel in die; omnes-  
cujuscumque generis mihi occurrentes mulieres concupivi, &c. ex quibus Confessarius poterit ad cætera, & verisimilem numerum discurrere.

15. Queritur, an, qui mentitur in Confessione, peccet?

Resp. Affirmativè, & quidem mortaliter, si in ea ex proposito mentiatur circa materiam gravem, & per se necessariam Confessionis: ut, si scienter, neget peccatum mortale commissum, vel circumstantiam gravem, quam hic, & nunc tenetur confiteri; nam est mendacium perniciosum, & circa rem per se spectantem ad substantiam Sacramenti, propter quod efficitur Sacramentum irritum, & falsa redditur absolutio; venialiter verò, si mendacium sit circa peccatum veniale, quod sit solum materia partialis Confessionis; nam, si totalis foret, ut, si quis sibi imponeret veniale, quod non commisisset, & nullum a-

liud in Confessione aperiret, esset mortale mentiri, quia falsa ex integro redderetur forma absolutionis, per defectum materiæ debitæ. De la Cruz, Layman, & Gobat. In quo mendacio est duplex malitia, una sacrilegii contra reverentiam Sacramenti, & alia contra veracitatem: gravis, vel levis juxta qualitatem illius.

18. Tandem, instruantur pœnitentes, ut peccata dicta sub numero incerto, & confuso, vel sub ista clausula: *duodecies circiter, plus, vel minus*: dum postea certò, & distinctè cognoscuntur esse commissa, sic in alia Confessione explicent: nam id tutius esse, & juxta Triden. *supr. cit.* dubium non est.

## CAPUT VIII.

Prop. XII. ab Alex. VII. &c.

Facultas quoad reservata.

1. PROP. 12. Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obiecta ad id Episcoporum facultate.

Occasione propositionis speciales, & communiores casus, qui solent super hujusmodi absolutione occurrere, in examen vocabimus: itaque.

1. Queritur, an solis Mendicantibus sit prohibitum absolvere à reservatis Episcopis, ad id ab eis facultate non obiecta, an etiam cæteris Sacerdotibus secularibus?

Resp. Omnibus sine Episcoporum licentia ex Trid. *sess. 14. cap. 7. de reservatione*: extra quem articulum (mortis) Sacerdotes (inferiores) cum nihil possint

sint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant; ubi dispositio est generalis; ibidem legitur in decretis S.C. Episc. & Regul. editis sub Clemente VIII. super casuum reservatione, die 9. Maii 1601. & 26. Novemb. 1602. Regularibus, etiam interdicatur in constit. Superna Clementis X.

2. Quæritur, qua pœna ligentur, si ab eis absolvantur?

Resp. In primo decreto sub Clemente prohibetur sub pœna excommunicationis, privationis officiorum, dignitatum, aut beneficiorum (inhabilitas audiendi Confessiones in eo apposita in secundo tollitur) & ad quacumque officia, Prælaturas, & beneficia in posterum obtinenda, ipso facto, &c. super quibus à nemine, nisi à Rom. Pontif. habitatio, dispensatio, aut absolutio, præterquam in mortis articulo, possit impertiri; pœna imponitur præsumptibus; quod verbum requirit per D.D. scientiam legis in absolvente.

3. Quæritur, an Sacerdos approbatus possit absolvere à reservatis Episcopi, quando in literis Jubilæi datur facultas absolventi à casibus, etiam Sedi Apostolica reservatis?

Resp. Negativè, nisi id etiam in literis exprimat: ubi enim non exprimitur, non intelligitur concessum per DD. communiter, juxta regul. 18. iur. in 6. in generali concessione; illa non veniunt, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.

4. Sed quid, si Episcopus alicui in Matthei Cantela Confess.

dulgeret, ut sibi posset eligere Confessorem?

Resp. Nectunc, ut expressè textus in cap. si Episcopus de pœnitentia, & remissione in 6.

5. Quæritur, an Sacerdos approbatus in Diœcesi Tiburtina possit pœnitentem, ad eam ex Diœcesi Prænestina accedentem, absolvere à reservatis in Prænestina, non vero in Tiburtina?

Resp. Affirmativè, ut in alleg. const. Clemen. Regularibus conceditur; immò quilibet, etiam Sacerdos secularis, approbatus potest, modò pœnitens in fraudem reservationis non accedat; in fraudem autem accedere censetur, cum Præneste V. G. committit homicidium, ibi reservatum, vel, cum animo recipiendi absolutionem à Sacerdote Tiburtino, vel alibi, ubi non sit reservatum; & sic declinandi judicium Ordinarii. Campionius instr. Ord. cap. 40. à numer. 38. Fagnanus in 5. cap. omnis de pœnit. & remis. nu. 78. & seq.

6. Propter quod D.D. communiter tradunt, quemlibet Sacerdotem approbatum posse absolvere Peregrinos, Scholares, & vagabundos à casibus reservatis illorum Episcopis, quia juxta Glos. in Clement. Religiosi de privil. ver. Parochialis, præfati sortiuntur forum pœnitentialem, ubi moram trahunt, & solent judicari juxta leges loci, in quo reperiuntur: modò id de induktia non faciant in fraudem reservationis; quia tunc æquum non est, ut fraus, & dolus eis patrocinetur; & non delinquant in Diœcesi, in qua sunt, & ibi peccatum sit reservatum.

7. Sed quid, si homicidium V. G. paratum

(G)

atum

iratum à penitente, haberet adjunctam excommunicationem, ipsi Episcopo Prænestino reservatam?

Resp. A nullo Confessario posset absolvi sine Prænestini facultate, juxta cap. Nuper de sent. excom. & cap. Dum intra in Conc. Lateran. sub Leone X. nam excommunicator propter causam in suo foro inceptam jus semper habet in excommunicatum, privativè quoad alios; facit tex. in cap. proposuisti de foro competenti, & optimè ibi Glol. in ver. citatus.

8. Quæritur, quid agendum Confessario ordinario cum penitente, qui accedens cum duplici peccato, quorum unum est sine censura reservatum, & alteri annexa est excommunicatio reservata, fatetur se invincibiliter utrumque ignorasse?

Resp. Eum, non à peccato, sine censura immediatè reservato, bene verò ab eo reservato dependenter à censura reservata, potest absolvere; ratio est, quia reservatio non est pœna penitentis, sed restrictio jurisdictionis Confessarii, quem immediatè respicit, ejusque manus ligat, ita ut sive peccator sciat peccatum esse reservatum, sive non, semper sit restricta; nam, non ignorantia penitentis confert jurisdictionem, sed autoritas, & superioris voluntas; excommunicatio autem est pœna, quæ ab ignorante inculpabiliter non incurritur, ut communitè D.D. recipiunt, scribentes ad incurrendam excommunicationem requiri contumaciam, contemptum nimirum, & inobedientiam legis, quæ in legem inculpabiliter ignorante non reperitur; & idè, quamvis committens tale peccatum, habens annexam censuram coram

Deo peccet, tamen ipsa censura apud Ecclesiam non ligatur; propterea quolibet Confessario approbato absolvi potest à peccato, dependenter à censura reservato.

9. At dubitatur, poterit ne absolvi, qui hæresim internam externè manifestat, si inculpabiliter ignoret esse hæresim annexam excommunicationem in primo Canone Bullæ Cœne?

Resp. Negativè: nam ad incurrendam censuram, sat est, quod quis sit pertinax, & hæresim internam externè manifestet: quinam verò pertinax dicatur: Vide cap. 3. num. 5.

10. Quæritur, an, cum penitens est in necessitate confitendi ad vitandum scandalum, quia, vel est celebraturus, vel communicaturus, & ordinarius Confessarius caret facultate super reservata, debeat eidem aperire tam reservata, quam non reservata?

Resp. Affirmativè, & tunc super non reservata absolutio cadit directè, & reservata indirectè solum absolventur; nam in casu non datur sufficiens ratio ad dimidiandam Confessionem, cujus integritas non adeò facillè frangi debet; verum, sic absolutus onus habet comparandi coram Superiore pro directà absolute à reservatis, per Gobat, casu 8. tract. 7. num. 380 & Sylvestrum ver. Confess. 1. num. 19. & casu, quo comparere culpabiliter omitteret, novum peccatum committeret, à quo, vel ab ipso Superiore, aut ejus delegato, & non alio, deberet absolvi: de qua re, etiam lib. 2. cap. 36.

11. Sed quid, si cum reservato nullum aliud mortale commississet?

Resp.

Resp. Deberet necessariò manifestatio-  
ni reservati addere Confessionem alicu-  
jus mortalis, aliàs confessi, vel venialis  
de novo commissi, Gobat. num. 381. a-  
liàs non poneretur materia idonea pro  
directa absolutione; propter quod ve-  
niale in casu per accidens deberet neces-  
sario confiteri.

12. Nota, Superiorem non posse in  
Confessione audire reservata, aliis o-  
missis, sed omnia debet: vel reservatio-  
nem tollat, aut facultatem concedat in-  
feriori Confessario ad absolvendum.

13. Quæritur, an, qui confitetur alicui  
potenti directè absolvere à reservatis,  
& inculpabiliter obliviscitur alicujus  
reservati, possit postea à quovis Confes-  
sore directè absolvi ab illo reservato ob-  
livo?

Resp. Affirmativè, sic communiter  
DD. Poncius disp. 46. qu. 10. conc. 5. nu. 13.  
Tambur. Method. Confes. lib. 2. cap. 10. §.  
3. num. 55. ratio est, quia Confessarius  
supponitur velle pœnitentem suum in  
integrum restituere, & judicium finire,  
quantum vi suæ jurisdictionis potest, ac  
pœnitens indiget, juxta clausulam, in  
quantum possum, & tu indiges; Sed  
Confessarius potest à peccatis reservatis  
liberare, & pœnitens indiget, & liberari  
vult; ergo reservatio tollitur.

Observa, pœnitentem ante absolutio-  
nem à reservatis esse, quasi triplici de-  
bito gravatum: scilicet, debito culpæ,  
debito confitendi peccatum, & debito  
comparendi coram Superiore. Quando  
nullius peccati obliviscitur, & habenti  
facultatem confitetur, à quolibet ex  
prædictis debitis directè absolvitur; Si  
verò alicuius reservati obliviscitur, quo-

ad istud est indirectè absolutus à debito  
culpæ, & directè à debito se sistendi Su-  
periori, sed non à debito illud confiten-  
di, quando memoriæ occurrerit. Dum  
autem confitetur non habenti facultatem  
super reservata, indirectè à reservatis  
absolvitur, sed tenetur postea compare-  
re coram Superiore, & eidem reservata  
exponere pro directâ absolutione.

14. Sed, quid, si Confessio esset vo-  
luntariè invalida, & sacrilega?

Resp. Debet postea, tam non reserva-  
ta, quam reservata, quorum inculpa-  
biliter obliviscitur, in nova Confessione  
aperire coram Confessario prædico fa-  
cultate super reservata; ratio est, quia à  
nullo remanet absolutus, consequenter  
nec directè, nec indirectè tollitur reser-  
vatio; nam, ubi sententia Judicis est  
nulla, Reus non absolvitur.

15. Quæritur, an in articulo mortis  
possit quilibet Sacerdos absolvere à reser-  
vatis Episcopis?

Resp. Affirmativè, per disposita à  
Trid. cit. ubi legitur, in Ecclesia Dei cu-  
stoditum semper fuit, ut nulla sit reser-  
vatio in articulo mortis.

16. Sed dubitatur, an id etiam possit  
Sacerdos simplex, præsentè approbato?

Resp. Negativè; & in casu, quo ab-  
solveret, nec licita, nec valida absolu-  
tio reputaretur; ratio est, quia simpli-  
ci Sacerdoti potestas absolvendi in arti-  
culo mortis ab omnibus peccatis com-  
mittitur ab Ecclesia propter necessita-  
tem, ne hac occasione (si absolutio non  
detur) aliquis pereat, ibid. Trid. ergo,  
dum necessitas cessat, & facultas cessa-  
re intelligitur: propter regulam, quod,  
cum aliquid conceditur propter necessi-  
tatem,

tatem, durat concessio, quatenus necessitas urget; sed, presente approbato, minimè necessitas urget, ut simplex absolvat. In quo articulo simplici Sacerdoti præferendus est Confessarius approbatus, & huic Parochus; nam in eo non est dubium semper esse tutiora amplectenda.

17. Verùm, quando cum Parocho, esset præsens Regularis approbatus, censerem per hunc, illo relicto, validè eum absolvi; quemadmodum validè absolvitur, & præcepto agnæ Confessionis satisfacit, qui, non Parocho, sed Religioso ab Ordinario approbato, confitetur, per dicenda cap. 10. à nu. 15.

18. Quæritur, quinam censeatur esse in articulo mortis?

Resp. DD. in hac materia confundunt articulum, & mortis periculum, licèt ille de rigore sermonis ab isto differat, ut refert. Gobat tractat. 4. cas. 12. n. 182. & tract. 7. cas. 3. num. 125. Quilici qu. 1. art. 2. num. 4. omninò videndi.

Itaque articulus mortis, strictè dictus, est status, quo mors immediatè, proximè instat, est moraliter certa, ferè inevitabilis, & non malitiam distans, propter ultimam particulam temporis vitæ; articulus autem, in sensu magis amplo, acceptus pro periculo mortis, est status, & occasio, in qua, spectata rerum natura, & iis, quæ solent in simili occasione evenire, mors, etsi non proximè sequitur: vel certo, vel probabiliter, & prudenter potest, & debet timeri: adeòque etiam, quod, si quis tunc non confiteatur, non possit confiteri postea; hinc in articulo mortis præfati tradunt existere:

I. Damnatos per sententiam ad mor-

tem violentam, ipsi de proximo infligendam.

II. Milites, etiam spontaneos, dum conflictus imminet.

III. Prægnantes sub partu; sed non omnes, sed primi partus, vel quando, etiam alios partus expertæ sunt difficiles, ut in unoquoque prudenter periclitari timeant.

IV. Laborantes Febri, quam vocant maligna.

V. Navigantes, dum navis periclitari incipit, & non, quando ipsam primò concendunt, nisi navigatio esset nimis periculosa, & nimis longa, in quo copia Sacerdotis non esset futura.

VI. Bannitos, quorum capita sunt proscripta, sic, ut impunè ab omnibus occidi possint; nec sunt in loco tuto, ut in Regione distanti, vel diversi domini, quia tunc non essent in periculo vitæ.

VII. Habentem capitalem inimicitiam cum viro magnæ potentia, & auctoritatis, à quo probabiliter timet se ubique facillè occidi, modò, se, vel beneficio Principis, amicorum, confugii, aut fugæ tueri non valeat.

VIII. De necessitate iter facientes inter grassatores, seu latrones, qui quemlibet illuc transeuntem occidere solent, ver. cit.

19. Quæritur, an absoluti in eo articulo ab inferiore, & simplici Sacerdote debeant, impedimento cessante, comparere coram Superiore?

Resp. Affirmativè, si casus habeant annexam censuram reservatam, non verò, si sit sine ea reservatis; primum probatur ex cap. eos, qui de sent. excomm. in 6. idè ante absolutionem est ei onus imponendum

nendum de comparando coram Superiore, qui censuram tulit, juxta dicta *cap. 2. num. 15.* secundum verò patet, quia nulla lex hujusmodi obligationem imponit, & aliàs est in eo articulo à peccato directè absolutus, cum in eo juxta Trid. cit. omnis reservatio cesset.

20. Et si queratur, *an in alio casu, etiam necessitatis, possit ordinarius Confessarius absolvere à reservatis Episcopo?*

Resp. Negativè, ut per sequentia significat primum decretum sub Clem. VIII. loquens de Sacerdote non prædico facultate; *nullo casu, etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, absolutionis beneficium impendere audeat*: in eo itaque dumtaxat articulo directè potest ab eis absolvere; sed quando ad vitandum scandalum, quis debeat ei confiteri reservata, cum non reservatis, solum indirectè à reservatis absolvit, cum onere in penitente comparandi coram Superiore juxta dicta *num. 10.*

21. Queritur, *an, cum quis recepit ab Episcopo facultatem absolvendi à casibus reservatis, possit etiam absolvere à censuris, sibi iidem reservatis?*

Resp. Negativè: nam sunt diversa, & à diversis non fit illatio: attendatur igitur tenor rescripti.

Circa facultatem absolvendi procurantem abortum, *v. lib. 2. cap. 20.*

Plura alia tradunt DD. videndi: 1. quod non reservatur, nisi actus externus consummatus, & perfectus, ac mortaliter peccaminosus 2. quod in dubio, an peccatum sit reservatum, tutius sit facultatem

tem petere: sed inspiciantur Literæ reservationis.

22. Pondera Confessarios ordinarios non posse absolvere à casibus locorum Ordinariis, & Sedi Apostolicæ reservatis, hoc est, à contentis in Bulla Cœnæ, ac aliis constitutionibus Apostolicis, in quibus additur clausula, *super quo à nemine, quare à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit, vel similis alia, & à sequentibus sex*: qui ab aliquibus appellantur reservati in corpore juris.

I. Violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Const. Greg. XIV. quæ incip. *Cum aliis nonnullis, la 7. Bukar. 10. 2.*

II. Violationis clausura Monialium ad malum finem.

III. Provocantium, & Pugnantium in duello; juxta decret. S. Conc. Trid. & Const. Greg. XIII. incipit ad tollendum.

IV. Inicentium violentæ manus in Clericum juxta Canonem, si quis suadent, & c. 17. q. 4. ac juris dispositionem.

V. Simonia realis scienter contracta.

VI. Et confidentia beneficiæ.

23. Sed difficultas est, de illis reservatis Sed. Apostolica, exceptis illis sex, & in Bulla Cœnæ contentis, an possint Regulares in vim suorum privilegiorum absolvere, nam in secundo decreto sub Clemente Sac. Congr. declarans, quorum absolutio sit prohibita, nominat solum reservatos Episcopis, contentos in Bulla Cœnæ, & præter eos sex?

Resp. Super hoc eadem Sac. Congreg. declarationem, ab Urb. VIII. approbatam, edidit sub die 18. Novembris 1628. ubi hæc sunt, *Regulares, &c. nec intra, nec extra Italiam, in vim privilegio-*

rum, aut confirmationum hujusmodi, quas, vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quemquam absolvere ab eisdem casibus in Bulla Coena, aut ordinario loci reservatis, ac si secus egerint absolutiones nullas, atque irritas fuisse, ac fore, ab aliis verò casibus, & censuris Sedi Apostolica reservatis, si quidem Regulares habeant à Sede Apostolica absolvendi facultatem, illam extra Italiam, minimè sublatam fuisse ejusdem Sac. Cong. decretis, hac de re editis jussu S. M. Clementis VIII.

## §. I.

## Immunitas Ecclesiastica.

24. **Q**ueritur. Quid hic intelligatur nomine Immunitatis Ecclesiasticae?

Resp. Intelligitur privilegium, quod habent Ecclesiae, Monasteria, & cetera loca pia, auctoritate canonica constructa defendendi reos, qui in eis volunt gaudere asylo, & securitate à fortis Curiae Ecclesiasticae, vel saecularis, ut communiter DD. A quibus nullus violentè, vi nimirum, vel fraude, aut dolo extrahi, abduci, aut expelli potest, si in eis existens sacro asylo frui intendat.

25. Gregorius ubi supra declaravit in septem casibus Immunitatem non suffragari: decrevitque, ea non gaudere. I. *Publicos latrones*, qui violentè cum armis homines aggrediuntur, spoliant, & occidunt: *Viarumque aggressores*, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac ex insidiis aggrediuntur, ac spoliant, sed eos non occidunt,

26. II. *Depopulatores agrorum*, sed nocturnos, juxta tex. in cap. *Inver alias*, de Immunit. hoc est, eos, qui de nocte fructus pendentes, & segetes destruant.

27. III. Qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque Cæmeteriis committere non verentur; & intelligitur de præcisione membri, ac homicidio ex proposito, & non fortuito commisso.

28. IV. Eos, qui proditoriè, hoc est, simulantes amicitiam, aut data fide, proximum suum occiderint. Sperell. dec. 23. §. 185.

29. V. *Assassinos*. Qui inimicum Christianum non præcaventem, pecunia, vel alia re estimabili recepta, vel promissa, de alterius mandato occidunt, aut occidi mandant. Sed necesse est, ut mors sequatur, ut declaravit S. Congr. Immunit. in una Mediol. 20. Junii 1636. Sperell. dec. 102. num. 58.

30. VI. *Hæresis reos*, vide supra c. 3.

31. VII. *Reos læsæ Majestatis in personam Principis*. Verùm, licet istis immunitas non suffragetur, nulli tamen Jdex potest eos ex locis immunibus extrahere, nisi prius Episcopus cognoverit crimen esse de exceptis, & nisi fiat de ejus licentia, ac servatis cautelis, de quibus expressè Constitutio Gregorii.

32. Non est dubium, violationem Immunitatis Ecclesiasticae esse casum Papalem, Summo Pontifici reservatum. Nam, si sensus sit de offensa Immunitatis in terminis constitutionis Gregor. patet ex adducto 2. decreto Clement. VIII. Si verò loquamur de absoluta violatione Immunitatis, constat ex Extravag. Pauli II. *Et si Dominici de panis. & remis.*

*mis. inter com.* ubi statuitur, ut in quibuscumque concessionibus; & facultatibus absolventi, semper intelligantur excepti certi quidam casus, specialiter Sedi Apostolica reservati, inter quos est offensio Ecclesiasticae libertatis, quod subinde sub eod. tit. *ibid.* Extravag. item, §. *Et si Dominici* decrevit Sixtus IV. sub pena excommunicationis latae sententiae Sedi Apostolicae reservatae prohibens quibuscumque Sacerdotibus, ne praetextu cuiusvis facultatis absolvant à casibus ibi expressis absque Sedis Apostolicae licentia speciali; & inter eos recenser ipsam Ecclesiasticae libertatis offensam.

33. Sed oritur dubium: *An offendentes Immunitatem, vel libertatem Ecclesiasticam ligentur censura Papae reservata?*

Resp. Affirmative. Si violatio contingat per viam statuti, vel praetextu consuetudinis ligantur excommunicatione Bullae Cœnæ *Can. 1. §.* Si verò Immunitas Ecclesiasticae violetur per ministros Curiae secularis extrahendo ab Ecclesia reos, inconsulto Episcopo, etiam in casibus in Gregoriana exceptis, ipso facto ex vi Gregorianae innotantur censuris per Sacros Canones, & Conciliorum, ac Pontificum Constitutiones promulgatis, ut *ibid.* Gregorius declaravit. Unde consultata S. C. Conc. *an absolutio à censuris ob violatam Immunitatem Ecclesiasticam juxta terminos d. const. Greg. XIV. sit Sedi Apostolica reservata? Censuit esse Sedi Apostolicae reservatam.* Absolutè violatoribus Immunitatis, sive per extractiorem rei ab Ecclesia, sive alia offensionis specie, & qualitate offendatur, semper censura Papae reservata incurritur: nam

utroque modo dicitur offendi, & violati Ecclesiasticae libertas, quam habet protegendam reos ad ipsam confugientes, & in ea existentes; semper enim juxta alleg. Extravag. est casus reservatus Romano Pontifici: Cui regulariter loquendo casus reservantur ratione Censurae reservatae, quam habent annexam, ut pluribus cumulatim dixi supra *cap. 3. nu. 29.*

34. Sed petitur. *An vigore Jubilei possit Confessarius approbatus absolvere violatores Immunitatis Ecclesiasticae?*

Resp. Negative, pro ut pluries declaravit S. Cong. Immunit. quae sub die 20. Aprilis 1673. rescripsit, ut infra. *I violatori dell' Immunita, libertà, è giurisdizione Ecclesiastica non possono essere assolti in vigore Jubilei della scomunica, nella quale sono stati dichiarati inesorabili, ma debbono onninamente ricorrere à questa S. Congr. Idem rescripsit Episcopo Neapolitano 4. Febr. ejusd. anni II. rispetto d'esser stato assoluto in vigore Jubilei non deve incasi d' Immunita violata haverli in considerazione. Hic videtur loqui in casibus violationis: etiam si violatores non fuerint declarati excommunicati: Et aliàs in *Interd. dicit, absolutioem ob tenuam vigore Jubilei non suffragari, apud Pignat. t. 1. consult. 189.**

Hinc Confessarii debent se conformare allegatis S. C. resolutionibus, & in praxi eruant interrogationes faciendas ministris, & Birruariis, aliisque in materia violationis Immunitatis.

## §. II.

*Clausura monialium.*

35. *Quæritur, quid intelligatur nomine Clausura.*

Resp.



Resp. Hic est opus distinctione. Si loquamur de Clausura pro materiali, intelligitur illud spatium, quod continetur intra januam Monasterii semper clausam, & muris cingitur: ut, claustrum, domus, hortus, & officinae interiores, cap. *exiit de verb. signif.* 126. Ad quæ est sine expressa licentia cuiuslibet ingressus interdictus, & extra quæ Monialis exire non potest. Si verò sermo sit de Clausura pro formali in Moniali, est obligatio strictissima manendi intra septa Monasterii, & non admittendi ad ipsa personam ullam, ex Trid. *ses. 25. de regularib. cap. 5.* cuiuscumque conditionis sit sexus, & ætatis, nisi de licentia Episcopi, aut Sedis Apostolicæ: Regulares, quibus incumbit cura Monasterii, ingredi possunt clausuram; servatis tamen dispositis ab Alex. VII. *Const. felici Sacrarum Virginum, la 156. Bullar. 10. 15.* in qua Superiori Regulari, habenti curam Monasterii, prohibetur ingredi pluries, quàm semel in anno; & tunc ex causa solum visitationis localis.

36. Quæritur, quid sit violare clausuram ad malum finem?

Resp. Est septa Monasterii ingredi, vel egredi ad effectum venereum: Rei huiusmodi violationis à Summo Pontifice absolvuntur.

37. Sed quid, si violatio foret secreta, & occulta?

Resp. Nec tunc à Confessario possunt absolvi, sed est recurrendum ad Papam, vel Majorem Pœnitentiarium. Neque ipse Ordinarius potest beneficium absolutionis impertiri, prout habet Fagnan. *in 1. ad cap. dilectus de temp. ordinat. nu. 32. & 33.* ubi refert, quòd, cùm dubi-

castet Archiepiscopus Florentinus, an vigore cap. 6. *ses. 24.* posset absolvere quamdam Monialem, qua occultè, & ad malum finem fregerat clausuram, non obstante Bulla B. Pii V. *Decoris*; Summus Pontifex declaravit Bullam B. Pii (in qua egredientes extra clausuram præter casus in ea expressos ligantur censura Papæ reservata) habere locum, etiam in occultis.

38. Sed petitur: Quid, si violatio non fuerit ad malum finem, an violans ligetur excommunicatione Papæ reservata?

Resp. De Moniali non est dubium; nam allegata Bulla B. Pii loquitur absolute, aliter quàm, ut præfertur, egredientes; nec distinguit de egressu ad malum finem, vel non; sed absolute interdicit egressum, nisi in casibus, quos allegat; & videtur quoque resolutum à S. C. Conc. ibid. apud Fagnan.

39. Difficultas est de iis, qui non ad malum finem, sed facultate sibi ex officio attributa extrà casus necessarios, vel propria autoritate ingrediuntur.

Quòd præfati sint ipso facto excommunicati, patet ex Trid. *cap. 5. ses. 25. de Regularibus*, ex const. *Dubius la 28. Greg. XIII. Bullar. tom. 2.* & ex allegata, *Alex. VII.* Sed ibi excommunicatio non reservatur. In const. verò *Ubi gratia ibid. Greg. XIII.* Sola illa Summo Pontifici reservatur, qua ligantur ingredientes sub prætextu licentiarum, vel licentiarum ad ingrediendum ab Ordinariis obtentis prohibito utentes, & extendentes ad casus etiam non necessarios. Immo tradit Fagnan. *in 4. ad cap. Nuper de sent. excom. num. 36.* quòd, excitato dubio

bio ab Episcopo Comen. & petente declarari; an Bulla Sanctiss. imponens poenam excommunicationis ingredientibus Monasteria vigore facultatum Apostolicarum, etiam eos comprehendat, qui absque talibus facultatibus ingrediuntur, ut sciri possit, an absolutio sit reservata Summo Pontifici? S. Cong. censuit agendum esse cum SS. quia Concilium non reservavit Pape; & Sanctiss. declaravit Bullam non comprehendere eas personas, quae ingrediuntur propria auctoritate absque licentia Sedes Apostolica.

Verum praxis etiam in istis est, ut pro absolutione recurratur ad Sacram Pœnitentiariã: Propter quod videtur inductus usus talis reservationis, pro qua scripsit Ludovicus Beja, & Lælius Zecchius elucidat. casu. Episc. reservat. casu 10. Navarrus in cap. statumimus sub n. 62. de Regular. & in Manuali cap. 23. sub num. 150. affirmat const. Greg. comprehendere etiam incautes sine licentia, & se credere hanc fuisse mentem Greg. idè delinquentes ad præfatum Sacrum Tribunal dirigantur. Idem tenet Pignatell. to. 10. consult. 100. num. 25.

49. Queritur, An Confessarius Monialium possit ingredi clausuram ad sumendam formulam consecratam, in Ecclesiam interiorem è manibus lapsam, dum communionem Monialibus præbet?

Resp. Negativè; hujusmodi non censetur casus, in quo à Sede Apostolica indulgetur Confessariis ingressus in clausuram; casus sunt in d. const. Felici §. 5. ibi. Ad hæc Confessor Sanctimonialium, tam ordinarius, quàm extraneus Matthæucci Cantela Confessi.

dinarius, minimè ingrediatur septa Monasterii, nisi ad Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ-Untionis ministranda Monialibus, vel aliis personis infirmis, ibi degentibus, necnon ad commendandam animam Agonizantium. Ponderetur dictio nisi, quæ ceteros casus excludit.

41. Sed queritur; Quomodo in eo casu se gerere debeat?

Resp. Aliquibus placet, quòd possit Confessarius committere eidem Moniali, quæ erat communicanda, ut lingua particulam sumat; vel, si ad hoc difficilem se præbeat, eidem porrigat patenam, ut media eadem decenter formulam elevet à terra, præbens eam Confessario, Elizarius de Monial. cap. 10. sect. 3. sub sect. 1. num. 239. Rotarius apparatus. Theol. moral. p. 1. cap. 10. sect. 2. num. 17.

Verum neutrum probamus. Non primum; nam plus fœminis conceditur, quàm sit necessarium, & quod eis à Sacris Canonibus interdicitur; Commune est apud Juvenin comment. Hist. de Sacram. dissert. 4. §. 5. art. 2. conc. 2. Laicos (de quorum numero, quoad hoc, & Monialis requiritur) nec sibi, nec aliis Eucharisticam Communionem posse imperitari, etiam mortis urgente periculo; patet ex Trid. sess. 13. cap. 8. de Eucharist. ibi: In Sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia mos fuit, ut Laici à Sacerdotibus communionem acciperent.

Nec secundum, quia à nemine præterquam à Sacerdote, vel Diacono licet tangere vasa, in quibus continetur Corpus Christi; cap. Non oportet dist. 33. Abellii Medul. Theol. p. 2. sect. 11. §. 8. n. 8. de Sacrif. Mis. Deinde, quod particula  
(H) eleve-

elevetur à terra in Rubrica Missalis de defunctis. in ministerio nu. 15. videtur committi Sacerdoti, ex observatis etiam à Cavanto Thesaur. Sacr. Rit. p. 3. tit. 10. de defunct. in Ministr. à nu. 12.

Quare Confessarius debet Moniali porrigere patenam, & ipsa mundo manutergio accipere; deinde injungat, ut patena cooperiat formulam, & supra ponat sericam tobascam, ac lumina adhibeat; Moniales interim assistant, orando, usque dum ipse revertatur cum licentia, obtenta ab Ordinario, vel alio de illius commissione, ad effectum ingrediendi, & implendi, quæ à Rubricis loco allegato sunt injuncta.

42. Quæritur, An Monialis ascendens supra tectum frangat clausuram?

Resp. Affirmativè, contra plures id negantes apud Dianam *Coord. 10. §. tr. 1. resolut. 83. num. 2.* quos ipse sequitur. Ratio resolutionis est, quia S. Cong. apud Nicol. Elosc. ver. *Monialis n. 35. sub die 18. Septembris 1609.* commisit absolvi quosdam Moniales, quæ supra tectum bona Fide ascenderunt, cum speciali prohibitione illud ultra ex quacumque causa ascendendi: Quia propter tectum cum muris cingentibus Monasterium integram terminum adæquatam Clausuræ constituit: & de moniali existente supra tectum dicitur esse extra ambitum Clausuræ.

43. Quæritur, An in violatione Clausuræ detur parvitas materia, vel, an Monialis in violatione Clausuræ excusa-

ri possit à mortali ratione parvitas materia: ut, si exeat extra terminum Clausuræ ad unum, vel duos palmos, statim reversura?

Resp. Distinguendum est: vel Monialis completè, & perfectè, hoc est, secundum totum corpus se ponit extra terminum Clausuræ, vel solum imperfectè, & secundum aliquam partem, manum scilicet, vel pedem, & non toto corpore: si primo modo, cum Donato *prax. regul. tom. 4. tract. 4. §. 25. Bonac. & Tamburino apud Pelizarius, capit. 5. sect. 1. num. 19.* non excusamus à mortali, nec parvitatem materiæ admittimus; quia de Moniali, quæ toto corpore se ponit extra terminum clausuræ sive ad unum, vel duos palmos, etiam mox reversura, verificatur, quod sit egressa de clausura, quod est ipsi sub censuris prohibitum. Secundo verò modo excusatur, & parvitatem materiæ cum illdem non negamus.

44. Quæritur, An Monialis ponens se in Rota, & eam volvens ad partem exteriorem, ad quam est secularibus liber accessus, frangat clausuram, si ab ea non descendat?

Resp. Affirmativè, quia se transfert ad locum, ad quem solent sæculares accedere, quod expressè prohibetur Monialibus à Greg. XIII. const. *Deo Sacrific. la 8. ibid.* Similia enim loca extra clausuram accensentur.

## §. III.

Duellum.

De Duello vide dicta cap. 2.

## §. IV.

Manus violenta in Clericum.

45. **Q**UÆRITUR. *Quinam dicantur violentas manus in Clericum injicere?*

Resp. Qui actionem exteriorē injuriosam, & contumeliosam facit contra Ecclesiasticas personas, ut, si eas violenter percutiat *manu, pede, lapide, baculo, ense, Sclopo, &c.* violenter etiam absque corporis latione detineat, vel incarceret: aliquid ab eis violenter eripiat; vestes laceret; venenum propinet; vel quid simile in contemptum attemptet, per quod eas notabili aliqua injuria, & contumelia contra honorem, & reverentiam statui Clericali, & personis Ecclesiasticis debitam afficere censeatur. Videnda *Glof. ad d. cap. Si quis verb. man.* Injuria verò factis, non verbis irrogata censuram concludit.

46. In casu, appellatione Clerici veniunt omnes Ecclesiasticæ personæ: ut, Clerici, etiam primæ tonsuræ; ac conjugati, si cum una, & virgine contraxerint, habitum, & tonsuram defertant, cap. *Clerici de Cleric. conjug. in 6.* Item, omnes Religiosi utriusque sexus, etiam Novitii. Cap. *Cum illorum, cap. De monialibus de sent. excom.* Et cap. *Religioso cod. tit. in 6.* Item, Tertiarii cum Claustralibus habitantes: Item, Mulières Tertiariæ virginales, aut cæli-

bem vitam voventes, etiam si seorsim in propriis domibus, aut affinium suorum habitent, juxta *constit. Dum intra, Leonis X. la 22. Bullar. 10. 1.* dummodò conditiones habeant taxatas in decreto S. C. Conc. quod refero *Offic. Curie, c. 52.*

Item, Eremitæ, qui sub obedientia Episcopali cui Ecclesiæ in communitate, vel separatim deserunt. Item, Equites S. Joannis Hierosolymitani, vulgò *di Malta, cap. Canonica de sent. excom.* Quippe solemnia vota Religionis emittunt, ut per *Sperellum* decif.

47. **Q**UÆRITUR, *An ad incurrendam censuram Canonis excuset parvitas materia?*

Resp. Affirmativè. Conveniunt enim *DD. Barbosa, Diana,* aliique in hac materia dari parvitatē materiæ, adeò, ut non incuratur censura, si injuria, vel contumelia illata talis iudicio viri prudentis non sit, quæ ad peccatum mortale sufficiat, ut ex *Bonaccina* observavit *Abellii Medul. p. 2. to. 2. c. 6. sess. 2. §. 1. num. 6.* Nam cum sit injuria levissima, non dicitur facta suadente Diabolo per *Du-hamel Theol. Cleric. tom. 3. lib. 5. dissert. cap. 5.* Et exemplificant; si quis leviter Clericum à se animo irato repellat.

Hinc, ut censura incuratur percussio non levissima esse debet, sed *levis, mediocris, aut gravis, seu enormis.* Judicium autem, an levis sit, mediocris, vel enormis, cum sit res facti, dependet à qualitate loci, personæ, & circumstantia injectionis manus, de quo in Extravagante *Perlectis Joan. XXII.* apud *Confectium de privil. mend. p. 1.*

48. **L**EVIS itaque percussio secundum  
(H) 2 allegat.

allegat. Extravagantem ea declaratur, quæ facta, manu, pede, digito, vel lapide, nullam reliquit plagam, vel suggillationem carnis, nec dentes effringit, nec multos divellit capillos, nec sanguinis copiam facit, licet parum fluat.

49. Mediocris percussio ea censetur, ubi dens eruitur, copia capillorum evelitur, carniū contusio, aut suggillatio relinquatur, &c.

50. Gravis verò, vel enormis, iudicanda est, si gravior latio, & injuria inferatur; ut, si Clericus vulneretur, mutiletur, debilitetur, vel occidatur. Item, si denudetur, aut atramento, vel stercore vultus ejus faceret. Considerandum est, quod percussio, quæ aliis secundum substantiam esset levis, sit plerumque gravis, & enormis, aut mediocris ratione loci, ut, si percutiatur Clericus, Ministerio Altaris occupatus, aut dum vacat sacris, sive in Choro, vel in actu publicæ processionis, si in platea, theatro, vel alio loco publico injuria personalis inferatur.

51. Item crescit ratione personæ; ut, si inferatur Episcopo, Prælato, aut alteri in dignitate Ecclesiastica constituto. Ceterum iudicium ex d. Extravag. quæ sit enormis injuria, relinquatur arbitrio Episcopi. Qui in dubio enormem potius, quàm levem arbitrari debet, & ad Sedem Apostolicam pro absolute injurias sunt dirigendi, ne de vicina absolute consili de facili in atroces prorumpant percussiones, & injurias, & in Canonis sententiam proclivius prolabantur, ut ibid. textus, & Confectius sit. p. 2. tit. 14. cap. 1. conc. 5.

Non nulli sunt casus, in quibus ob

percussionem Clerici censura non incurritur, quos recenset *cit. Confectius* ibid. cap. 8. & Du-hamel *ubi supr.*

52. I. Quando vis cum moderamine incalpatæ tutelæ repellitur, & Clericus repellendus læditur, cap. *si verò, il 1. de sent. excom.*

53. II. Cum in continenti percutitur Clericus, vel Regularis cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventus, d. cap. *si verò §. nec ille d. tit.*

54. III. Cum ex officio, Magister, vel Prælati corripit Clericum, vel Regularem; nam tunc percussio non fit, suadente Diabolo, sed suadente justitia, vel charitate, & zelo Dei, ac disciplina, cap. *Universitatis, cap. Cum voluntate d. tit.* Dummodò modus graviter non excedatur, nec per Laicum sæcularem fiat.

55. IV. Cum à muliere de adulterio, stupro, vel fornicatione tentata, causa defendendi propriam honestatem, Clericus percutitur; dummodò provocatio, & sollicitatio facta, & non solo verbo fiat, d. *Confectius*.

56. V. Cum fortuito casu, & non ex deliberatione Clericus percutitur, d. cap. *si verò §. Officialis*.

57. VI. Cum id non sit ex odio, invidia, seu indignatione, sed per jocum, vel ad ludum. Nam tunc percussio dici nequit violenta, nec, suadente Diabolo, cap. *Nuper d. & Alios casus vid. apud Confectium ibid.*

58. Quæritur. *Quis absolvat ab excommunicatione incurta propter Clerici percussione?*

Resp. Est certum, Confessarium ordinarium absolvere non posse, nisi de speciali

ciali facultate Superioris, ad quem respectivè id pertinet. Regulariter absolutio est Sedi Apostolica reservata. Ubi verò injuria modica fuerit, vel levis, Episcopus potest absolvere, cap. *Pervenit de sent. excom. d. tit.*

59. Episcopus absolvit Pueros, cap. *Pueris.*

60. Item, mulieres, senes, infirmos, & debiles, qui in Clericum violentas manus iniiciunt; vel aliàs impotentes adeundi Sedem Apostolicam pro absolutionis beneficio, cap. *Enoscitur. cap. Quamvis eod. tit.*

61. Item constitutos in periculo, vel articulo mortis. In quo etiam à quovis Sacerdote absolvi possunt; cum, vel ab Episcopo absolutio haberi non potest, vel Confessarius approbatus non habetur, juxta *Trid. sess. 14. cap. 7. de cas. reservat.*

62. Sed praxis est, ut, quoties ab Episcopo absolvuntur impediti adeundi Sedem Apostolicam, vel à Sacerdote existentes in articulo mortis, ab eis exigatur juramentum recurrendi cum primùm commodè poterunt ad Papam, vel ejus Delegatum, mandatum ipsius humiliter recepturi, per *tex. in d. capit. Quamvis.*

Debentque de tali onere eos præmonere, aliàs non comparentes in similem excommunicationem reincidunt, cap. *Eos, qui d. tit. in 6. Cabafut. prax. jur. Canon. lib. 3. cap. 2.*

63. Quod est practicandum non solum cum excommunicatis ob percussionem Clerici, sed etiam cum ligatis quacumque censura, cujus absolutio sit Sedi Apostolicæ reservata, ut communiter Canonistæ apud d. *Confect. cap. 9.*

64. Hoc etiam est observandum, quod absolutio numquam est conferenda, nisi parte satisfacta, si fuerit læsa; & in casu impotentia est ab absolvendo exigenda promissio cum cautione, etiam jurata de satisfaciendo læso, & de parendo mandatis Ecclesiæ; virtute cujus promissionis, & juramenti est ipsi præcipiendum, ne de cætero in Clericum, vel Monachum violentas manus iniiciant.

65. Sed dubitari potest. *An Episcopus in enunciatis casibus, in quibus ipse potest absolvere, possit id alteri Sacerdoti committere?*

Resp. Affirmativè; *tex. expressus in cap. His de offic. jud. ord.* Nam jurisdictio competens Episcopis absolvendi certis in casibus ob violentam manuum injectionem in Clericum est ordinaria; etenim competit ex officio; ac est concessa non personæ, sed dignitati, cui ita cohæret, ut cum ipsa transeat in futurum Prælatum, & inde perpetua censetur: Atque ita potest alteri committere, ita Gonzalez in *1. tit. 3. 2. cap. fin.*

66. Ex quo sequitur, quod Prælati Regulares, quibus ratione officii, & dignitatis, competit facultas absolvendi suos subditos à d. censura, possint eam potestatem alteri Ordinis Sacerdotis committere.

67. Quæritur. *An mandans per assensionem Clerici d. excommunicationem incurrat.*

Resp. Affirmativè, *tex. expressus in cap. Mulieres §. Illi verò, etiam si de mandato ante percussionem cum paniteat.* Nisi ipsum revocaverit, & de revocatione notitiam ad mandatarij pervenire curaverit, & cum effectu per-

venerit, ut ibi Glof. verb. Auctoritate, & Confectius.

68. Pariter, consentientes, & favorem, ac opem delicto violentæ injectionis manuum præstantes Canonis sententia ligantur, cap. *Quanta d. tit.*

69. Queritur. *Joannes percussit Clericum nomine Titii, a quo mandatum non recepit, Titius id sciens, ratam habet approbans percussorem, petitur, an Titius excommunicationem incurrat?*

Resp. Affirmativè, Cap. *Cum quis de sent. excom. in 6.* Ratihabitio enim mandato æquiparatur, ubi Glof. in verb. *suo nomine*, dixit, si ratum habuit tantum in corde, quoad Deum est ligatus, sed non quoad Ecclesiam militantem. Dum verò prædictæ ratificationis signa exteriora apparuerint, tunc etiam quoad Ecclesiam erit excommunicatus. Confect. cit. Ibi que ead. Glof. in verb. *Incurris*, notavit, quod approbans injectionem excommunicatione ligatur *ex nunc*, hoc est, ab instanti ratificationis; non *ex tunc*, quo facta est injectio.

70. Nec obstat, quod dicatur ratihabitionem retrahit. Nam satis trahitur ad tempus antè, cum ex facto anteriori ligat, licet *ex nunc*. Neque enim sententia excommunicationis trahitur, sed statim ligat, vel non ligat, nec suspendit effectum suum, ut ibi Glof. & cap. *Pastoralis de appellat.*

Qui verò ratam habet injuriam realem personalem in Clericum non suo nomine factam, peccat quidem peccato sacrilegii, sed non est excommunicatus. Confect. cit.

71. Queritur. *Pœnitens aperit Con-*

*fessario, se rapuisse Clericum, quid Confessario agendum?*

Resp. Non potest eum absolvere, etiam si ipsum restituerit; cum sit innodatus censura Canonis ob violentiam Clerico factam.

72. Adverte, quod Clericus consentiens, sibi violentiam inferri excommunicationem incurrit, cum tunc injuria inferatur ipsi ut Clerico, & toti ordini Clericali, in cujus favorem fuit privilegium Canonis concessum.

73. Observandum, quod percussus plures Clericos, in petenda absolutione debet numerum ipsorum exprimere, aliàs petitio erit subreptitia. Pluribus enim excommunicationibus numero distinctis ligatur. Nam plures causæ numero distinctæ concurrunt; quæcumque ligat per se sufficiens ad inferendam censuram. Vide, quæ dixi infr. cap. 33. num. 43. & Glof. in cap. *Cum pro causa in verb. Tamquam de sent. excom.*

74. Observandum etiam, quod est onus vitandi excommunicatum ob Clerici percussorem; Nec requiritur, ut tamquam excommunicatus denunciatur, sed sufficit, ut ita notorium sit Clericum percussisse, quod factum nulla possit tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari, juxta Const. *Conc. Constantiens. sub Martino V.* quam refero infr. lib. 2. cap. 35. num. 16. Quod fuit pro omni notoria excommunicatione repetitum in *Conc. Lateranen. sub Leone X.* pro ut in *ejus Const. Primitiva sub la 20. §. 24. Bullar. tom. 1.* illis verbis: *aut si notorie in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, &c.* Quapropter

propter vitandi sunt, qui, vel fuerint expressè, & specialiter denunciati, excommunicati, vel de quibus notoriè constat excommunicationem, vel ob Clerici percussorem, vel aliam causam incurrisse. Vide infr. cap. 33. num. 18. & alia plura, quæ dixi Offic. Curia Ecclesiast. cap. 39. de privilegio Canonis; ubi de facultate superiorum Regularium erga suos.

§. V.

*Simonia realis scienter contracta.*

75. **I**N presenti §. reservatur Romano Pontifici simonia realis scienter contracta. Sciendum namque I. Quod simonia est *studiosa voluntas emendi vel vendendi spiritualia, vel spiritualibus annexa.* Dicitur *studiosa voluntas emendi, &c.* quia quis, quantum est de se, studet, & procurat pecunia emere, & vendere rem spiritualem, quæ indivisibilis est, & supra omne pretium; atque ita non obstante, quod sit materia indebita venditionis, & emptionis, nulloque pretio æstimari possit, se gerit circa ipsam, ac si revera vendi, & emi posset, & ita injuria rebus spiritualibus irrogatur.

76. Contractus emptionis, & venditionis ponitur, tamquam species pro genere, seu pro quolibet contractu oneroso, vi cuius aliquid pretio æstimabile aut exigitur, aut confertur, aut promittitur; sive sit contractus locationis, permutationis, transactionis, vel innominatus: ut, *do, ut des; do, ut facias; facio, ut facias; facio, ut des.*

77. II. Quod nomine rei spiritualis intelligitur quodcumque supernaturale, seu, quod à Deo procedit, ut est Auctor gratiæ, & ad finem supernaturalem conducit. Id enim in casu dicitur spirituale; sive sit in se spirituale; ut sunt fides, gratia, Spes, charitas, dona Spiritus Sancti, &c. Sive ut causa; ut Sacramenta, quæ causant gratiam sanctificantem; aut conferunt, etiam potestatem spiritualement ad consecrandum, & absolvendum; ut Ordo; sive, tamquam effectus, quia à spirituali potestate procedunt; ut administratio Sacramentorum, consecrationes personarum, locorum, vasorum, concionari, dispensare in votis, vel impedimentis matrimonii super irregularitate; absolvere à censuris, & similia. Sive sint spiritualibus annexa. Quod duplici titulo contingit, *antecedenter, & consequenter*: Adnexum *antecedenter* dicitur, quod secundum suam naturam præcedit formam spiritualement, ut sunt vasa sacra. Prius enim fiunt vasa, deinde consecrantur. In istis venditio cadit supra materiam temporalem, non supra spirituale.

78. Adnexum *consequenter* est, quod est posterius spirituali, & ab isto dependet. Ita beneficium Ecclesiasticum dependet ab ordine Ecclesiastico. Prius enim est esse Clericum, quam beneficiatum, & habere jus ad redditus. Quare beneficium Ecclesiasticum describi solet: *jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis competens Clerico propter officium spirituale in sustentationem Ministrum.*

Dicitur *perpetuum*, quia beneficia ex natura sua instituta sunt, ut sint perpetua.



petua, ad differentiam pensionum, quæ morte pensionarii extinguuntur. Ideò important jus percipiendi ad tempus portionem fructuum ex bonis beneficii.

Dicitur propter officium spirituale, quia beneficia dantur propter officia, & ministeria Ecclesiastica, *Const. Superna la 3. Leonis X. §. 38. Bullar. to. 1.*

79. Etiam pensiones dantur propter officium, quia pensionarii tenentur ad recitandum officium B. M. V. *Const. Ex proximo la 135. B. Pii V. Bullar. to. 2.*

80. Considerandum hic est, beneficia tria comprehendere. I. Officium spirituale, seu ministerium Ecclesiasticum. II. Jus stipendii, seu ad redditus temporales. III. Ipsum stipendium, vel redditus. Primùm utpote spirituale vendi non potest.

Nec secundùm, quia, licet non esset in se spirituale, tamen est adnexum consequenter officio, seu titulo spirituali, quia ad istud sequitur. Ideò officium censetur vendere, qui illud jus vendit, juxta regulam in cap. *Si quis obiecerit* 1. qu. 3. ibi: *Quisquis alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neuxum in venditum relinquit.*

Dixi licet non esset spirituale, quia de spiritualitate talis juris non videtur dubitandum secundùm Cajetanum apud Fagnan. in 1. ad cap. *Cum pridem de pactis num. 101.* Nam, statim ac quis est Clericus, & divinis officiis mancipatus ex jure divino habet jus ad stipendium, juxta illud, *qui Altari inserviunt, de Altari participant*, 1. ad Corinth. 3. cap. *Extirpanda*, cap. *Secundum de prebend.* Quod jus, cum ad Clericatum, &

deputationem ad functiones spirituales sequatur, esse debet spirituale.

81. Nec fructus à collatore beneficii vendi possunt, quia non est dominus fructuum, sed dispensator, ideò venditio caderet supra collationem, & institutionem, quæ est spiritualis. Nec ab ipso proviso ad vitam vendi, vel locari possunt, quia sunt res Ecclesiasticæ, de quo alibi.

III. Quòd simonia, alia est jure naturali, & divino prohibita, ut est vendere gratiam, Sacramenta, actus Ordinis, & functiones omnes spirituales, consecrationes, benedictiones, absolutiones, dispensationes, actus jurisdictionis spiritualis, tam spectantis ad forum internum, quàm externum, & similia, quæ omnia sunt de sua natura invendibilia. Nam, vel sunt in se spiritualia, vel causa rei spiritualis, aut procedunt à potestate spirituali, & ordinatur ad finem spirituales, & salutem spirituales animarum.

Alia verò solum prohibita jure positivo Ecclesiastico, ut est. I. Vendere officia Sacristiæ, Oeconomi, Protectoris Ecclesiæ, cap. *Salvator* 1. q. 3. Hujusmodi enim officia habent rerum Ecclesiæ administrationem.

82. II. Reservare pensiones ex beneficio resignato: id enim fieri nequit sine pactione. Pactiones autem omnes in beneficiis sunt prohibitiæ, cap. *Pactiones de pactis*. Sed necessaria est auctoritas Pontificis, ut labes simoniæ pargetur.

III. Permutare unum beneficium cum alio ex eadem ratione; quia id sine partium pactis, & contractu oneroso fieri nequit, cap. *Quasium de rer. permutat.* Sed

Sed

Sed necesse est, ut permutatio fiat auctoritate Superioris, Papæ nimirum (vel etiam Episcopi, quantum ad beneficia, quæ Episcopus potest conferre) *cap. Sicut unire de excessib. Prælat.* Et tunc partes non vi pacti permutant inter se beneficia, sed ex nova collatione, recipiunt; nam ea resignant in manu Pontificis, cui suum desiderium exponunt, à quo eis deinde conferuntur.

83. Idem dicitur de actionibus beneficio adnexis; ut, si quis dicat alteri: *elige me ad hoc officium spirituale, & eligam te ad aliud; vel, si dixerit, confirmo te in hoc beneficio, modo mihi des, aut promittas hanc Capellaniam, Provincialatum, Guardianatum, &c. cap. De hoc de simon.*

41. Triplex verò est simonia, *mentalis, conventionalis, & realis.* Mentalea est, in qua quis nullo pacto prævio expresso, vel tacito, dat temporale pro spirituali (vel e contra) ea intentione, ut pro temporali recipiat spirituale, vel ut pro spirituali temporale assequatur.

*Conventionalis* ea est, in qua pactum exterius quidem expressum est de re spirituali vendenda, vel emenda, sed vel nihil realiter est datum; vel datum est ab una tantum parte: ut, si emptor receperit beneficium, sed preuum conventum non solverit; aut, si pretium dederit, sed beneficium non receperit, sed expectat.

*Realis* ea est, in qua tria hæc concurrunt: pactum de re temporali pro spirituali; solutio pretii, saltem secundum partem, & receptio rei sacra.

84. Quæritur. Quotuplex sit *munus, seu pretium simoniacum.*  
*Matthæi Cautela Confess.*

Resp. Triplex: à manu, ab obsequio, à lingua, *cap. Ordinationes l. q. 1. & d. cap. Salvator.*

*Per munus à manu venit pecunia,* sive numerata; aut credito promissa. Nomine autem pecunie intelligitur quidquid pecunia mensurari potest, estque pretio æstimabile.

Quare incurrunt simoniam per munus à manu. I. Qui pro rebus sacris, à functionibus spiritualibus supra enunciatis quidpiam pretio æstimabile dant, recipiunt, vel promittunt, sive illud detur tamquam pretium, sive tamquam motivum dandi, vel gratuitam compensationem. Si distinctio hæc pretii, motivi, & gratuita compensationis præservaret à simonia, nulla omnino, nisi à viris plumbeis committeretur, & omnis palliaretur. Unde falcem ad radicem posuit Innocentius XI. in *damnat. propos. 45. & 46. De quo lib. 2. cap. 26.*

85. Dices Sacerdotes licitè recipiunt stipendia pro celebratione Missæ, exequiis, processionibus, & concionibus, ergo, &c.

Resp. Stipendia in similibus non recipiuntur tamquam pretium Missæ, exequiarum, & Concionum, sed tamquam honorarium, & per modum voluntariæ oblationis; quæ à fidelibus fit Deo in persona Ministeri; aut per modum subsidii in sustentationem Ministrorum, in gratiam alterius occupatorum.

86. Nec principaliter stipendium intenditur, aliàs esset simonia. Nam venderetur actio spiritualis; Propter quod incurrunt simoniam Canonici, qui Chorum frequentant propter distributiones, tamquam propter finem principale;

(1)

ita

ita D. Thomas quodlibet 8. art. 11. Natalis Alex. Theol. dogmat. 2. lib. 2. regul. 41. de Simon. Videnda est etiam d. prop. 46. ab Innoc. prescripta loco cit. Ideo primario, & principaliter cultus Dei est intendendus.

III. Qui dant, vel accipiunt beneficium cum promissione remittendi debitum; vel obligatione ad mutuandum; aut quod nepos recipientis nubat nepoti conferentis; vel conferens constituit pensionem in beneficio, quod confert, alias non collaturus, vel simile onus collationi beneficii adnectit. Magol. sum. moral. p. 1. Decalog. exposit. 3. precept. 9. unic. de profanatione rei sacre per simon. art. 2. §. 1.

IV. Qui beneficium resignat sub onere pinguioris pensionis absque licentia Papae, vel praemisso pacto de redimenda pensione, vel procurandi aliud beneficium: Imponitur enim onus pretio aestimabile.

V. Qui de beneficio litigantes, jus mutuuum emunt: pecunia enim parant sibi viam ad rem spiritualem.

87. Caterum, licet vexationem pecuniam redimere, ut concordat DD. cum D. Thoma 2. 2. q. 100. artic. 2. ad 5. Tunc enim pecunia iniusta impedimenta tolluntur; eaque confertur, sicut daretur, ut quis a predonum manibus se eriperet. cap. Delectus il. 1. de simonia, cap. Quasi sum 1. qu. 2.

Verum duo hac in re debent concurrere. Unum, quod quis habeat in beneficio jus per collationem acquisitum certum, & indubitatum, seu ipsum pleno jure possideat. Nam in casu cum ei res spiritualis jam competat, eam non

acquirat per pecuniam, sed solum redimit vexationem, & impedimentum iniustum tollit. Si vero circa dubium vexaretur, ut, si collatio, electio, confirmatio, &c. esset dubia, vexationem redimere non liceret. Quoniam tunc per pecuniam viam sibi pareret ad jus spirituale, & censeretur illud emere.

Alterum, quod vexatio sit iniusta. Si quidem si justa esset propter eandem rationem non liceret. Idem dicitur, si dubium sit, quod lis sit iniusta, quia super eo Iudex Ecclesiasticus debet pronunciare. Hinc si Praelatus velit aliquem ob delictum Beneficio privare, non licet hanc vexationem pecunia redimere, vel testes avertere; aut alium, qui ejus inidoneitatem velit opponere pecuniam impedire. Nam ipsa remotione impedimenti esset acquisitio rei spiritualis.

Vexationem tamen circa jus acquirendum redimere non licet, quando vexatio opponitur ab his, qui possunt obesse, & prodesse; ab illis nimirum, qui aliquo modo concurrere possunt ad collationem beneficii, & juris spiritualis eligendo, & confirmando, praesentando, &c. cap. Mathaeus, cap. Sicut tuus, & cap. Hoc d. 11. quia hoc est pecunia sibi viam parat ad beneficium, quod absque licentia esse non potest per DD. Majol. cit. art. 2. §. 1.

VI. Incurrunt, qui accipiunt beneficium cum onere restituendi pecuniam, quam resignans in illius allocatione expenderit, ut in expeditione Bullarum. Quilibet enim de jure tenetur proprias litteras solvere.

VII. Qui resignat beneficium ea lege, ut resignatarius donum resignantis e-

mat,

mat, vel conducatur, aut simile onus imponit.

VIII. Qui litigantes super possessorio alicujus beneficii pacis causa conveniunt, ut unus beneficium, & alius pensionem super beneficio habeat, *cap. Constitutus de transact.* In beneficiis enim transactiones jure canonico prohibentur. Alios casus vide apud DD. & redibit sermo *lib. 2. cap. 26.*

88. Per *munus ab obsequio* venit omne hominis opus ad usum, & utilitatem alterius ordinatum. Quare, quia ministri pecuniaria mercede conducuntur, ileo perinde est dare rem spiritualement pro aliquo obsequio exhibito, vel exhibendo, ac eam conferre pro pecunia. Nam illud obsequium est pretio estimabile.

Propterea simonia est. I. Beneficium conferre alicui in recompensationem obsequiorum jam exhibitum; ut si Episcopus ad recompensanda obsequia præterita conferat beneficium famulo, qui propterea ei absque salario, vel valde diminuto inservit.

II. Conferre beneficium in recompensationem servitii exhibendi in futurum.

III. Simoniaci censentur Clerici, qui Prælati obsequium temporale exhibent, præcipue, & principaliter, ut beneficia obtineant. Ideo de hoc serio cogitent, & ponderent, qui Prælatorum sunt ab obsequiis, an principaliter intendant beneficia obtinere, cave spe id agant.

IV. Simoniæ per *munus ab obsequio* rei sunt, qui sua obsequia exhibent iis, quos noverint apud collatores valere eo sine, ut per ipsorum favorem beneficia

consequantur, etenim obsequia mediate ordinantur ad rem spiritualement allequendam.

Cæterum simonia non est, Prælatum conferre beneficia propter exhibita à Clerico officia in utilitatem Ecclesiæ, vel auxilium ministrorum ipsius, nam per hæc devotionis officia obsequens redditur dignus; & si gratis inserviat, redditur dignior, quia in obsequium Ecclesiæ impendit personam, & pecuniam, quam potuisset sibi per obsequia alteri exhibita lucrari.

89. *Munus à lingua* comprehendit laudes, adulationem, preces, & intercessionem apud beneficiorum collatores. Sic est simonia, conferre beneficium ad preces pro indigno porrectas. Nam tunc collator non movetur ex dignitate, & merito provisi ad dandum beneficium, sed ex precibus exhibitis per modum pretii: *ut do preces, ut des beneficium.* Item beneficium dare propter ipsas preces conducentes ad utilitatem temporalem collatoris, nimirum ut precantis gratiam, & favorem sibi acquirat.

Si verò preces pro digno porrigantur, non est simonia eidem beneficium conferre, quia adest ex parte subjecti debita causa; dignitas nimirum, & meritum conferendi beneficium. Cæterum potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem.

Ita, ubi quis pro se rogat, ut obtineat curam animarum: ex ipsa præsumptione redditur indignus, & sic preces sunt pro indigno; licet tamen potest aliquis si sit indigens pro se beneficium Ecclesiasticum petere sine cura animarum.

rum. D. Thom. cit. artic. 5. Vide, quæ dixi offic. cur. Ecclesiast. cap. 50.

## §. VI.

*Confidentia beneficalis, seu simonia fiduciaria.*

90. **Q**uæritur. *Quid sit hac confidentia beneficalis, vel simonia fiduciaria?*

Resp. Est conventio tacita, vel expressa, ut is, cui beneficium confertur, vel resignatur illud ipsum post aliquod tempus in aliam certam personam transferat; aut fructus beneficii, vel partem ipsorum ab alio percipi sinat, aut pensionem solvat. Ita DD. communiter.

Huiusmodi confidentia est pessimum simoniae genus, ad quod eradicandum Pius IV. edidit const. *Romanum Pontificem*, la 85. Bullar. to. 2. & aliam B. Pius V. *Intolerabilis*, la 85. ibid.

91. Committi potest, per *accessum*, *ingressum*, *regressum*, *fructuum concessionem*, vel *solutionem pensionis*, ut ex d. const. B. Pii. & ex Trid. *ss. 25. cap. 7. de ref.* ubi damnat *accessum* & *regressum*, utpotè referentes imaginem hereditariae successione.

Per *accessum* contingit, cum quis alteri beneficium procurat, & confert, cum certa confidentia, conditione nimirum, vel lege, tacita, vel expressa, quod postea per resignationem provisi, ad idem beneficium ipsemet conferens, vel procurans, aut alii per eos designati, vel designandi accedent.

Per *regressum* contingit, ubi quis beneficium jam adeptum alteri renunciat,

cum conditione, quod per resignationem, ab accipiente factam, ad idem beneficium ipse, vel alius à se designatus, aut designandus redibit.

Per *ingressum* verò contingit, ubi quis post collationem beneficii ante possessionem illud alteri renunciat cum spe, & pacto, ut hic postea eidem, vel alteri ab eo designando, ad idem beneficium ingressum aperiat dimittendo beneficium.

Per *concessionem fructuum*, vel *solutionem pensionis* contingit, cum quis alteri confert, vel resignat beneficium cum pacto, ut accipiens ei, vel alteri à se designando concedat fructus beneficii, vel illorum portionem, aut ex illis pensionem solvat. Legendat textus Constitutionis B. Pii §. 3. & Layman. *Theol. moral. lib. 4. tr. 10. cap. ult. §. 8.*

92. Observandum hic est ex Natal. *Alexand. Theol. Dogmat. 2. lib. 2. artic. 5. regula 9.* Et Abellii *medul. p. 2. in append. de stat. Cleric. art. 3. q. 2.* Quod resignare, vel conferre beneficium alicui in confidentiam, hoc est, ex intentione illum obligandi, ut post aliquod tempus propinquo, vel amico resignantis, aut conferentis, aut cuius alteri dimittat, aut ut pensionem ex eiusdem fructibus alteri solvat, vel fructus percipere sinat, est simonia confidentiæ mentalis: si vero intercedat pactum, verbo, nutu, scripto, vel facto per se, vel per alium significatum, est simonia confidentiæ realis, qua inferat pœnas d. const. ex dicendis *lib. 2. cit.*

Regulas, & præsumptiones cognoscendi, & plenè probandi in foro externo confidentiam, ubi de hac dubium esset,

set, statuit idem B. Pius d. *conf.* In foro autem interno penitentia non est presumptione agendum, nec conjecturis iudicandum, sed secundum confessionem penitentis, qui simul est testis, reus, & actor adversus se ipsum.

93. Sed quæri potest. *An simonia confidentia sit resignare alteri pensionem cum pacto, quod resignatarius resignanti usque ad suam vitam permittat fructus pensionis accipere?*

Quamvis plures negent, pensiones non esse beneficia Ecclesiastica. Nos tamen concedimus; etenim, licet pensiones non sint beneficia Ecclesiastica in sensu stricto; tamen videntur sapere naturam beneficii Ecclesiastici, ut ex Fagnan. in 2. ad cap. *Ad audientiam* il. 2. *num. 58. de rescript.* Sed his in nomine non est ponenda. Certè pensiones non sunt quid merè temporale, sed spiritali adnexum, supponunt Clericatum, & dantur propter officium, ex dictis *supr. num. 76.* Et proinde in pensionibus committitur simonia, sicut in beneficio. Tum quia, licet non sint verè beneficium, veniunt tamen appellatione rerum Ecclesiasticarum, unde fructus pensionis ad vitam vendi nequeunt, ut *ibid.* observat Fagnan. *à num. 115.*

94. Sed quid, si quis à Papa obtinuerit facultatem resignandi nepoti, vel alteri pensionem, & ipse sibi reservaret perceptionem fructus, ad quod facultas non extenditur.

Resp. In casu simoniam committit, non propter resignationem, utpotè auctoritate legitima factam, sed propter illam reservationem. Tum quia pensiones omnes in similibus sunt prohibita. Tum

quia pensionario imponit onus pretio aestimabile, eidemque censetur pensionem eo onere vendere, & ita in contingentiæ facti consultus respondi.

Ita, simoniam committit is, qui pro pecunia sine auctoritate Pontificis pensionem redimit, *ibid.* Fagnan.

Item, qui auctoritate Pontificis alteri resignat pensionem, sed ad facilitiorem, & tutiorem solutionem sine Pontificis auctoritate convenit cum resignatario de aliqua hypotheca, aut fideiussione, vel ut anticipatè solvat. Ratio est, quia totum hoc pertinet ad pacta simoniaca jure canonico prohibita: & obligatur pensionarius ad id, quod jure non inest, eique imponitur onus pretio aestimabile. *Abellii Sum. p. 2. de stat. Cleric. art. 3. qu. 2. & Majol. c. 4.* Quare regula generalis est, in resignationibus omne pactum de onere temporali, quod rei spiritali est adnexum, licitè fieri non potest absque legitima auctoritate superioris.

95. Quæritur, *An sit simonia resignare beneficium in favorem tertie persone absque confidentia, & spe, ac pacto, quod ille, in quem resignatur, servet illud, vel fructus illius pro ipso collatore, aut famulis, vel consanguineis, aut illius amicis?*

Resp. Nonnulli id negant ex defectu pacti, quamvis concurret declaratio affectus solius, ut beneficium conferatur tali personæ.

Contra quos est constitutio B. Pii *incip. Quantala* 58. *ibid. ubi §. 3.* declaratur, quas, quorum, & quo casu possint Episcopi admittere resignationes beneficiorum. Et §. 4. præcipit, ne resi-

gnantes aliqua ratione successores in beneficiis designent. Prohibetque omnis promissio, & pactio inter ipsos, & Episcopos, ac alios facultatem habentes admittendi resignationes de assumendis designatis.

Quare quævis resignatio facta cum conditione, qualitercumque explicata, siue admilla, est invalida, & simoniaca, si fiat coram Ordinariis, aliisve Prælati, inferioribus Summo Pontifice, ut §. 5. & §. 6. in contrafacientes infliguntur pœna, de quibus d. lib. 2. cit. agendum est. De forma publicandi resignationes beneficiorum in Curia, vel extra, est const. Greg. XIII. *Humano la 85. ibid.*

## §. VII.

*Summa casuum reservatorum in Bulla Cœna.*

96. Bullam Cœnæ descripsimus supra *cap. 3. nu. 1.*

97. Casus reservati in Bulla Cœnæ summam referuntur.

In primo Canone excommunicantur *Hæretici omnes, Schismatici, eisque credentes, receptatores, fautores, ac defensores, ipsorumque scienter legentes, vel retinentes, imprimentes, ac defendentes libros hæresim continentis, vel de Religione traellantes.*

98. In 2. Appellanti à Papa ad futurum Concilium, ac dantes auxilium, consilium, aut favorem.

Nota. Id esse Pontifici injuriosum, nam, cum sit supra Concilium, nec superiorem in terris habeat, sine ipsius injuria

non potest id fieri: appellatio enim fit ad majorem: de quo lib. 3.

99. In 3. *Pyrata, Corsarii, & Latrunculi maritimi, in mari Papa à Monte Argentario ad Terracinam, ac ipsorum fautores, receptatores, & defensores.*

Nota. Pyratam idem esse, ac prædonem marinum, ex proposito, & non coactè percurrentem mare Pontificium, intentione furandi, licet aliqua præda non sequatur, quia Bulla censurat Pyratas, & non exigit prædam. Excusantur, qui deprædantur ligna inimicorum, quicum suo Principe bellum habent, eosque armis, & victualibus privant, ad eorum viam minuendam.

100. In 4. *Naufragantium Christianorum bona in mare generaliter, vel in litore ipsius surripientes.*

Nota 1. Per ly *Christianorum*, excludi surripientes bona Turcarum, aut Gentilium, & Hæreticorum, quia non præsumitur Bulla edita in protectionem hostium fidei. Sed sine peccato non possunt surripi; videntur etiam excludi bona Pyratarum, quia æquiparantur hostibus fidei, nec lex censetur patrocinari eis, qui contra legem faciunt.

Non peccat, qui præfata bona accipit, ut seivet proprio Domino, aut ad loca deferat, in quibus de mandato Principis servantur, ad effectum, ut Dominis restituantur.

Nota 2. Excommunicari surripientes bona Infidelium, existentia in navibus fidelium, per fideles licitè assecurata: ratio datur ex intentione legis, qua fideles protegit, ne præjudicium, & damnum reportent; fidelibus in casu bona peri-

perirent, & ad eos spectaret perquirere, recuperare, & compensare.

Nota 3. Non excommunicari, qui bona in litore, vel mari spontè à Domino relicta, surripit; nam de isto non potest dici, quod surripiat in damnata Domini.

Nota 4. Censuram extendi etiam ad fautores, & adjuvantes raptorem, qui in Bulla implicite, & virtualiter nominantur; nam, qui faver, etiam raptor dicitur; & qui adjuvat ad furtum, fur reputatur, & pœna furti punitur. Sum. Leand. ver. Bulla Cœna num. 2.

Ignorantia, non culpabilis, vel, quod ea sint bona fidelium naufragantium, vel, quod illud sit sub censura prohibitum, potest excusare; verùm, dum ignoranter surripit, cognoscit esse bona naufragantium fidelium sub censura prohibitum, statim innodatur, nisi restituat, vel restituendi animum habeat, Pueronus cap. 4. in Bullam Cœna à num. 52.

101. In 5. Omnes imponentes in suis terris pedagia, seu Gabellas extra casus à jure, vel ex Sedis Apostolica licentia permisso; eadem augentes, vel exigentes, auferri, vel prohibita imponi.

101. In 6. Omnes falsificantes literas Apostolicas, seu Papa, vel Card. Vice-Cancellarii, aut hujus Gerentis vices, aut falso publicantes, & etiam falso signantes.

Nota, cum falsificare, qui veras literas Papæ ab earum sincera veritate mutat, & variat ab eo sensu, quem habebant, sive per rasuram contingat, sive per literarum mutationem. Item, qui veto sigillo literarum Apostolicarum ad falsas utitur, vel falso ad veras: vel inficio, aut invito

eo, ad quem spectat, literas conficit, & expedit.

103. In 7. Deserentes, seu transmittentes ad Infideles, Turcas, Paganos, Judæos, &c. vel Hereticos, nominatim declaratos, arma, equos, ferrum, &c. bellica instrumenta, lignamina, Canapem, funes, &c. & alia, quibus Christianos, & Catholicos impugnant; nec non eos, qui per se, vel per alios, eos in Catholica Religione, & Christianorum permiscem certiores faciunt de rebus, statum Christiana Republica concernentibus: illis, que ad id auxilium, consilium, & favorem quemodolibet præstant.

Nota 1. Prohibitum esse deferre ad hostes fidei, quæ ex natura sua, & principali intentione, juxta communem Gentium consuetudinem, ad usum pugnae assumuntur & ad bella sunt apta, quibus impugnant Christianos, hoc est, impugnare solent; & ideo, etiam extra tempus belli prohibentur. Quædam alia, quæ hujus naturæ non sunt, sed indifferentia, tempore pacis licite eis venduntur, at tempore belli sunt prohibita.

Nota 2. Excommunicari, qui eis revelant, eosque certiores reddunt de pertinentibus ad statum Religionis Christianæ, ut Christiana est. Similiter, qui eis mittunt folia, vulgò Avvisi: maximè ex Urbe, plena mendaciis, aut, etiam contentia vera de Romana Curia, sed in damnum Religionis Christianæ; & Pasquinatas, quæ solent, vacante Sede, contra Collegium, vel aliquem Cardinalium componi; id enim in contemptum, & derisionem Christianæ Religionis apertissime cedit.



104. In 8. *Omnes impediētes, qui vi-  
Etualia, seu alia ad usum Romana Curia  
necessaria deferunt; & prohibentes ne ad  
ipsam afferantur; aut per se, vel per alios,  
defendentes, qui sic impediunt, prohibent,  
& perturbant.*

Nota 1. Principem, seu Gubernato-  
rem, qui, pœnis appōitis, prohibet,  
ne quis extrahat à sua ditione triticum,  
vinum, &c. quia indiget, non ligari  
censura, licet inde sequatur, quod ad  
Urbem non ferantur; ratio est, quia ta-  
li modo intendit providere necessitati-  
bus sui populi; sed, si sine justa causa  
impediret, vel specificaret, ne ad Ro-  
manam Curiam adducerentur, quia id  
esset in odium Romanæ Curia, quæ tali  
lege offenditur.

Nota 2. Nomine Romanæ Curia intel-  
ligi Sedem Apostolicam, seu Audien-  
tiam Papæ, constantem ex ipso, Cardina-  
libus, Prælati, Auditoribus, & aliis Judi-  
cibus, ac ex omni genere Officialium, Fa-  
miliarium, Litigantium, &c.

105. In 9. *Qui per se, vel per alios ad  
Sedem Apostolicam euntes, vel ab ea rece-  
dentes, spoliant, mutilant, capiunt, interfici-  
unt; & qui sine jurisdictione vexant  
commorantes in Romana Curia.*

Nota 1. Incurrere excommunicationem  
etiam, qui interficiunt, &c. venien-  
tes ad Papam, non tanquam ad Papam,  
sed tanquam ad Principem temporalem.  
ut ab illo officium temporale consequan-  
tur, quia nomine Sedis Apostolicæ intel-  
ligitur Romana Curia, quæ non solum si-  
gnificat audientiam Papæ spirituales,  
sed etiam temporalem.

Nota 2. Venientes, reputari, qui ad  
Curiam Romanam occasione negotii ibi

pertractandi, accedunt; recedentes ve-  
rò, qui, illis expeditis, ad propria revertun-  
tur.

Nota 3. Offendentes Hæreticos acce-  
dentes ad Romanam Curiam, vel ob  
conversionem, baptismum, aut alium  
spirituales finem, aliudve negotium,  
vel habentes saluum conductum, & pos-  
tea recedentes, ligari censura. Idque  
ob honorem Sedis Apostolicæ, ad quam  
omnibus debet aditus patere; & propter  
verba Bullæ, quæ loquitur sine distin-  
ctione.

Nota 4. Episcopum, vel alium Præla-  
tum, qui contra sibi subditum, in Curia  
commorantem, ob aliquod negotium  
apud Sedem Apostolicam expediendum,  
(istienim sunt morantes in Curia) præ-  
fata exercent, censura ligari: nam tunc  
est sub protectione Papæ, & gaudet pri-  
vilegio venientium ad Sedem Apostoli-  
cam; & aliis præfati jurisdictionem sibi  
usurpant.

106. In 10. *Vulnerantes, mutilantes,  
interficiētes, depradantes, detinētes, ca-  
pientes Romipetas, seu Peregrinos, ad Ur-  
bem causa devotionis accedentes; & in ea  
morantes, vel ab ipsa recedentes, & in  
his dantes auxilium, consilium, vel favo-  
rem.*

Nota 1. Poni vulnerationem distin-  
ctam à mutilatione, quia vulneratio est  
apertura in corpore; aliquo instrumento  
facta: mutilatio verò est membri à cor-  
pore separatio.

Nota 2. Difficultatem esse, an ad in-  
currendam excommunicationem necesse  
sit offendere Romipetas, quæ tales sunt,  
seu quatenus accedunt ad Urbem causa  
devotionis? Videtur resolvendum affir-  
mati-

mativè; unde excusatur Romipeta, qui ex subita rixa socium vulnemat; nam non censetur ipsum offendere, ut Romipeta formaliter est, intendens peregrinationem impedire, vel in peregrinationis odium.

Nota 3. Romipetam, dum alia non habetur notitia, eum præsumi, quicum baculo, & Peregrinatorum habitu est in via, quæ Romam ducit.

107. In 11. *Interficietes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Legatos, Nuncios, aut eos à suis Diocesis, territoriis, terris, seu dominiis ejicientes necnon mandantes, vel ratâ habentes, seu præstantes in his auxilium, vel favorem.*

Nota 1. *Percutere* esse idem, ac cum dolore cedere, seu vulnerare: ut, pulsare, manu, pugno, virga, baculo, saxo, flagello, fune, &c. *Carcerare* idem est, ac custodire aliquem in loco tuto, ut non possit arbitrato suo exire; *Mutilare* idem, ac abscindere, seu truncare membrum, ita ut maneat à corpore separatum, ut manum, pedem, oculum, aurem, &c. *Vulnerare* est discontinuare partes carnis ferro, ligno, &c. *Interficere* verò est hominem, violenti actione, vita privare. *Hostiliter insequi* idem est, ac aliquem injustè insequi animo nocendi, ipso advertente, seu fugiente. *Ejicere* verò non est aliud, quàm aliquem antea receptum expellere.

108. In 12. *Qui per se, vel per alios, Personas, sive Ecclesiasticas, sive Sa-*  
*Maurinenci Cantela Confesi.*

*culares ad Romanam Curiam pro negociis recurrentes, vel inibi propter eadem commorantes, Procuratores, Advocatos, Agentes, Auditores, negotiorumque Gestores, vel Judices super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum occidunt, seu quovis modo percutiunt, bonis spoliant; vel per se, vel per alios, directè, vel indirectè consilium, auxilium, vel favorem præstant.*

Nota, non ligari censura, qui aliquem ex præfatis occidit &c. si ex aliis motivis, & occasionibus, & non propter causas, & negocia, quæ habet in Curia, occidat; ratio est, quia in præfato casu cessat formalis ratio Legis.

109. In 13. I. *Appellantes à gravamine, vel futura executione literarum Apostolicarum ad potestatem Sacularum.*

2. *Impedientes earumdem literarum Apostolicarum, seu causarum spiritualium executionem: aut confici instrumenta super dictarum executione: aut confecta, ne Parti tradantur.*

3. *Percutientes, vulnerantes, carcerantes, detinentes, ejicientes ex Civitatibus, Regnis, & locis: bonis spoliantes: & comminantes per se, vel per alium publicè, vel occultè Partes, seu Agentes, Consanguineos, Affines Familiars, Notarios, Executores, & Subexecutores literarum, citationum, &c. Monitoriorum, &c.*

4. *Prohibentes quibusvis ne ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, ne à Sede literas impetrent, seu impetratis utantur.*

(K)

6. Pra-

6. *Præsumentes apud se, aut Notarios, seu Tabelliones eas literas retinere.*

110. In 14. I. *Omnes, qui, auctoritate propria, causas spirituales, seu spirituales annexas ad se avocant, ab Auditoribus, & Commissariis Apostolica Sedis, & ab aliis Judicibus Ecclesiasticis.*

2. *Qui impediunt cursum earum, ac Personas eas prosequi volentes.*

3. *Qui se interponunt, tamquam Judices, in cognitione dictarum causarum.*

4. *Qui compellunt Partes actrices, quas causas predictas Judici Ecclesiastico committi fecerunt, ad revocandas citationes, inhibitiones, & alias literas, decretas in huiusmodi causis.*

5. *Qui compellunt easdem Partes ad faciendum eos absolvi a censuris, contra quos emanarunt inhibitiones.*

6. *Qui impediunt executionem literarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, aut decretorum quomodolibet.*

7. *Et prestantes favorem, consilium, aut assensum.*

111. In 15. I. *Omnes Judices Laici, qui quovis modo directe, vel indirecte, vel ex suo pratenso officio, aut ad instantiam Partis, vel aliorum quorumcumque trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant trahere Personas Ecclesiasticas ad suum Tribunal, Audientiam, cancellariam, Concilium, vel Parlamentum.*

2. *Et facientes statuta, pragmaticas, & quavis alia decreta, quibus Ecclesiastica libertas laeditur, seu restringitur, aut prejudicatur juribus Sedis Apostolica, vel aliarum Ecclesiarum.*

Nota, Canonem loqui de Judice, qui, sive sponte, motu proprio, & nemine

instante, seu ex proprio officio, vel ad instantiam Partis recurrentis ad eum, trahat Personam Ecclesiasticam ad suum Tribunal, id agit; ideò ex vi hujus Canonis privata persona non excommunicatur.

112. In 16. I. *Impedientes aliquo modo Praelatos Ecclesiarum, & Ecclesiasticos Judices, ne sua Jurisdictione utantur.*

2. *Recurrentes ad Curias Saculares post Ordinariorum, aut ab eis Delegatorum sententias, ac seludentes Fori Ecclesiastici Judicium.*

3. *Procurantes à Curia Saculari prohibitiones, & mandata, etiam poenalia contra sententias predictorum.*

4. *Decernentes tales prohibitiones.*

5. *Procurantes ea mandata exequi.*

6. *Dantes auxilium, consilium, patrocinium, & favorem in eisdem.*

Nota 1. *Judicem Ecclesiasticum posse triplici modo impediri, ne utatur sua Jurisdictione. 1. ut non incipiat exercere, quæ ad Jurisdictionem spectant; 2. ut non prosequatur, & executioni mandet ea, quæ judicavit; 3. ut revocet ea, quæ perfecit, & executus est; quodlibet ex his sufficit ad incurendam censuram; sive quis impediatur Judices Ordinarios, sive Delegatos; etiam si sit in causa mixti Fori, quando Ecclesiastici prævenerunt; nam hi tunc jure agunt; consequenter injustè impediuntur.*

Nota 2. *Procurare esse directè petere, seu quarere, aut indirectè inducere, ut decernantur, vel executioni dentur prohibitiones.*

Nota 3. *Patrocinium hic significare defensionem judicialem, quæ fit per Ad-*

voca-

vocatos, vel Procuratores, dum in iudicio probant, aut sustinere volunt, recursum fieri posse, aut potuisse, vel prohibitiones, & mandata decerni. Pueronius ad *Can.* 16. num. 52.

113. In 17. *Qui iurisdictiones, seu fructus, redditus, vel proventus, pertinentes ad Papam, & Sedem Apostolicam, aut quascumque Ecclesiasticas Personas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum usurpant, aut sequuntur sine licentia Romani Pontificis, aut aliorum, ad id facultatem habentium.*

Nota 1. Excommunicari, tam Ecclesiasticos, quam Laicos usurpantes; ratio est, quia Canon loquitur generaliter, nec distinguit.

Nota 2. *Usurpare* strictè, & formaliter sumptum, actionem significare, qua quis aliena, non tanquam aliena, sed tanquam propria, & debita, sibi adscribit. Et propterea DD. excusant à censura Latrones furantes, vel rapientes fructus, seu proventus Ecclesiarum; nam Fures non rapiunt prædicta bona, ut sua, sed potius, ut aliena. *Cajetanus.*

114. In 18. I. *Omnes, quicumque sint per se, vel per alios imponentes absque licentia Romani Pontificis Onera, Collectas, Decimas, Taleas Clericis, Prelatis, ac aliis Personis Ecclesiasticis: & eorum Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, bonis, fructibus, redditibus.*

2. *Exigentes prædicta tributa, & onera.*

3. *Recipientes dicta tributa, & onera imposta, etiam à sponte dantibus.*

4. *Faciendes exigere, seu imponere.*

5. *Dantes consilium, auxilium, vel favorem.*

Nota, sub dispositione comprehenduntur etiam bona Patrimonialia Clericorum,

115. In 19. Excommunicantur I. *Magistratus, Iudices, Notarii, Scribae, Executores, Subexecutores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus, contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali S. Sedis licentia.*

2. *Extendentes huiusmodi licentias ad casus non expressos: vel illis abutentes, si ve fuerint Consiliarii, Senatores, Praesidentes, Cancellarii, Vice-Cancellarii, & quovis alio nomine nuncupentur.*

116. In 20. I. *Præsumentes invadere, destruere, occupare, detinere per se, vel alium, directè, vel indirectè, terras, bona, & jura Romana Ecclesie in totum, vel in partem.*

2. *Usurpantes, perturbantes, retinentes Supremam jurisdictionem in illis, Romana Ecclesia, & Pontifici competentem.*

3. *Adherentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem præstantes.*

Nota 1. *Invadere* esse vi, & armis locum aggredi, intrare, percurrere, infestare, & quocumque modo lædere.

Nota 2. *Destruere*, idem esse, ac diruere, demoliri, devastare; quod propriè refertur ad aedificia, propugnacula, arces, & mænia; & fit instrumentis bellicis, tui-na, & incendio; verùm censuram incur-

(K) 2

retet

reret, qui incenderet campestria cum arboribus.

Nota 3. *Occupare* idem esse, quod possidere, & usurpare: quod ad immobilia refertur solet; in mobilibus enim est rapere; unde censuram incurrit, qui occupat, & possidet locum, etiam spontaneo deditum.

Nota 4. *Detinere* significat occupatum, sive à se, sive à alio, retinere sibi, nec restituere, nec relinquere.

Hæc sunt compendiosè hic reddita ex ipso textu Bullæ, editæ à S. S. D. N. Clemente XI. ut Confessarius ipsis instructus ab absolutione eorum abtineat, cum sint Pontifici reservata, ut ex adductis liquet: sed vide Bullam.

### CAPUT IX.

Prop. XIII. ab Alex. VII. &c.

Approbatio ad Confessiones.

1. **PROP. 13.** *Satisfacit præcepto Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo presentato, sed ab eo iniuste reprobat.*

Non est dubium Authores propositionis putasse Regularibus, ad valide excipiendas secularium Confessiones, non esse absolute, & in omni casu, extra mortis articulum, necessarium ab Episcopis cum effectu approbationem obtinere. Sed non modo Regulares, verum & Sacerdotes seculares approbandi sunt per *Trid. sess. 23. cap. 15. de ref.*

2. Queritur, *an idem sit Sacerdotem esse approbatum ad Confessiones excipiendas, ac habere jurisdictionem in penitentis?*

Resp. Negativè, nam diversa sunt approbatio, & jurisdiction; illa aliud non est, quam testimonium, quo Sacerdos habilis & idoneus judicatur; ad audiendas Confessiones; hæc vero potestas ferendi sententiam in subditum; quam Sacerdos ex vi puræ approbationis non recipit; quippe per hoc, quod quis habilis reputetur, ut Judex esse possit, non sequitur Judicem constitui, eique subditos dari, in quos sententiam pronunciet; ut per se patet, & in casu nostro est evidens; nam, cum Episcopus dicit, *approbamus te*, est perinde, ac si dicat: *declaramus te idoneum esse ad excipiendas Confessiones*, & nil plus; at quando dicit, *damus tibi jurisdictionem*, & licentiam excipiendi Confessiones, est perinde, ac si apertius dicat; *impertimur tibi jus audiendi Confessiones*; seu, *volumus, aut te Judicem constituimus, ut sententiam absolutionis feras in eos, qui in foro penitentia tibi subiciuntur.*

3. Queritur, *cujus nam Ordinarii approbatio necessaria sit; an Confessarii; an penitentis?*

Resp. Confessarii, seu illius Diocesis, in qua Confessio auditur; quod satis indicat textus Concilii: *nullum Sacerdotem posse Confessiones audire, nisi ab Episcopis approbationem accipiat*; ubi, plurali locutione, significat ab Episcopis respectivè, esse approbandum sic, ut non sufficiat in una approbationem obtinuisse, si in aliis Diocesis debet Confessiones excipere, etiam personarum illius Diocesis, in qua quis prius approbatus fuit: ut expressè constat. *Clement. X. Superna.*

4. Sed queritur; *an Parochus possit suum subditum in alia Diocesi in confessione*

ffessione audire sine approbatione Episcopi illius Diocesis?

Resp. Affirmat Fagnan. in 5. ad cap. Ne pro. de poenit. num. 29. & 65. Pialec. Prax. Episc. p. 2. cap. 1. art. 2. num. 5. Barbosa in Trid. sess. 23. cap. 15. num. 20. plures allegans; sed id est contra dispositionem Trid. loc. cit. pondera illud, aut ab Episcopis juxta dicta enim antecedenti: & considera in aliena Diocesi non habilitari per Parochiale beneficium obtentum in propria.

5. Sed quid, an, dimisso beneficio Parochiali, egeat approbatione in propria Diocesi?

Resp. Affirmativè: nam, quemadmodum, statim ac consequitur beneficium Parochiale, modò sit Sacerdos, & non sit suspensus, censetur approbatus, ut possit audire Confessiones in sua Parochia, sic statim, dimissa Parochia, definit approbatio, & facultas. Pialec. ibid. & Barb. nu. 21.

6. At dubitatur, an etiam, cum vigore Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ Confessarius eligitur, debeat esse approbatus ab Ordinario loci, in quo Confessio auditur, an verò sufficiat, quòd fuerit ab aliquo Ordinarie Mundi approbatus?

Resp. Est necessaria approbatio Ordinarii loci, in quo auditur Confessio; de electo vigore Jubilæi patet ex S. Congr. Conc. apud Fagnan. ubi supra num. 18. & 19. & ex clausula, quam literis Jubilæi solent Pontifices adjicere: licentiam concedimus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium, tam Sæcularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti Regularem, ex approbatis à locorum Ordinariis; qui, ideo plurali numero loquuntur, quia

non unius Episcopi approbationem Confessario sufficere volunt, sed plurimum respectivè, & pro Diocesium diversitate, in quibus Confessiones excipiunt. Quæ clausula, etiam expressè non adjiceretur, pro adjecta haberetur, ex alleg. Fagn. ibid. ex S. C.

7. Approbatio necessaria est quoque in electo in vim Bullæ Cruciatæ, ut novissimè Innoc. XII. Constit. cum sicut sub die 19. April. 1700. Qui lapsos in hæresim, nec potest absolvere, ut expressè Gregorius XIII. Constit. Officii, la 37. Bull. 10. 2. April. 1700. vid. Off. sur. cap. 6. num. 11.

8. Queritur, an Regulares, ut absolvantur à reservatis virtute Jubilæi debeant confiteri Sacerdoti approbato ab Ordinario loci?

Resp. Affirmativè, cum Poncio disp. 46. q. 10. conc. 5. num. 138. Quilici q. 5. ar. 4. & juxta expressa in literis Jubilæi: insuper omnibus Christi fidelibus, utriusque sexus, tam Laicis, quàm Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus cujusvis Ordinis, &c. concedimus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Confessarium, tam Sæcularem, quam Regularem, ex approbatis à locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, &c. in foro conscientie, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant. Nota actum facultativum, per verbum possint, expressum, non esse ad eligendum approbatum, vel non, ab Ordinario loci, sed ad eligendum ab eo approbatum, sive sit Presbyter Sæcularis, sive Regularis.

9. Sed est difficultas de Religioso, an egeat licentia sui Superioris ad eligendum Confessarium extra Ordinem?

(K) 3 Resp.

Resp. Affirmativè, juxta disposita ab Urb. VIII. const. in specula 19. Junii 1630. declarante Billam Cruciate, & cetera indulta Regularibus, & Monialibus non suffragari, quantum ad illum articulum eligendi Confessarium independentè à suis Superioribus.

10. Sed quid de Moniali, an vigore Jubilei possit eligere Confessarium, pro alio, & non suo Monasterio, approbatum?

Resp. Negativè, ex præcitata Const. superna Clement. X. ubi: atque approbato pro audiendis Confessionibus Monialium unius Monasterii, minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii; nec minùs eligi potest, qui in eo olim fuerit ordinarius, vel extraordinarius; sed necesse est, ut ab Episcopo iterùm deputetur, vel approbetur, ibid.

11. Quæritur, an quilibet simplex Sacerdos, ab Ordinario loci non approbatus, validè absolvat à venialibus?

Resp. Negativè; nam Concilium ibid. cap. 15. pro excipiendis Confessionibus exigit absolutè approbationem, & non distinguit, an sit mortalium, an venialium Confessio. Confirmatur S. C. Conc. decreto de Communionem quotidiana edito sub die 12. Februarii 1679. approbato ab Innoc. XI. non permittant Episcopi ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario.

12. Quæritur, an Regularis sine sui Superioris licentia ab Ordinario approbatus, eoque invito, validè Confessiones Sæcularium excipiat.

Resp. Quidquid alii dixerint, negativè, ratio est, ut notavit Barbof. in Trid. sess. 23. cap. 15. num. 7. quia censetur Episcopos non approbare Regulares in Confes-

farios Sæcularium, nisi à suis Prælati, saltem interpretativè præsententur, juxta formam Clement. dudum de sepulturis, §. Barimus: quam sanè, quantum ad formam præsentandi, quam habent Prædicatores, & Minores, non esse à Concilio sublatam, ipse tradit cum Roderico resol. 32. num. 3. Aliisque.

13. Quæritur, quorum Sacerdotes Regulares sine approbatione Episcopi possint Confessiones audire?

Resp. 1. Omnium Religiosorum proprii Ordinis respectivè; modò à proprio Prælato sint approbati, quippè, quoad eos, non comprehenduntur in alleg. decreto Conc. sess. 23. quandoquidem ibi loquatur de audiendis Sæcularium Confessionibus.

2. Eorum, qui sunt de familia, & continui commenales, non autem eorum, qui deseruiunt in eorum Monasteriis; Barb. ibid. num. 63. & ex cap. 11. sess. 25. de regul. & tandem apertè Clemens X. in præcitata Const. superna.

De familia autem, & continui commenales, per Donat. prax. Regul. t. 3. tr. 4. q. 7. nu. 3. dicuntur Oblati, seu Donati S. Dominici, & Tertiarii S. Francisci, qui panis ejusdem coloris, quo professi, utuntur, intra Monasterii septa habitant, & dormiunt; proinde in eis contraxerunt domicilium, & stant sub obedientia Prælati, non modo Religioso, & ratione voti, sed modo servili, & ratione muneris serviendi Monasterio; non verò Sæculares, qui in eis domicilium non contraxerunt, & quibus inserviunt, sed stipendio, & salario conducti, & hinc eum cæteris exteris Sæcularibus annumerantur.

3. Non Mulierum Tertii Ordinis, quæ de

de poenitentia vocantur, nisi fuerint ab Ordinario approbati ad Confessiones Personarum Secularium audiendas, ut in terminis præscriptis Sac. Congregat. Episcopor. & Regular. 20. Decembr. 1616.

14. Quæritur, an Sacerdos simplex in articulo mortis validè absolvat?

Resp. Affirmativè, modò non sit præfens approbatus, vide dicta Superiori cap. num. 16.

15. Quæritur, an, cum Religiosus, vel in itinere, vel, alia causa, de licentia Prælati tacita, vel expressa, extra Ordinem confiterur, Sacerdoti Seculari, vel Regulari, debeat esse approbatus ab Episcopo loci?

Resp. Quamvis plures negent, affirmativè cum Vasquez lib. 5. de poen. cap. 4. §. 2. num. 15. de Presbytero Seculari est certum, cum nullius Confessione extra mortis articulum validè excipiat, nisi approbationem, ad formam Trid. ab Episcopo loci obtineat; dubium est de Regulari approbato à suo Prælato: & in hoc etiam tutius est, ut accedat Episcopi approbatio; ratio est, quia nullus dubitat, quin valida sit Confessio Religiosi (de licentia Superioris) facta Regulari alterius Ordinis, ab Episcopo approbato: & in quaestione est, an valida sit, si solum sit approbatus à proprio Prælato Regulari: ergo in praxi nostra sententia alteri est præferenda, nam, cum agitur de valore Sacramentorum, est tutior opinio sequenda juxta dicenda lib. 2. cap. 1.

16. Quæritur, an validè absolvat Sacerdos, qui probabiliter, & ex errore communi reputatur approbatus, & Pavarachus, cum revera non sit?

Resp. Negativè, nam, quamvis in casu plures dixerint Ecclesiam tribuere jurisdictionem ad absolvendum, ex quo inde oriatur titulus putativus cum communi errore; tamen, quòd invalidè absolvat, est sententia probabilior, tutior, ac magis communis. Ut valeant gesta ab eo, qui auctoritatem non habet, non sufficit communis error, sed requiritur, etiam titulus à legitimo Superiori collatus, licet titulus, sit reverà invalidus, ob vitium aliquod occultum, juxta dicenda lib. 2. cap. cit. Et plenissimè scripti offic. cur. Ecclesiast. cap. 3. §. 1. ann. 12. ad 19.

CAPUT X.

Prop. XIV. ab Alex. VII. &c. Præceptum Confessionis.

1. PROP. 14. Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Confessionis.

2. Cum Confessio sacramentalis, integra, nimirum, accusatio peccatorum, facta coram Sacerdote jurisdictionem habente in ordine ad obtinendam absolutionem virtutè clavium, sit in præcepto, videndum est, quotuplex id sit, & quando, & per quam Confessionem quis eidem satisfaciat, itaque

3. Quæritur, quotuplex sit Confessionis præceptum?

Resp. Duplex Divinum, & Ecclesiasticum: utrumque ex Trid. Sess. 14. Can. 6. 7. & 8. & cap. 5. ubi: neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quòd jure divino necessarium, & institutum esse intellexerat; sed, ut præceptum Confessionis.



tionis, saltem semel in anno, ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impletur.

4. Divinum, est impositum omnibus, qui post baptismum lapsi sunt in peccatum mortale, Trid. cit. eodem cap. Quos aliquando per se, & directè obligat, ex vi, scilicet, præcepti ipsius Confessionis, independentè à quocumque alio præcepto extrinseco; aliquando vero per accidens, ex vi alterius præcepti.

5. Quæritur, quando præceptum divinum Confessionis per se obliget existentem in mortali, post baptismum commissum?

Resp. 1. In articulo, vel probabili mortis periculo juxta dicta cap. 8. num. 7. ratio est; quia, si quis tunc non confiteatur, exponit se periculo certo, vel probabili moriendi sine Confessione, & non adimplendi præceptum de Confessione Sacramentali, quod de se malum est; & de hac omissione in sequenti Confessione se accusare debet, quia directè peccat contra ipsius Confessionis præceptum. Layman, lib. 5. tr. 6. cap. 5. num. 5.

6. Hinc Medicis à Pio V. const. incipit Super Gregem 11. Martii 1566. innovante Cap. cum infirmitas de poenit. & remiss. præcipitur, ut relinquunt curam infirmi, quando in tertia die non ostendat fidem scriptam Confessionis factæ, nisi longius tempus infirmo Confessor ob aliquam rationabilem causam, super quo ejus conscientiam onerat, concesserit. Quare Medicus violans const. duplici peccato peccat, & contra præceptum, & contra juramentum, quod emittit de ea observanda. Campion p. 1. cap. 10. nu. 8. tradit Laym. ibid. num. 5. præceptum esse intel-

ligendum, & infirmitas sit gravis, junctâ probabili cum mortis articulo.

2. Cum habetur copia Confessoris, quæ postea prævidetur rationabiliter non habenda, tempore opportuno, sic, ut si quis tunc non confiteatur, verisimiliter non poterit confiteri postea.

3. Ad minus semel in anno, etiam ex præcepto Ecclesiæ: sed, an pluries in anno teneantur, consule DD. interim tibi propono verba Ritualis: quod in peccata facile recidentibus, utilissimum fuerit consulere, ut sapius, puta semel in mense, vel in festis solemnibus confiteantur.

7. Quæritur, quando præceptum divinum de Confessione obliget per accidens?

Resp. Quoties quis debet se ponere in statu gratiæ ex alia quacumque obligatione, ut, cum quis V. G. est sacrificaturus, aut suscepturus Eucharistiam, &c.

8. Est difficultas, an administraturus Sacramentum poenitentia, existens in mortali, teneatur Confessionem præmittere?

Resp. Negativè, nam sufficit, ut per contritionem perfectam se ponat in statu gratiæ: sed, cum quis habet copiam Confessoris convenit, ut confiteatur, ut loquitur Rituale de Sacram. administr. ideo ante omnia Sacramenta commendat Confessionem, cum sit difficilis contritio perfecta. Campion. 2. p. cap. 34. n. 5.

9. Quæritur, an præceptum anni Confessionis per se obliget in Paschate, an solum per accidens, ratione nimirum Paschalis Communionis, quam semper Sacramentalis Confessio mortalium debet præcedere?

Resp. Affirmativè contra Mastrium disp. 12. Theol. moral. qu. 11. art. 2. nu. 40.

Lay-

Layman. *num. 10.* aliosque, ut post Suarez, Azorium, & Sotum dixit Quilici *qu. 16 art. 2. num. 10* scribens ex uniuersali consuetudine Ecclesie, iam legitime præscripta, per se teneri Fideles confiteri determinatè in quadragesima, & præsertim tempore Paschatis. Quæ sententia mihi est certa, ex praxi, tam Pastorum, qui tempore Paschali à Fidelibus suis Confessionem peccatorum exigere solent, quam Fidelium; qui certè, si interrogentur, responderent, se confiteri in Paschate, ut adimpleant Ecclesie præceptum. Propterea confitentur, etiam illi, qui, vel intra annum, etiam sunt confessi, vel ex defectu annorum, aut alia quavis causa, Eucharistiam non sumunt credentes, tunc temporis ad hoc obligari; lege Trid. *cap. 5. cit. in fine.*

10. Et si quaeratur, quantum temporis tempus Paschale comprehendat?

Resp. Illud à Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusiue, iuxta decretum S. Cong. C. *sub die 8 Julii 1644.* confirmatum ab Innoc. X. *7. Febr. 1647.* lege Barb. ad alleg. c. 5. Trid. *nu. 4.*

11. Quæritur, an qui Paschali tempore, iusta, vel iniusta causa, Sacramentalem Confessionem omisit, teneatur postea, cum primum poterit, confiteri?

Resp. Affirmatiue, nam tempus Paschale non est appositum, ut expiret præceptum, sed ad obligationem statuendam, & ne diutius differatur Confessio: discurretur à simili de obstructo ad solvendum debitam in fine anni, à quo non liberatur, ut proximè non soluat, si tunc non soluerit: & toties peccat, quoties, oblata occasione, omittit confiteri.

12. Quæritur, an prouidens toto an-  
Mairbaucchi *Cautela Confess.*

no sequenti, vel tempore Paschali sibi futuram copiam Confessoris, teneatur anticipatò Confessionem peragere?

Resp. Affirmatiue cum Layman. *cit. à num. 9.* Illung. *traët. 6. disp. 4. art. 6. §. 1. num. 138.* & id tutius dixit Gobat. *traët. 6. disp. 4. art. 6. §. 3. num. 138.* quemadmodum, qui die festo prouidet se non posse audire ultimum Sacram, tenetur audire unum ex præcedentibus, quia utrumque tempus uidetur respici à præcepto, quo ad substantiam spectato; verum confessus ante tempus Paschale tenetur etiam tempore Paschali, si possit *uid. lib. 2. cap. 33.* & hic applica.

13. Quæritur, an habens solum uenialia adstringatur præcepto Ecclesiastico de confitendo semel in anno?

Resp. Affirmatiue cum D. Bonaventura, Alense, Riccardo, & Fagnano *in 5. ad cap. omnia de penit. & remiss. num. 14.* quæ in praxi probabilior, & tutior sententia est, nam Ecclesia præcipit, ut omnes fideles singulis annis proprio Sacerdoti peccata sua confiteantur, sed, qui solum habet uenialia, habet materiam Confessionis, sufficientem ad obtinendam absolutionem Sacramentalem à proprio Sacerdote, ergo tenetur præcepto Ecclesie obedire, cum possit; aliàs esset in potestate cuiusque declinare præceptum Ecclesie, asserendo se non habere mortale, & ita aperiretur via figmentis; maxime, quia ad rectam administrationem Ecclesie spectat, ut nulla fiat exceptio, à qua propterea sine exceptione absolute excommunicantur omnes, qui non confitentur semel in anno. Duhamel. *tom. 3. Theol. lib. 4. disert. 3. c. 3. num. 5.*

14. Sed dubitatur, an, qui in Paschate

(L)

Con-

*Confessus est venialia, & postea recordatur alicuius mortalis, tenentur iterum confiteri, ut obligationi satisfaciat?*

Resp. Affirmative, quia per Confessionem venialium satisfecit solum præcepto Ecclesie, ergo, ut satisfaciat, etiam divino, debet confiteri ea, quorum Confessio etiam à Christo est præcepta.

15. *Quæritur, quinam consentur proprius Sacerdos, inquit. cap. omnis utriusque sexus.*

Resp. Qui habet jurisdictionem ordinariam, hoc est, cui ex suo officio incumbit cura animarum, & potest absque delegatione alterius audire Confessiones: consequenter Summus Pontifex, qui in tota Ecclesia est proprius Sacerdos omnium fidelium, Episcopus in sua Diocesi, & Parochus in sua Parochia.

16. *Nota, eum, qui confitetur Regularibus (qui, supposita approbatione Episcopi, licentiam audiendi Confessiones Sacularium habent à Papa, & ita à proprio, & Summo Sacerdote, ut in Clement. dudum & statimus de sepulchris), satisfacere præcepto Ecclesie, ex const. Superna Clementis X. la 7. Bull. to 5. nec tenentur iterum confiteri Parochiali Presbytero: tex. exprel. cap. Vas elect. cons. de heret. inter extravag. eom. in qua in oppositum reprobatur error Joan. de Poliac; vide Fagnan ad cit. cap. omnis num. 57.*

17. *Quæritur, de quibus verificetur illud, postquam ad annos discretionis pervenerint?*

Resp. De omnibus, qui sunt doli capaces, & sciunt discernere inter bonum, & malum; quod, ut plurimum contingit circa septennium, nisi malitia suppleat ætatem cap. de illis, si secundo de desponsat.

*impub. in qua ætate plura patrantur peccata, furti, mendacii, perjurii, &c. cap. Pueris de delict. puerorum, Vid. lib. 2. cap. 33.*

18. *Quæritur, quomodo Confessarius se gerere debeat cum meretrice, quatenus Paschali accedit ad Confessionem, ut satisfaciat præcepto Confessionis annua?*

Resp. Advertat, an sit in actuali peccato, & meretricio: & quatenus invenerit non esse, interroget: à quanto tempore à peccato cessaverit? an domum peccati mutaverit, & alibi, extra occasionem peccandi habitet? meretricias vestes dimiserit? personas de sua vicinia, quibus scandalum præbuit, novæ conversationis edificavit exemplo? si literas amatorias frugerit? imagines amasiorum alienaverit? an alicujus turpi stipendio vivat? si hoc ultimum neget, & super cæteris affirmet: videat, an se accuset de peccatis quoad numerum, speciem, & circumstantias, quantum possibile est.

Quod si petat à Confessario, ut interrogationibus pro exacta Confessione juventur: præmissis communibus interrogetur à quanto tempore fuerit in peccato? si peccaverit cum habentibus votum castitatis, uxoris, & consanguineis? si modo præpostero, in vase non naturali, ad generationem non ordinato? si occidit prolem, & procuravit abortum? si à Religiosis, & filiis familias aliquid accepit? si fuit causa inimicitia, homicidii, & discordiarum? si ad peccandum adhibuit veneficia, præsertim amatoria, superstitiones, &c. si alios, vel alias ad peccandum induxit? interrogetur de impuris cogitationibus, locutionibus, canticis, pollutionibus, &c. de commestationibus, & potationibus;

bu; de Sacramentis, Missis, jejunii negligentiis: de vano, & superfluo ornatu ad alligandum ad peccandum: si eum esset infecta morbo, alios infectis? de præcepto annuæ Confessionis, & Communionis, de excommunicationibus contractis, & similibus: & inspecto ejus dolore, contritione cordis, & proposito efficaci non peccandi de cætero, ac suppositis cæteris ad validam absolutionem necessariis, eam absolvat, & in pace dimittat.

20. Sed quid, si eam inveniat innodatam aliqua excommunicatione Episcopo reservata, vel cum casu ad Sacrum Tribunal spectante?

Resp. Eam dimittere debet ad Episcopum, aut Inquisitores respectivè.

21. Sed quid, si alleget tempus deesse, quia in proximo est terminus temporis Paschalis, in quo Parochus solet testimonium exactæ Confessionis, & Communionis exigere, & idè instet pro absolutione?

Resp. Tunc ad Parochum est dirigenda, ut ipsi Sacramentaliter confiteatur, & videat necessitatem prorogandi tempus, suis ovibus fixuræ ad exhibendum testimonium præfatum; & interim eam instruat super modo recurrendi ad Superiores.

22. Quæritur, an per Confessionem voluntariè nullam satisfiat præcepto Ecclesiæ?

Resp. Negativè, & propositio in terminis damnatur ab Alex. ratio est, quia, qui sic confitetur, non satisfacit, rei præceptæ; nam, tam Christus, quam Ecclesiæ præcipiunt Confessionem veram, sed, qui sua culpa invalidè confitetur, non verè confitetur; & peccat peccato omissionis non

implendo præceptum, & peccato commissionis ob sacrilegium commissum per Confessionem invalidam.

23. Sed dubitatur, an incurrat censuras ab Ecclesiâ impositas?

Resp. Affirmativè, quia illis ligantur, qui non satisfaciunt præcepto Ecclesiæ, sed is non satisfacit.

24. Quæritur, an possit absolvi, qui præceptum Ecclesiæ non implevit?

Resp. Affirmativè, modò sit dispositus, & non fuerit declaratus, vel denunciatus excommunicatus, aut omisso Confessionis, vel censura ei annexa non sit Episcopo reservata.

## CAPUT XI.

Prop. XV. ab Alex. VII. Sc.

Pœnitentiæ Sacramentalis.

1. PROP. 15. Pœnitens, propria auctoritate, substituere sibi alium potest, qui, loco ipsius, pœnitentiam adimpleat.

Hic, occasione propositionis ab Alex. proscriptæ, casus satisfactionem Sacramentalem tangentes ad proxim Confessarii resolvuntur.

2. Quæritur, an Pœnitentiæ, & Sacramentalis satisfactio differant?

Resp. Affirmativè, nam pœnitentiæ in casu, est opus, vel pœna à Confessario contentibus injuncta, ad satisfaciendum in toto, vel in parte, Deo, pro pœna temporali, peccatis remissis debita: quæ, sublata æterna, in hac, vel alia vita plerumque exolvenda remanet, ut Trid. Sess. 14. cap. 8. & can. 15. de pœnit. satisfactio autem est ejusdem pœnæ executio, seu actio

(L) 2

affli-

afflictiva corporis, per quam Deo satisfacimus pro pœna temporali: & solet describi: *est compensatio pœnae temporalis debita, ob injuriam Deo per peccatum illatam, consistens in operibus pœnalibus, & sanctis à Confessario taxatis;* hoc ultimum additur, quia alias non diceretur Sacramentalis, cum nulla actio, vel passio laboriosa hominis penitentis possit dici Sacramentalis, & valens ex opere operato applicare nobis satisfactionem Christi, nisi à Confessario absolvente imponatur. *Campion. p. 1. c. 13. n. 6.* propter quod penitens non potest penitentiam ex se commutari, etiam in melius.

3. *Quæritur, an satisfactio Sacramentalis sit pars integralis, vel essentialis Sacramenti penitentiae?*

Resp. Duplex est satisfactio, alia in re, alia in voto; satisfactio in voto, propositum, scilicet, satisfaciendi Deo offenso, & reparandi meliori modo, quo possit, jus divinum læsum per peccatum, est pars essentialis Sacramenti penitentiae, quia sine eo non haberetur essentia Sacramenti; dum enim contritus, vel attritus integrè confitetur, habet, etiam propositum, saltem implicitum, satisfaciendi Deo pro pœna post absolutionem remanente; satisfactio verò in re exhibita, & actu à penitente exercita, seu à Confessario imposita, non est pars essentialis, necessaria essentialiter ad valorem Sacramenti, & ad remissionem peccatorum, quoad culpam, & pœnam aeternam.

*Non à penitente exercita*, alias verba absolutionis ante executionem penitentiae essent falsa, nec prius remitterentur peccata; *neque actu à Confessario imposita*, quia sapè eam Confessarius non po-

test imponere: maxime eis, qui post peccatam absolutionem, vel factam peccatorum Confessionem, subidò sensibus destituntur, & tamen validè absolvuntur, ut est certum: *vid. l. 3. c. 3. ad prop. 16. & 17.*

4. *Sed quæritur: an ad minus sit pars integralis Sacramenti?*

Resp. Affirmativè, sic DD. communiter ex Trid. *cap. 3. sess. cit.* ratio est; quia, quamvis satisfactio actu exhibita non sit necessaria ad essentiam, & ad primarium Sacramenti effectum, infusionem, scilicet, gratia, & culpa, ac pœna aeternae remissionem, adhuc tamen conducit ad illius secundarium effectum, ad remissionem, nimirum, pœnae temporalis, in quam fuit aeterna commutata: & in hoc sensu dicitur pars integralis Sacramenti, & ad penam, perfectamque peccatorum remissionem pertinere.

5. *Quæritur, quam opera pro penitentia injungi possint?*

Resp. Omnia, quae sunt ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem, Trid. *sess. cit. cap. 8.* præcipua sunt, *oratio, elemosyna, & jejunium.* Ad quae cætera opera satisfactoria reducuntur: *Ad orationem*, omnes actus Religionis interiores, & exteriores in Dei cultum, & honorem elicti, ut visitatio Ecclesiae, recitatio Officii, &c. *Ad jejunium*, omne opus afflictivum, & castigativum corporis, voluntariè susceptum, ut usus cilicii, disciplina, &c. *Ad elemosynam*, omnia misericordiae opera, erga proximum exhibita, ad necessitatem ejus corporalem, vel spirituales sublevandam.

6. *Quæritur, an penitens teneatur sub mortali penitentiam rationabilem acceptare, faciendam in hoc mundo?*

& qua-

*Et quatenus acceptare nolit, possit absolvi?*

Resp. DD. conveniunt pœnitentem teneri acceptare pœnitentiam præservativam, seu medicinalem, ut, si ei præcipiatur V. G. ne ingrediatur domum, in qua est occasio peccandi: quoties blasphemaverit, recitet Symbolum, &c. Sed dividuntur de pœnitentia, ut est satisfactoria pro pœna temporalis; negant communiter Scotistæ, sustinentes, fac esse, ut velit eam in Purgatorio peragere. Contra quos sunt DD. communiter, praxis Ecclesiæ, & Trid. c. 8. cit. ubi, præcipiens Sacerdotibus, ut pœnitentiam pœnitentibus imponant, non solum præservativam, sed etiam satisfactoriam: *habeant præ oculis, inquit, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad nova vitia custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam. & castigationem*, ergo, si Confessarius est præceptum, ut imponant pœnitentibus, ut acceptent, & implent; aliàs Confessarius frustra illam imponere teneretur. Est Confessarius Judex, à Deo institutus cum potestate ligandi, & solvendi, ut ibid. Trid. ergo potest obligare pœnitentem, ut impleat pœnitentiam rationabilem, etiam, ut satisfactoriam, & quatenus nolit eam, vel implere, vel acceptare, mortaliter peccat, & absolvi non potest, quia non præsumitur dispositus, & contritus.

7. Sed quid, si pœnitentia sit levis, imposita pro venialibus, vel mortalibus, alias rite absoluitur?

Resp. Est à pœnitente sub mortali acceptanda & implenda, De la Cruz de Sacram. Pœnit. q. 4. dub. 3. conc. 2. ratio est, quia gravis injuria irrogatur Sacramen-

to, ipsum sua parte integrali, perfectione, & complemento, sine justa, & rationabili causa privare; propter quod dixit, etiam lathale esse, omittere aliquid parum satisfactionis, si illud, quod omittitur, sit totalis satisfactio. Propterea Quilici q. 10. art. 1. nu. 5. resolvit aliquam semper esse imponendam, quamvis præsumatur, quod vir sanctus satisfecerit plenè pro peccatis; aut, si in pœnitente Confessarius intensissimam contritionem videat.

8. Quæritur, quando sit satisfactio persolvenda?

Resp. Quam primò; & debet pœnitens interrogari, an impleverit pœnitentiam præcedentis Confessionis; nec est ipsius confessio ordinariè audienda, nisi prius satisfaciatur, quando differt sine rationabili causa; nam, tunc etiam peccat, & tenetur semper implere: vide Rituale cap. 7. num. 15.

9. Quæritur, an possit Confessarius pœnitentiam sic imponere pœnitenti, ut per se, vel per alium illam impleat?

Resp. Negativè, nec enim excusarem à peccato, neque satisfactio ab alio pro pœnitente facta, foret Sacramentalis, quia non esse actus pœnitentis, nec pro eo satisfactoria, quia peccata exigunt, ut ipsemet peccator pœnam à Sacerdote taxatam sustineat.

10. Quæritur, an pœnitentia ab uno Confessario imposita, possit ab alio commutari, & moderari?

Resp. Affirmativè, ex justa tamen causa, & si id ad salutem spiritualem pœnitentis conducatur.

11. At dubitatur, an secundus Confessarius debeat de novo audire peccata,

(L) 3 pro

pro quibus pœnitentia fuit à primo imposita?

Resp. Affirmativè, sic DD. ratio est quia impositio, vel pœnitentiæ commutatio est actus judicialis, ad integritatem sententiæ judicialis pertinens, ergo non potest fieri extra iudicium, & non cognita causa, ob quam imponi debet; hæc enim est natura iudicii, & sententiæ, ut, incognita causa, & extra forum non feratur; quævis aliter imposita, non foret Sacramentalis. Tutius etiam est, ut ab ipso met Confessario, qui primò imposuit, non commutetur, nisi in Confessione, & de novo peccatauditis, nisi ex incontinenti pœnitens recurat, & notitiam peccatorum habeat.

14. Sed poterit ne secundus Confessarius, non habens jurisdictionem in reservatis, commutare pœnitentiam, pro reservatis à primo Confessario impositam?

Resp. Negativè, ratio est, quia, sicut Secundus prius non poterat de reservatis iudicare, & pœnitentiam imponere, quia jurisdictione carebat, sic, injuncta à Superiore pœnitentia, non videtur posse ejus sententiam moderari, vel mutare.

13. Quæritur, an persolvens pœnitentiam in mortali, satisfaciat pro pœna temporali?

Resp. Affirmativè: nam certe jejunium, in statu peccati mortalis factum à pœnitente, cui pro pœnitentia fuit injunctum, est recompensatio aliqua pro pœna temporali: sive totali, si tanta sit pœna jejunii, quanta erat pœna temporalis solvenda: sive partiali, si non sit tanta; sed non tunc habet effectum remissionis pœnæ, sed postea, ablato obice peccati; quia cum pœnitens sit in peccato, & inca-

pax remissionis pœnæ, nec Deus tunc acceptat satisfactionem, ut pro tunc satisfactoriam, sed relinquit pœnitentem debitorem, donec se reducat ad statum gratiæ.

14. Quæritur, ad quid teneatur, qui oblitus est pœnitentia injuncta?

Resp. Ad repetendam priorem Confessionem dum Confessarius notitiam illius, saltem in confuso, non retineat, ratio est: quia nullus Judex potest ad pœnam ligare, & iudicium ferre, nisi cognita causa; ergo nec Confessarius novam pœnitentiam imponere, nisi pœnitens cum oblivione pœnitentiæ peccata prioris confessionis aperiat. Felix tom. 1. num. 3204.

## CAPUT XII.

Prop. XVI. ab Alex. VII. Sc.

Approbatio ab Ordinario.

1. PROP. 16. Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.

Essè in quovis Sacerdote ad valide, & licite Confessiones audiendas, extra articulum mortis, necessariam Episcopi approbationem, diximus supra cap. 9. super quo Trid. sess. 23. cap. 15. de ref. satis aperte, & generaliter loquitur, & ideo non est opus hic id ipsum repetere, sed ibi dicta videnda sunt.

2. Quæritur, quidnam intelligatur per beneficium curatum?

Resp. Beneficia curata duplicis sunt generis; alia dicuntur curata in sensu proprio, & stricto, & alia in magis lata, & impropria acceptione: secundi generis sunt

ea, quibus annexa est jurisdictio spiritualis, quoad forum externum, & contentiosum; & ea habentes, possunt excommunicare, causas Ecclesiasticas tractare, ac cetera praestare, quae ad correctionem morum spectant; cujus naturae sunt Decanatus, Archidiaconatus, &c. primi vero, illa, quae habent potestatem ligandi, & solvendi in foro poenitentiali, & certum locum, cujus populo, per habentes haec beneficia, debent administrari Sacramenta, & populus tenetur ea ab eis recipere; hujusmodi sunt Parochi, Plebani, & ceteri animarum Rectores, Piassec, prax, *Epis. par. 2. cap. 5. art. 5. n. 12. & 13. Fagnan. in 1. ad c. cum in cunctis n. 5. & seq. de elect.* Decretum Alex. comprehendit tamen habentes beneficia curata, seu curam animarum in sensu rigoroso, quam in improprio; nam absolute, & sine ulla restrictione loquitur; & ideo, nisi approbatus ab Episcopis, potest quis eorum valide confiteri.

3. Quæritur, an Episcopus extra suam Diocesim possit in Confessorem eligere Sacerdotem simplicem, non approbatum ab Episcopo loci?

Resp. Negative, *Fagnan. in 5. decret. ad cap. ne pro dilatione n. 13. & seq. de poenit. & remis. & n. 62. refert S. C. Conc. declarasse privilegium eligendi Confessorem, quod competit Episcopis in vim illius decretalis, non esse sublatum à Concilio, sed nihilominus, eo non obstante, non posse sibi in Confessorem eligere Sacerdotem sibi non subditum, nisi, aut Parochiale beneficium habeat, aut à suo Ordinario approbatus fuerit ad Confessiones audiendas, ad praescriptum dicti cap. 15. ses. 23. & idem tradit, audita relatione Congre-*

gationis, fuisse declaratum à Greg. XIII. hæc ille. Quod extendit, etiam ad Em. Cardinales; & supra n. 53. dixit, habentem privilegium eligendi Confessorem, teneri eum eligere, qui ab Ordinario loci habet executionem, qualis est Curatus, seu ab eodem Ordinario approbatus; quicumque enim alius in praedicto c. 15. Concilii inhabilitatur, & in contrarium privilegia, ac consuetudines, etiam immemorabiles, revocantur.

Et si quæretur, quid eis pro privilegii alleg. cap. ne pro dilatione, eis datum de eligendo Confessario, non possint eligere, nisi approbatus ab Ordinario loci?

Resp. Idem *Fagnan. n. 25. ait, multum prodesse, & legem operari, quod Episcopus Sacerdotem, sic electum, poterit secum ducere, & sic confiteri ubique locorum, etiam extra Diocesim Episcopi approbantis; quod circumscripto privilegio, non liceret. Plura addit videnda, quae referre ad nostram praxim non conducunt.*

CAPUT XIII.

*Prax. XVII. XVIII. & XIX. ab Alex. VII. Sc.*

*Occisio ad defensionem vitæ, & honoris.*

1. PROP. 17. *Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur.*

PROP.



PROP. 18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam fudicem, à quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.*

PROP. 19. *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

Occasione quarum propositionum sequentes casus, & plura homicidio communia, in quinto præcepto decalogi, non occides, prohibita, pro praxi resolvuntur.

2. *Quæritur, quid prohibeatur in quinto præcepto non occides?*

Resp. Omnis iniusta sui, & proximi occisio, mutilatio, & alia quævis violenta sanguinis effusio, & injuriosa læsio in salute corporali: vindicta que appetitus, ac animus nocendi in bonis corporis.

3. *Quæritur, quotuplex sit homicidium?*

Resp. Duplex, voluntarium, & casuale; voluntarium item duplex: unum directè in se volitum, & plenè voluntarium, quod est actio violenta ex proposito assumpta ad se, vel alterum vita privandum; alterum voluntarium, indirectè, & volitum in causa, ut, cum quis aliquid operatur, ex quo facillè poterat, & debebat prævidere homicidium secuturum, quamquam homicidium directè non intendit; ut, si quis, se loquetum explodat in loco, in quo frequenter homines transeunt; vel feminam prægnantem percutiat, ex quo deinde mors foetus animati sequitur.

Homicidium verò casuale est, quod nec directè, nec indirectè est volitum, aut, quod nec dolo, nec culpa commissum est, sed mero casu accidit.

4. *Quæritur, an quis licetè possit se ipsum occidere, vel mutilare?*

Resp. Negativè; nã vel, qui vult se occidere est innocens, vel nocens: si innocens, nullo casu ex proposito sibi licet, prohibente Deo Exodi 23. *Infontem, ac iustum non interficies*: si verò nocens, per sententiam Judicis debet ad mortem damnari: nullus enim est suæ vitæ, & membrorum Dominus, sed solus Deus, qui vitæ, & mortis habet potestatem, *Sapient. 16.*

5. *Sed quæritur, an infirmus teneatur sumere medicinam à medico paratam?*

Resp. Affirmativè, si iudicio medici salus speretur, & aliàs mors sequeretur; quemadmodum cum est sanus ad cibum sumendum obstringitur: verum non tenetur ad quærendos cibos meliores, & medicinas pretiosiores, cum non teneatur ad conservandam sibi vitam omni modo possibili. De la Cruz.

6. *Quæritur, an liceat desiderare sibi mortem?*

Resp. Affirmativè ob bonum finem, desiderio, scilicet, essendi cum Christo, sicut Paulus; & ad vitandam Dei offensam; sed non ad fugiendas hujus vitæ ærumnas, quia majus malum mortis assummeretur ad vitandum minus ærumnarum contra regulam rationis.

7. *Quæritur, an peccet, qui se castrat, vel id fieri à parentibus permittit ad procurandam, vel conservandam vocis suavitatem?*

Resp. Affirmativè, & quidem mortaliter, quia non est Dominus suorum membrorum, & periculo mortis exponitur, cum Poncio *disp. 42. q. 4. nu. 19.* licet Quilici *q. 15. art. 5. nu. 3.* eos cum Tambur. excuset, ob decorem Ecclesiarum, & Chirurgorum peritiam, qui tutò id faciunt sine periculo mortis.

8. Sed quid si quis se castrat, & castrationem procuret ad facilius carnis tentationes vincendas, & servandam castitatem?

Resp. Item mortaliter peccat, cum id medium necessarium non sit ad tentationes superandas, & castitatem servandam, quia utrumque praestari potest, jejniis, aliisque piis operibus; ac oratione à Deo postulari, ut uberiora divinae gratiae auxilia ad id exequendum conferat: nam non ferro, sed Religione quarendam est castitas, per Glos. ad cap. significavit de corp. vii. in verb. obsequium.

9. Quæritur, an licite quis possit ad defensionem propriae vitae iniustum aggressorem occidere?

Resp. Affirmative, sic communiter DD. ratio est, quia id nec lege divina, aut humana prohibetur; quinimò jura, & leges permittunt, vim vi repellere licitum esse, Cap. si verò il primo de sent. excom. aliàs multam perturbaretur Respublica, & nemo posset esse à facinorosissimis hominibus tutus, qui facile aggredierentur quoscumque, si non timerent interfici, aut putarent aggressos non se opposituros, propter metum peccandi.

10. Sed quæritur, super quo sic se defendens debeat à Confessario interrogari, ut videat, an licite, & sine peccato occiderit?

Resp. An ex incontinenti in sui defensionem processerit cum moderamine inculpatae tutelae. Moderamen in hoc consistit, quod major vis non adhibeatur, quam sit necessaria, aut nulla, si alio modo se defendere quis possit; propterea potens se defendere minis, aut verbis, non verberet: si verberibus, non mutilet: si mutilatione non occidat: & si fuga, fu-

*Matthaei Cautela Confess.*

gere tenetur: & si illum excessisse reperias, mortaliter peccasse concludas. Sic occidens per se solum intendere debet se defendere, quod jure naturae omnibus conceditur, quod si deinde mors aggressoris sequatur, est per accidens.

11. Sed quid, si invasus esset vir nobilis, & fuga posset impetum aggressoris declinare, an teneatur fugere?

Resp. Plures negant, eum ad fugam teneri, ex quo hujus conditionis viris sit fuga ignominiosa; verum, nec Nobiles à peccato excusantur, quia in his, quae concernunt salutem animae, Nobiles à plebeis non differunt; & nullus prudens id vitium nobilem dedecere judicabit.

12. Sed potest ne aggressor preveniri, quando quis, aliud refugium ad suam vitam salvandam non habet, & actualis aggressio videtur moraliter praesens?

Resp. Casus est metaphysicus, inverisimile enim est, quod in praxi alia spes refugii non adsit; qui est tantae potentiae, ut preveniendo possit mortem asserre, cui non poterit, etiam sibi cavere, recurriendo vel ad justitiae Ministros, aut Amicorum officia; qualis inter homines abusus foret, si hæc concederetur licentia?

13. Sed quid, si invadens esset in statu peccati, & si interficeretur, perderet vitam aeternam?

Resp. Si ob malum statum invasoris, licite quis non posset iniustum aggressorem, se cum moderamine defendendo, occidere, numquam id liceret, nam semper ob ipsam iniustam invasionem est in malo status; & ideo damnum illud non aggresso est imputandum, qui solum se defendit, sed invasori, cui ipse idem sua malitia, & sine necessitate se exponit, & posset

(M)

posset

posset illud vitare non aggrediendo, vel desistendo.

14. *Quæritur, an liceat innocentem occidere.*

Resp. Negativè, loquendo directè, per se, & ex intentione eum occidendi; nam est intrinsece malum, divina, & naturali lege prohibitum: indirectè verò, & per accidens, quandoque licet, ut in bello justo, quatenus victoria, quæ per se intenditur, aliter haberi non potest, quam per subversionem Civitatis, aut submersionem navis, in qua nocentes cum innocentibus pereunt.

15. *Quæritur, an liceat occidere ban- nitum. cuius occidendi facultas cuilibet à Principe publicè concessa est, taxata, etiam occidenti quadam pecunia summa, vulgò taglia?*

Resp. Affirmant DD. communiter, ratio est, quia, cum Princeps ob bonum commune Reipublicæ habeat facultatem damnandi ad mortem malefactores, potest alius demandare, ut sententiam exquantur, eosque occidant; verum debent plura concurrere, ut id sine peccato fiat: I. Ut occisio fiat ex zelo iustitiæ, non ex privata vindicta: II. Ne fiat pendente appellatione, eo nimirum tempore, quo reus, appellationem à tali sententia banni interpositam, coram Superiore prosequitur: III. Ne extra territorium profcribentis: IV. Ut banaitus non sit parens, filius, frater, conjux, quos occidere natura abhorret: V. Ut non fiat amore pecuniæ, & mercedis taxata. Sed adhuc cum ipsis restrictionibus sententia non videtur in conscientia practicabilis, loquendo de interfectione proditoria, & per insidias, ob periculum damnationis eorum, qui

sic insidiosè necarentur, nam, id Christianæ pietati repugnat. Boyvin de ailib. human. cap. 5. q. 2. de 5. præcept. Decalogi, dico 2. Engel. colleg. jur. can. lib. 5. tit. 12. §. 1. num. 6.

16. *Quæritur, an liceat marito in conscientia uxorem in adulterio deprehensam, vel adulterum occidere?*

Resp. Negativè, & oppositum ab Alex. supra damnatur, ac prohibetur Cap. Inter hic 32. q. 2. ratio est, quia non potest interfici malefactor, nisi juris ordine servato, nec exponi periculo damnationis æternæ; sequeretur autem utrumque, si interficeretur adultera, vel adulter deprehensus in delicto.

17. *Dices leges Civiles similes occisionis permittunt?*

Resp. Dicas, vel eas esse ab iure canonico correctas, vel, quod in foro externo impunitatem permittunt, propter excessum doloris, & iræ; sed hinc non sequitur esse licitum quantum ad legem canonicam, & conscientiam.

18. *Sed quæritur, poteritne adulter licitè contra virum aggredientem se defendere, & cum aliter non possit, eum occidere?*

Resp. Affirmativè, Rozarius Theolog. moral. p. 2. cap. 5. sect. 1. num. 11. ratio est, quia, ex quo adulter det operam rei illicitè, ob quam invaditur, non confertur marito jus eum occidendi, nec ipse privatur iure se defendendi contra injuriam aggressorem, eumque cum moderamine enunciato occidendi: nam in ordine ad eam occisionem, consideratur innocens; ex adulterio solum jus acquirit Princeps, ut eum punire valeat, & propterea cuilibet

bet alteri est prohibitum ipsum, privata auctoritate, occidere.

19. *Quæritur, an ad honoris defensionem, possint licite calumniatores occidi?*

Resp. Negativè, nam Alex. id prohibet; ratio est, quia, si injuria facta consistit in hoc, quod quis vocetur hæreticus, ebrius, fur, spurius, &c. occisio calumniatoris non est medium sufficiens ad illam refarciendam: nam, vel calumniatori non creditur, & sic integer est honor: vel creditur, & sic, licet occidatur, honor non acquiritur, quia id evenisse prudentes judicabunt non ex justitia causæ, & innocentia offensis, sed quia fortior, & ad pugnandum aptior.

20. *Quæritur, an liceat occidere falsum testem, & Judicem, à quo sententia iniqua expectatur, cum alia via non possit quis se tueri?*

Resp. Negativè, pro ut in decreto Alex. ratio est; nam, vel, qui damnatum timet ex falsa testis depositione, & injusta sententia Judicis, potest suam innocentiam ostendere, vel non: si potest non deerunt alia media se ab eis liberandi; & sic occisio non reputatur unicum medium ad impediendam damnificationem, adeoque, neque facta cum moderamine inculpatae tutelæ: si non potest, supplicium non evadet, nam occisio est causa, ut quis majori sit dignus cum se exponat periculo mortis, quæ occidentibus statuitur.

Nec valet, quod occultè occiderentur, quia propter hoc ipsum non licet, ne aperiatur via occultis cadibus, ex quibus adeò perturbatur Respublica, & innocentes damnificantur, qui sæpe aliorum scelerum penas luunt, De procu-

ratione abortus dicendum *lib. 2. capit. 20.* & *ibid. capit. 19.* de occisione ad defensionem rerum.

## CAPUT XIV.

*Prop. XX, & XXI. ab Alex. VII. & Restitutio fructuum beneficiorum.*

1. **PROP. 20.** *restitutio à Pio V. Imposita Beneficiariis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam Judicis, eo quod sit poena.*

**PROP. 21.** *Habens Capellaniam Collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit sua obligationi, si officium per alium recitet.*

Agitur hic non de quavis restitutione fructuum, sed de proveniente ex omissione Officii divini in Beneficiariis.

2. *Quæritur, quid veniat appellatione beneficiorum Ecclesiasticorum, & Capellaniae collativæ?*

Resp. Per beneficium Ecclesiasticum intelligitur jus perpetuum ad percipiendos redditus Ecclesiasticos, ratione spiritualis Officii, Ecclesiastica auctoritate institutum, & Persona Ecclesiastica ab Ecclesia collatum; per Capellaniam vero Collativam, beneficium, quod auctoritate Episcopi erigitur, & confertur, habens annexum onus Officii Divini, nec potest conferri, nisi Clericis, & à Persona Ecclesiastica.

3. *Quæritur, ad quid teneantur Beneficiarii, si legitime non impediti non recitent Divinum Officium?*

Resp. Si post sex menses ab obtento beneficio, Officium divinum non dixerint,

(M) 2 ad

ad restitutionem fructuum, pro rata omissionis Officii, & temporis, (tamquam injuste perceptos, cum eos suos non faciant) Fabricæ ipsorum beneficiorum, vel pauperibus faciendam, ut exprèsse Leo X. in Conc. Lateranen. const. incip. *Superna dispositionis*; quam innovavit, approbavit, & auxit B. Pius V. const. incip. *Ex proximo*.

4. Sed quæritur, quantum sit restituendum?

Resp. Quantum idem Pius alleg. const. disposuit, ubi: *statuimus, ut: qui horas omnes canonicas, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui verò matutinum tantum, dimidiam: qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat.* Si partem notabilem omittat, juxta ratam, & toties ad restitutionem sub mortali teneatur, quoties pars fructuum correspondens omissioni tanta sit, quæ in materia furti culpa mortalis foret, aliàs sub veniali, Bonaccina de Hor. Canonie. disp. 1. quest. 5. punct. 2. num. 13.

Idem dicitur de eo, qui eodem die in singulis horis paucos versiculos omisit, qui simul sumpti gravem materiam constituunt; ratio est, quia datum ob causam, retineri non potest, causa non expleta, sed fructus dantur propter Officium, & jus in eos non acquiritur, nisi recitatione supposita, ergo retineri non possunt, Officio non persoluto; sed Officium non dicitur persolutum, quoad versiculos

omissos, ergo fructus istis respondentes retineri non possunt.

Nec obstat dicere, Pium taxare solum restitutionem pro totius Officii, vel singularum horarum omissione; nam, non idè excludit, vel à restitutione liberat omittentem nonnullos singularum horarum versiculos, qui simul sumpti materiam notabilem constituunt. Ex taxatione quantitatis à Pio facta pro singulis horis, potest prudens Confessorius colligere, quantum restituendum sit pro omissione partis notabilis ipsarum.

5. Quæritur, an beneficiarius sine omni interna attentione voluntarie recitans Officium, teneatur ad restitutionem?

Resp. Affirmativè, Ratio est, quia recitare hoc modo idem est, ac non recitare; nam idem est aliquid non facere, & non facere rectè, & quemadmodum præcepto non satisfacit, & ad repetitionem tenetur sic, nec fructus potest retinere. Bonaccin. cit. num. 17. Sum. Leandri ver. beneficiat. num. 69. Qualis autem attentio, vel intentio requiratur ad horas canonicas, vid. c. 25. num. 9.

6. Quæritur, an habens plura beneficia teneatur fructus omnium beneficiorum pro rata Officii, culpabiliter omitti, restituere?

Resp. Affirmativè, quia sic constat ex Bulla Pii V.

7. Sed quæritur, an tot officia in die recitare teneatur, quot sunt beneficia?

Resp. Negativè, sed satisfacit una recitatione. Ratio est, quia Ecclesia multiplicat titulos, non satisfactiones; sicut, concurrentibus eodem die pluribus festis, fideles satisfaciunt auditione

minus missa. Gavant. tom. 2. *sf. 1. cap. 4. num. 9.* & Felix. 1. *num. 493.* Sed tenetur ad tot commemorationes Sanctorum, Titularium Ecclesiarum, in quibus beneficia sunt fundata; in quarum omissione peccat mortaliter, si omissio notabilem quantitatem constituat; & restituere debet fructus respondententes singulis commemorationibus omisissis; nam laedit Iustitiam commutativam. Una tamen, & solita sufficeret, si omnia essent sub titulo B. M. V. Campion.

8. Sed quid, si ea beneficia iuste, & legitime non possideat?

Resp. Ad tot Officia tenetur, quot sunt beneficia sic possessa; ratio est, quia, licet directe ex praecepto Ecclesiae ad nullum officium obligetur, cum nullum censeatur beneficium habere, nihilominus ex iure naturae est obstrictus, ne Deus contra voluntatem Ecclesiae debito cultu, & obsequio privetur; cui certe ab iis exhiberetur, quibus ea beneficia à Papa conferrentur. Sed fructus suos non facit, quia nullum jus ad eos habet.

9. Quiritur, quot peccata specie distincta Beneficiarius committat, si divinum Officium omitat?

Resp. Duo, si ad divinum Officium persolvendum teneatur, etiam ratione Ordinis Sacri: unum contra obligationem Sacris Ordinibus annexam, & alterum contra obligationem ex beneficio consequentem; nec solum virtus Religionis violatur, vi cuius suscipiens Ordines Sacros ad horas canonicas tenetur, verum etiam iustitia, ratione beneficium; nam Ecclesia hac lege, iusto pacto, & contractu celebrato, dicitur, ut facias, confert beneficium, ut scilicet Beneficiarius

horas persolvat sub poena non faciendi fructus suos.

10. Quiritur, an intra sex primos menses omitens Officium teneatur ad restitutionem?

Resp. Affirmative, cum Soto, Medina Layman, & Menochio apud Quaranta *Syn. ver. Hora canonica vers. additio*, ratio est, quia obligatio restituendi propter neglectum Officium canonicum, secundum substantiam descendit ex iure naturali, ut per haec significat Constitutio Leonis, cum propter Officium detur beneficium, adedque quasi sub conditione praestandi Officii; & ideo fructus dantur loco mercedis, & tamquam stipendium operae, & laboris; quos proinde Beneficiarius retinere non potest, si non faciat id, pro quo stipendium accipit. Nec obstat Pium loqui, post primos sex menses, &c. quia non loquitur exclusive ad Priores. Vid. Engel. *jus Canon. l. 3. tit. 5. §. 3. num. 26.*

11. Quiritur, an etiam Pensionarii teneantur Officium recitare, & si non recitent, ad restitutionem fructuum?

Resp. Affirmative, sic Pius; quicumque pensionem, fructus, & alias res Ecclesiasticas, ut Clericus, percipit, eum, modo praedito, ad dicendum Officium parvum B. M. V. decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium. Nota, ut Clericum eum habere pensionem, qui, ut illam habeat, debet esse initiatus prima tonsura.

12. Quiritur, an etiam Parochi non recitantes Officium, teneantur ad restitutionem fructuum?

Resp. Affirmative, ut expressè Leo, &

(M) 3

Pius,

Pius, sine distinctione loquentes, & extendentes dispositivam const. ad quoscumque habentes beneficia Ecclesiastica cum Cura, vel sine Cura. Quamvis Parochis ob onera Parochialia debita sit aliqua portio fructuum, quæ propter omisum Officium restituenda non est. In computatione considera qualitatem, & quantitatem onerum, quæ subeunt eodie, in quo relinquunt Officium: si uno die totum Officium omittant, & nil oneris pro Parochianis in eo subeant, tenentur restituere omnes fructus illi diei correspondentes.

13. Queritur, an Beneficiatus teneatur ad divinum Officium, si beneficium sit ita tenue, ut non sufficiat ad vitam sustentationem?

Resp. Affirmativè, quia Pius V. utitur verbis universalibus, & qualiacumque alia beneficia, quæ comprehendunt, etiam minima. Fagnan. num. 4. Bonaec. disp. 1. qu. 2. punct. 4. num. 17. ratio est, quia Beneficiatus spontè sua acceptans beneficium, acceptat etiam onus illi adnexum; sicut vir contentus modica dote, tenetur uxorem alere, & sibi imputare debet, si tale incommodum subeat; sic etiam tenetur, licet ob grandines, & aeris inclementiam insufficientes fructus percipiantur, quia beneficia similibus periculis subjecta censentur, & cum talibus conferuntur.

14. Sed quid dicendum, cum redditus beneficii sufficientes erant, sed vel eos propter litem non percipit, aut hostes beneficii bona occupant?

Resp. Dum moraliter certus sit, se postea beneficii fructus percepturum, v.g. quia de lite excitata super beneficio à se

possesso, victoriam sperat, & proinde habere redditus interea sequestratos, tenetur recitare; si verò Beneficiatus abque sua culpa nullos omninò fructus percipiat, neque postea percepturus sit, interim Officium legere non tenetur: ratio est, quia beneficium non possidet secundum omnem effectum, quandoquidem beneficium sit jus percipiendi fructus; & patet, ex quo Leo, & Pius obligent ad restitutionem fructuum beneficii, sed in casu nulli suat. Layman.

15. Queritur, an Beneficiatus negligens Officium teneatur fructus restituere ante sententiam iudicis?

Resp. Affirmativè, prout Alex. in decreto: ratio est, quia Officii recitatio ex Leone, & Pio requiritur, ut per se conditio ad obtinendum jus in fructus, ergo, qui illud non recitat, jus in eos non obtinet, nec suos facit; consequenter in conscientia, quacumque etiam iudicis sententia præcisâ, eos retinere non potest. Reinensuel jus. Canon. lib. 1. tit. 2. de const. §. 10 num. 235.

16. Queritur, an Beneficiatus per alium recitans Officium, satisfaciât suæ obligationi?

Resp. Negativè, & oppositum damnatur ab Alex. obligatio enim Beneficiati est personalis, neque potest per alium eidem satisfieri, prout colligitur ex Trid. Sess. 24. cap. 12. de ref. ubi: omnes verò divini per se, & non per substitutos compellantur obire officia. Vid. infra cap. 25. & lib. 2. cap. 32.

17. At petitur. Beneficiatus data opera omittit officium paratus ad ratam omissionis fructus restituere, queritur an peccet mortaliter?

Resp.

Resp. Affirmativè. Primum enim, quod est in beneficiatis, est esse mancipatos divinis Officiis, & habere onus colendi Deum recitatione Breviarii; sustentatio autem, quæ datur est de secundario; nam stipendium datur propter ministerium. Unde omittens officium peccat mortaliter, quia non implet onus susceptum colendi Deum. Quod patet ex eo, quod restitutio fructuum sit etiam pœna; Atque ita supponit culpam, quæ nascitur ex non impleta obligatione colendi Deum. Quod si non restituat, alterius culpæ reus est, quia retinet rem non suam.

CAPUT XV.

*Prop. XXII. ab Alex. VII. Sc.*

*Beneficia Ecclesiastica gratis conferenda.*

1. PROP. 22. *Non est contra justitiam, beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod sibi conferre non tenebatur.*

Lib. 2. cap. 27. videmus, quibus beneficia Ecclesiastica sint conferenda, & cap. 26. Simoniam committi, dum aliquid pro atsequendo beneficio Ecclesiastico confertur, vel recipitur; hinc idè est Confessarius breviter instruendus, Auctores propositionis docuisse, Collatorem, seu Distributorem beneficii aliquid sine iniustitia posse ab eo, cui per ipsum confertur, exigere, & accipere, quorum doctrina in allegata propositione ab Alex. damnatur: propterea

2. Quæritur, quare Collator beneficii

*nil exigere, accipereve justè possit ab eo, cui beneficium confert?*

Resp. Quia vel iste, cui confertur, habet jus proprium ad accipiendum beneficium sic, ut ei absque injuria non possit non conferri, vel tale jus non habet, adeò ut Collator absque ipsius injuria potuisset alii beneficium dare; in primo casu, jam Collator tenetur ipsi determinatè beneficium conferre sine omni alio pretio, aut compensatione: in secundo verò, quamquam ad beneficium jus non habeat, habet tamen jus fundamentum, tum in legibus positivis Ecclesiæ, tum in æquitate naturali, ut, supposito, quod ipsi detur beneficium, id conferatur gratis, ergo Collator beneficii nullum jus habet exigendi aliquid; & quatenus exigit, contra justitiam peccat, à Confessario non absolvendus, nisi restituerit, aut ad minus (supposita de præfenti impotentia) id sincerè promiserit; Illung. tr. 4. disp. 2. qu. 1. art. 3. §. 2. n. 18.

3. Sed quæritur, quinam censentur habere jus proprium ad beneficia?

Resp. Omnes, qui per examen magis idonei reperiuntur, juxta Trid. Sess. 24. cap. 18. de ref. & constit. B. Pii V. incip. in Conferendis, apud Quagran. sum. verb. Beneficiorum Parochial. collat. nam, non est dubium, quemlibet per examen magis idoneum repertum, jus propriè dictum subit, & in pacto per admissionem ad examen inito, saltè implicitè, ut, si ipse fuerit magis dignus ad beneficium reputatus, id sibi conferetur; ac etiam in lege Pii irritantis collationem beneficii, minus digno factam, & concedentis magis digno jus appellandi ad Superiorem injuri Collatoris.

CA-



## CAPUT XVI.

Prop. XXIII. ab Alex. VII. &c.  
Præceptum Jejunii Ecclesiastici.

1. PROP. 23. *Frangens jejunium Ecclesie, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subicere præcepto.*

2. Jejunium duplex, *natura, & Ecclesie, seu naturale, & Ecclesiasticum: naturale est abstinencia à qualibet re sumpta per modum cibi, aut potus, quibus à media nocte jejunus debet esse Eucharistiam suscipiens.*

Ecclesiasticum vero, *est unica commestio, seu abstinencia à duplici refectioe, & à cibis vetitis secundum formam ab Ecclesia præscriptam.*

3. *Quæritur, quot concurrant ad substantiam jejunii Ecclesiastici?*

Resp. Tria, 1. unica commestio, seu abstinencia à secunda refectioe; (quamvis ex indulgentia Ecclesie, & consuetudine legitima, in praxi sit serotina collatiuncula) 2. abstinencia à carnibus, & cæteris, quæ sementinæ originem à carnibus trahunt, ut caseo, lacte, ovis, *cap. denique dist. 42.* abstinencia usque ad horam statutam, quæ hodie ex consuetudine legitime præscripta est circa meridiem; sed non desunt negantes hoc tertium ad substantiam jejunii pertinere, sed veluti accidentarium, & secundarium considerant, & quidem probabiliter.

4. *Quæritur, an mortaliter peccet, qui sine causa refectioem in die jejunii notabiliter ante meridiem, tribus nimirum horis, anticipat?*

Resp. Negative, cum Layman, *lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 11.* & aliis; ratio est, quia per anticipationem prandii non violatur substantia, sed circumstantia præcepti, nam determinatio temporis, ante quod refectio sumi non debet, est tantum circumstantia accidentalis: cum violatione ejus, substantia jejunii, unica nimirum commestio, consistere potest; & propterea, si sine causa anticipetur, veniale erit; si autem rationabili causa fiat, nullum peccatum est; verum poterit esse mortale ratione scandali, vel contemptus. Quilici *qu. 16. art. un. num. 2.* sicut id ducere in consuetudinem, contra usum, & praxim Ecclesie periculosum existimarem, à mortali non excusandum.

5. *Quæritur, an licitum sit, collatiunculam circa meridiem capere, cæna in noctem, seu ad vesperam dilata?*

Resp. Si id rationabili causa fiat, ut causa studii, negotii, &c. licet; & nullum erit peccatum, quia non violatur substantia præcepti, sed solum accidentalis circumstantia mutatur, variando tempus: sine causa erit veniale. Layman. *num. 10.* & Quilici: quia operatur contra consuetudinem justè introductam. Retinendus est uniformis usus Ecclesie, & cuilibet non debet esse liberum eam sumere, sive in meridie, sive ad vesperam differre; hinc sæpius sine justa causa fixum ordinem non invertas, ne graviter pecces.

6. *Quæritur, an in die jejunii dispensatus ad edendas carnes teneatur jejunare, hoc est, ad unicam commestionem in die?*

Resp. Vel, ei licentia comedendi carnes conceditur ob debilitatem naturæ, & quia

quia frequentiori refectioe, quam unica, indiget, ad reficiendas vires, ut in convalescentia: vel, quia sibi alii cibi nocent, cum alioquin sit fortis viribus, & sanus; in primo casu eum à jejuniis DD. excusant, non verò in secundo; ratio est: quia jejuniis duo præcepta distincta includit, alterum de abstinentia à multiplici refectioe, & alterum de abstinentia à carnibus, & cibis vetitis, quæ sunt separabilia, ut patet: in diebus Dominicis Quadragesimæ, cessante præcepto jejunii, durat illud abstinentia à carnibus; in diebus Veneris, & Sabbati per annum præcipitur abstinentia à carnibus, non præcepto jejuniis: & existentes intra 21. ætatis annum excusantur ab obligatione jejunii, qui peccant comedendo carnes; & ideo non sequitur, quod dispensatus ab abstinentia à carnibus, sit dispensatus in jejuniis; nec debet fieri extensio unius ad aliud, cum ex causa super uno dispensatur, nisi talis sit causa, ut utrumque comprehendat.

7. Sed, non ne per DD. abstinentia à carnibus est de essentia jejunii?

Resp. Sanè; sed de essentia ipsius adæquate sumpti, non verò inadæquate accepti. Servare non potes secundum utrumque præceptum, debes ad minus implere secundum alterum, dum moraliter potes.

8. At dubitatur, an violans jejuniis comedendo carnes, & multipliciter se reficiens in die, duo peccata specie distincta committat: alterum, violando abstinentiam à carnibus, & alterum, multiplicando refectioes?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia in morali, & Theologica estimatione diffi-

*Matthæi Cautela Confess.*

milis malitia videtur in violatione jejunii facta qualitate cibi interdicti, ab ea, facta quantitate refectioe: licet enim utrumque præceptum pertineat ad virtutem abstinentiæ, tamen ipsa sub diverso motivo, seu honestate morali respicitur; nam certè peculiaris honestas est in abstinentia à carnibus, ac in abstinentia à frequentiori commestione.

9. Quæritur, an toties mortaliter delinquat, quoties quis sine legitima causa, die interdicto carnes (vel alios cibos prohibitos) comedit?

Resp. Affirmativè; quia præceptum non comedendi carnes est negativum, obligans ad semper, & pro semper: addo, quod mens Ecclesiæ est, in die jejunii absolute interdiceret carnes, sic, ut sensus prohibitionis: *Ne carnes comedantur*, sit, numquam in die interdicto licet carnibus vesci; & multiplicantur peccata, dum commestiones moraliter discontinuantur, ut non una refectio moraliter censeatur; in quo iudicium relinquitur arbitrio prudentis, & cordati viri.

10. Sed quid, si in jejunii die secundo, tertio, aut quarto, cibos non vetitos cum distantia temporis, comedat, an toties quis peccet, quoties se reficit?

Resp. Negativè, quia præceptum de unica commestione, facienda in eodem jejunii die, est affirmativum, non obligans pro semper; & ideo, cum plene secundo comedis, tunc peccas, non verò, dum tertio, vel quarto eodem die sufficienter te reficis, quia, fracto, jam per secundam commestionem jejuniis, ipsum amplius, non potes servare; violato autem præcepto de non comedenda carne, potes iterum

(N)

rùm

rum non comedere, & præceptum non comedendi carnes implere.

11. Sed quaeritur, an, qui sapius in die jejunii aliquod exiguum comedit, tamen mortaliter peccet, quoties illud manducat?

Resp. Est distinguendum: vel, cum primò aliquod modicum comedit, habet intentionem sapius repetendi illas modicas commestiones, usque ad notabilem quantitatem, vel non; si primum, ratione intentionis peccat mortaliter, etiam in prima manducatione, quia id, quod sumere cupit, est materia sufficiens peccati mortalis; si secundum, quamvis in prima, vel secunda exigua manducatione mortaliter non delinquat, graviter tamen peccat, si id faciat sapius, ut notabiliter excedat; quia parvulae commestiones censentur mortaliter conjungi, & notabili quantitati cibi æquivalere, sic ut ad nutrimentum deserviant.

12. Sed quid, si in die jejunii parum carnis manducet?

Resp. A peccato mortali ex parvitate materiae excusatur, sed debet esse tam modica, ut nequeat homines ad sui sumptionem frequenter allicere, ut notavit Illung. & Sum. Leand. ver. abstinent. nu. 6. dixit non debere excedere octavam partem unius unciae; idque teneas contra Pasqualigo.

13. Quaeritur, an ignorans esse diem jejunii, si mane sumat jentaculum, & postea advertat urgere præceptum jejunii, teneatur jejuna?

Resp. Affirmativè, nam, aut sumptam manè jentaculum fuit sufficiens corporis refectio, aut insufficiens; si primum, tunc, intermisso prandio, contentus

esse debet vespertina collatione; si secundum, tunc, jentaculo illo matutino pro collatione reputato, poterit, intermisso omnino prandio, noctu canare, vel in meridie se reficere. Layman.

14. Sed quid, si in jentaculo illo cibos prohibitos comederit?

Resp. Debet ab eis iterum abstinere, & in refectioe sumenda regulari juxta modò dicta.

15. Quaeritur, quanta esse debeat quantitas cibi permissa in serotina collatione?

Resp. Modica, ne canula in canam transeat: in qua exceditur, quando id, quod sumitur, notabiliter majus est quarta parte ejus quantitatis, quæ ad integram canam sufficeret: unde DD. eam taxant ad octo circiter uncias, seu ad quartam partem canæ, quæ non excedit 32. uncias; & si quis plus in cana sumeret, non posset ad ratam illius quartam partem pro collatione accipere, Sum. Leandri. ver. collatio. quant. num. 4. fexigitur, aut octo uncia Romana non debent excedi. Multis excessus duarum unciarum supra octo videtur notabilis, & ad canam accedere, idè sic excedens graviter peccare non est dubium; non procedatur laxè.

16. Quaeritur, quinam cibi possint in canula sumi?

Resp. Communi usu receptum est, ut parùm panis etiam edatur, vel seorsim, vel unà cum fructibus, herbis, vel aliis cibis levioribus, & exigui nutrimenti, cujusmodi sunt ficus, uva passa, nuces, pira, poma, radices, &c. Layman ex Azorio concedit, etiam pisciculum parvulum, qui fumo siccatus, vel acetè

Aceto maceratus sit, nam inter leviores cibos numerari solet, ut colligitur ex cap. Presbyter dist. 82. & idè corruptela est, si in eibi sumantur, qui potissimum ad nutriendum valent; potest etiam summi panis, coctus aqua cum parvo oleo, modò non sit de industria conditus ad multum nutriendum. Rotarius apparat. 3. p. cap. 1. num. 20.

17. Quæritur, an potus Chocolata sumptus extra horam prandii jejunium Ecclesiasticum frangat?

Resp. Negativè, si in parva quantitate, & moderatè sumatur; nam est constans DD. sententia in præcepto Ecclesiastici jejunii dari parvitatem materiæ, seu posse parum quid extra refectionem summi, quin jejunium frangatur, ergo, etiam si Chocolata cibus foret, & non potus, adhuc, si in parva quantitate sumeretur, jejunium non frangeret.

18. Sed quæritur, quam ipsius portio reputetur parva quantitas, vel parvitas materiæ?

Resp. Unicam Chocolatis unciam esse parvitatem materiæ, dixit Card. Brancatius disert. de potu Chocolat. idè, quamvis esset cibus (quod negat, & portionem esse probat Tamb. lib. 4. in decal. cap. 5. §. 2. num. 13.) unica uncia circiter jejunium non frangeret.

Nec aqua, licet in quantitate unciarum sex, aut parum minori, quæ in vase calefactorio immittitur, facit, quin parva dicatur, siquidem certum est, aquam, quamvis cum Chocolatæ pulvere decoctam, non egredi veræ potabilitatis qualitatem, & naturam; quia aqua, quæ miscetur, non auget ibi substantiam in ordine ad nutritionem, cum non afferat se-

cum aliquid nutritionis, sed tantum sit medium solvendi concretam massam. Verùm si sæpius in die sumatur, jejunium violatur, & idè plura non sumantur portula, sed unicam, & non excedatur uncia, ut verè parvitas materiæ habeatur.

19. Quæritur, an, qui vovit omnibus sextis feriis jejunare, & à carnibus abstinere, teneatur etiam in die Nativitatis Domini?

Resp. Affirmativè, nisi ipsum diem excluderit text. in cap. explicari de observat. jejuni, ubi: respondemus, quod illi, qui nec voto, nec regulari observantia sunt adstricti, in sexta feria, si festum Nativitatis Dominica die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt, secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis; ergo, qui voto, vel regulari observantia sunt adstricti, non possunt in sexta feria, quando in ea Nativitas venerit, carnes manducare, sed ad abstinentiam ab eis, & jejunii observantiam tenentur. Sic FF Minores, qui ex regula, & voto tenentur jejunare omnibus sextis feriis juxta text. in cap. exiit de verb. signif. in c. 8. in primis, & Clement. eod. tit. debent, etiam in Nativitate Domini, quamvis in sexta feria contingat; ratio est, quia, cum jejunium in sexta feria generaliter non sit in præcepto, sequitur voventes absolucè in sexta feria jejunare, voluisse se privare libertate ad bis se reficiendum, etiam in die Nativitatis Domini, cum, quoad jejunium, non sit differentia inter illam diem, & alias ferias sextas; quemadmodum, qui vovit generaliter nunquam vesci carnibus, censetur voluisse se privare libertate illas comedendi, et-

iam in diebus alijs permissis. Nota, quòd frangens jejunium, ad quòd tenetur ex voto, & præcepto Ecclesie, duplex peccatum committit, contra religionem, & contra abstinenciam.

20. Quæritur, an vovens integro mense jejunare, teneatur secundam partem, si non possit toto mense?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia impotentia, quæ excusat à toto, dum aliquam partem relinquit adimplebilem, per DD. ab hujus implemento non excusat: sic vovens dare mille in Eleemosynam pauperibus, si nisi centum possit, hæc dare tenetur.

21. Quæritur, an dubius, quod emisit votum jejunandi, V. G. ter in mense, teneatur jejunare?

Resp. Aliqui negant; quia, cum tunc possessio stet pro libertate, & non pro voto, votum non tenet. Sed nos affirmamus cum Fagnan. in t. ad cap. Ne invidiaris de const. n. 211. cum quo ita discurremus: ponamus reverà eum emisisse votum, sed postea non bene recordari, & dubitare, an illud emisit: si homo dicat: ego prorsus sum dubius, an votum emisissim, & in hoc dubio volo me spotare possessione mea libertatis, cum nulla lex me constrinxerit ad votandum: & contra Deus dicit: si tu es dubius, ego certus sum te vocasse. & ideo nulla est possessio ex parte tua: sequere ergo in tuo dubio partem tutiorem, & redde Altissimo vota tua; quod, si adhuc homo instet, & dicat: forte ego non vovi. & Deus scit, me non vocasse, & ideo volo perseverare in possessione mea libertatis: contra est: quia forte tu vocasti, & Deus scit te vocasse, & sic incerta est tua possessio, si vocasti, possessio non stat

pro tua libertate: tu dubius es, quid egerris, & incertus, ita ne sit, vel non; quomodo ergo potes perseverare in possessione, si dubitas te possidere? nonne es possessor mala fidei: possessionem amittit, qui suspicatur se posse repelli, l. si id quod in princ. & §. final. ff. de acquirend. poss. l. 1. §. si autem. ff. de vi. & vi armata: ideo, si tu facis actum, de quo dubitas, num sit contra votum, utique exponis te periculo mortalis peccati, & ideo mortaliter peccas; nec tibi suffragari potest præsentia possessio libertatis tuæ, cum incerta sit, & dubium non tollat; ideo, ne peccet sic dubitans, jejunet, quia possessio stat semper pro obligatione jejunii.

22. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum poenitente, qui se accusat jejunium fregisse?

Resp. Interroget, quoties violaverit, an cibis, vitibus, carne, vel ovibus, &c. & quoties in die istos comederit; an obstrictus ad jejunandum fuerit, etiam ex voto? an cum aliorum scandalo? an alios ad jejunium violandum induxerit, & quot, & quoties? & an crediderit jejunium non potuisse ab Ecclesia præcipi; & in isto casu esset hæreticus ab ordinario. Confessario non absolvendus juxta dicta cap. 3. nu. 7. an docuerit frangentem jejunium Ecclesie non peccare mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, quia non vult se subjicere præcepto, quod Alex. sub censura, reservata prohibuit asserere.

23. Quæritur, an dispensatus in esu carnis, peccet comedens carnes nocivas?

Resp. Affirmativè: & contra præceptum naturale, in quo gravitas metienda est ex damno, quod infert propria saluti, & con-

& contra præceptum Ecclesiæ. Pondera decretum ab Eminentiss. Urb. Vicario, de mandato SS. D. N. Clement. XI. publicatum die 24. Febr. 1702. ut infra.

*Animadvertant, & Medici, & qui petunt licentiam, ut attendant qualitati carnum, quod, nempe, sint salubres; quia hæc solum permittuntur in quadragesima, his, qui ex iusta causa nequeunt vesci cibis quo tragesimalibus; quod si necessitati potest subveniri per ova, & lacticia, nec Medici debent permittere, nec fideles adhibere carnes, etiam salubres.*

*Qui toto anni tempore abstinent à carne, diebus Veneris, & Sabbathi, quatuor temporibus, necnon Vigiliis de præcepto, multo magis si prædicti dies incidant in quadragesima debent abstinere à carne, excepto, si nova superveniens causa aliud exigat.*

*Cumque super hoc nequeat stabiliri regula fixa, & determinata, debet quisque primò considerare suam necessitatem, suasque, in dispositiones, ita ut non sint affectate, eum reddatur sint rationem Deo, coram quo nihil valent licentia ex causis, vel suppositis, vel fictis. Per quæ resolvuntur innumerati casus, à Casuistis examinati.*

CAPUT XVII.

Prop. XXIV. ab Alex. VII. &c.

Distinctio numerica, & specifica peccatorum.

1. PROP. 24. Mollities, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infima, ideoque sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem.

Nil Confessario magis necessarium, quam naturam peccati, peccatorum numericam, & specificam distinctionem agnoscere, ut lepram à lepra discernens, suo valeat muneri satisfacere: idè occasione prætaxatæ propositionis, tangentis differentiam peccatorum specificam, eum super præfatis breviter instruendum, sequentibus duxi.

2. Quæritur, quid sit peccatum?

Resp. Ex D. Augustino contra Faustum: est factum, vel dictum, vel concupitum contra legem æternam; & ex D. Ambrosio, est prævaricatio legis divinæ, & celestium inobedientia præceptorum.

3. Ex peccatis aliud est originale, aliud personale; originale est privatio justitiæ originalis debite, quæ accepta fuit in primo Parente, & ab ipso amissa: personale verò, est actus cum advertentia elicitus à propria persona, contra dictamen practicum conscientia dictantis. hic, & nunc aliquod esse, vel non esse faciendum.

Item aliud est actuale, aliud habituale: actuale est actus malus, de presenti existens: habituale est peccatum præteritum, nondum retractatum, nec remissum per penitentiam.

Item aliud est commissionis, aliud omissionis: illud est contra præceptum negativum, quo Deus prohibet, ne fiat aliquid: Deus præcipit non furari, furaris, peccas: peccato commissionis; aliud est contra præceptum affirmativum: Deus præcipit, ut Missam audias, non audis, reus es: peccati omissionis.

Item aliud est cogitationis, seu cordis:

(N) 3. aliud

*aliud verbi, seu oris. Et aliud operis:* per peccatum cogitationis, intelligitur peccatum committum cogitatione, vel actu aliquo intellectus à voluntate imperato, ut hæresi, prava cogitatione, &c. vel actu aliquo voluntatis, odii, vel propositi legem transgrediendi, &c. per peccatum verbi intelligitur illud, quod verbo committitur: ut blasphemia, mendacium, perjurium, detractio, &c. per illud vero operis id, quod committitur opere, ut furtum, homicidium, fornicatio, &c.

Deinde, cæteris omiſſis, celebris divisio peccati est in *veniale, & mortale*: per *mortale* intelligitur id, quod, ob sui gravitatem, privat hominem gratia sanctificante, jure ad vitam æternam, & eum facit pena æterna dignum; per *veniale* verò, quod non facit hoc.

4. Sed quaeritur, unde cognoscendum aliquod peccatum esse de natura sua mortale?

Resp. Ex eo, quod opponatur Charitati, vel mediis necessariis ad conservandam Charitatem: sic furtum, homicidium, &c. sunt de sua natura mortalia, quia fures, & homicidæ non possunt habere Charitatem cum proximo; nam Charitas vult proximo bonum, illi autem malum in bonis fortuna, & vita: quæ etiam ex objecto mortalia dicuntur. Et ex his habes, quæ sunt ex genere suo venialia.

5. Quaeritur, an peccatum veniale, sit contra præceptum?

Resp. Affirmativè, sed in re levi: nam datur obligatio non peccandi, etiam venialiter. Furtum unius oboli est contra præceptum, non furtum facies: & men-

dacium jocosum contra præceptum de non mentiendo; sed per se non sunt nisi venialia: quia nec ipsis Deus graviter offenditur, nec proximo gravis injuria, vel notabile damnum inferitur; ratione cujus per accidens possunt esse mortalia.

6. Quaeritur, an mortale, & veniale distinguantur specie?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia mortale ex natura sua malitiæ, & gravitatis est inductivum pena æternæ, non sic veniale. Quod est signum malitiæ, distinctæ speciei. Item mortale, non modò est contra legem, sed etiam contra finem legis, nempe Charitatem, quam destruit cum Deo, & proximo, non sic veniale.

7. Quaeritur, an peccatum ex genere suo veniale, hoc est, cujus malitia sumpta ex objecto est natura sua adeo levis, ut charitati non repugnet, nec ipsam tollat, possit fieri mortale?

Resp. Per se non potest, bene verò per accidens. Quod potest diversimode contingere. I. Ex præparatione animi, & intentione; ut, si committens veniale paratus sit potius mortaliter Deum offendere, quam ab illo cessare, ut si quis die festo vult potius omittere Missam, quam cessare à fabulatione otiosa.

II. Ratione finis, ut, si verbum otiosum dicatur fornicæ, ut inducatur ad committendum adulterium.

III. Ratione conscientia erroneæ: ut, si proferens mendacium jocosum, (quod ex genere suo est veniale) judicet peccare mortaliter.

IV. Ratione scandali: ut, cum quis factum aliquod operatur, vel dictum minus

minus rectum profert, quod sit tantum veniale, præbens proximo occasionem ruinæ spiritualis.

V. Ratione contemptus formalis Dei, & Superioris: ut, si proferens mendacium officiosum, intendat se nihil facere Dei præceptum, & nolle se Deo præcipienti etiam levia subijci: Nam contemnitur formaliter tota Dei auctoritas.

VI. Ratione periculi juxta dicenda.

VII. Ratione damni, ut est furari obolum egenti ad sustentationem. Nam peccatum est, cum vel non est *charitas*, quæ esse debet, Augustinus lib. de perfect. inst. hominis cap. 6.

8. Datur triplex venialium genus. Unum dicitur veniale ex objecto, vel genere suo; in quo malitia ex objecto non est ita gravis, ut repugnet charitati, vel aliis virtutibus necessariis ad conservandam charitatem cum Deo, & proximo, quamvis cum plena advertentia ad malitiam objecti, & expedito interiorum sensuum usu committatur; ut est mendacium jocosum, officiosum &c.

Aliud est veniale ex parvitate materiæ, ut furtum unius quadrantis. Licet enim furtum sit materia per se sufficiens ad mortale, tamen parvitas materiæ hic excusat.

Aliud autem est veniale ex imperfecta deliberatione, & non plena advertentia de malitia objecti, vel de existentia legis, & præcepti. Quod dici solet veniale ex subreptione, & in quavis materia potest contingere.

Ad vitanda collectivè omnia hujus certi generis venialia, necessaria est specialissima Dei gratia, ut definitur à Trid.

ses. 6. de justif. cap. 23. Quando cetera vitari possunt cum auxiliis ordinariis gratiæ, ut communiter Theologi in tract. de auxiliis. Vid. lib. 1. cap. 37. n. 17.

9. Quæritur, an peccatum ex genere suo mortale, hoc est, cujus malitia ex objecto desumpta, est ita gravis, ut opponatur charitati, vel virtutibus necessariis ad retinendam charitatem cum Deo, & proximo, possit fieri veniale?

Resp. Affirmativè, ex duplici capite. Primò, ex parvitate materiæ. Secundo, ex non plena advertentia ad actionem, quam quis facit, vel ad legem, seu præceptum.

Quod ut intelligas. Pondera in voluntate triplicem posse reperiri actum, seu motum in objectum. Quorum alius est *primoprimum*, qui subito exurgit, sed sine advertentia ad malitiam: estque peccaminosus, si post advertentiam, quod sit contra legem, & rationem, non reprimatur, vel quis non curet cum Dei auxilio reprimere ipsum.

Alius *secundo-primus*, qui à voluntate procedit, sed non cum plena, & perfecta advertentia ad id, quod agit, vel ad actionis malitiam, aut peccandi periculum: advertit voluntas, sed non nisi semiplene, & imperfectè, adeoque cum consensu solum semiplene deliberato operatur. Hæc advertentia, & consensus exemplificatur in semidormientibus, semiebriis, ac in sobriis, & vigilantibus, sed animum passione itæ, & timore perturbatum, vel alienis cogitationibus implicatum, habentibus; in istis actio, aliàs peccaminosa mortaliter, redditur veniale peccatum ex non plena advertentia.

Alius



Alius denique procedens à voluntate, sequens plenam, & actualem advertentiam ad malitiam, & quod sit contra legem, adeoque cum plena libertate ad peccandum mortaliter, qui propterea semper est mortalis.

10. Quæritur, an omnia peccata ex suo genere mortalia, possint ob parvitatem materiae effici venialia?

Resp. Negative.

11. Sed dubitatur, quomodo poterit Confessarius cognoscere, quanam hæc sint?

Resp. Toties agnoscet in transgressione præcepti non dari parvitatem materiae, sed culpam esse mortalem, etiam in materia, quantumvis parva, quoties ponderabit, integram rationem, & veluti totam quantitatem deformitatis, & gravitatem offensæ contra legem, & rectam rationem, in materia parva, æque, ac in magna reperiri; ratio est, quia malitia peccati mortalis consistit in deformitate, & gravitate offensæ, ergo, si hæc invenitur in aliqua materia, etiam levi, semper erit mortalis.

Itaque parvitas materiae non datur in peccatis contra Virtutes Theologicas, V. G. in hæresi, desperatione, & presumptione, odio Dei, contemptu ejusdem, blasphemia, &c. ratio est, quia per hujusmodi peccata semper Deo tribuitur, vel defectus perfectionum, quæ sunt motivum formale talium Virtutum; vel aliqua contemptibilitas, sic ut, etiam in quacunque parvitate, gravis appareat contra rectam rationem deformitas. Quidquid enim in Deo oderis, infinitam ejus Bonitatem odio habes; quamcumque ab eo revelatam propositionem neges, infinitam ejus negas Veracitatem: cum

Deum contemnis, vel blasphemias, eidem aliquam contemptibilitatem, & vituperabilitatem tribuis: dum desperas, Dei Bonitatem, & Potentiam offendis: & præsumens, non debito modo appetas æternam beatitudinem, sed ipsam vilipendis, dum eam æqualem & proportionatam operibus naturalibus facis, vel media contemnis, propter quæ Deus eam conferre decrevit; quod de se malum apparet.

Non datur in juramento assertorio, in quo, non sine gravi irreverentia, etiam ad rem minimam confirmandam, falsus testis Deus adducitur, per dicenda l. 2. cap. 16. In magia, & superstitione, quæ est cum pacto expresse cum Demone, & abusu Sacramentorum, vel Sacramentalium; nam semper malum est pacisci cum hoste Dei, & hominum, & rebus sacris ad malum finem abuti. In simonia, in qua datur pretium temporale pro re spirituali, quia semper gravis irreverentia est, quæcumque rem spirituales æqualem existimare temporali pretio, quamvis modico, & ipsam in pactum deducere: semper enim res spiritualis vilipenditur: de quo lib. 2. cap. 26. In sollicitatione ad turpia: & fræctione sigilli Sacramentalis: In iteratione Sacramentorum, & essentialibus requisitis ad Sacramenta; quia id sine maxima irreverentia contra dignitatem ipsorum non efficitur. In jejuniis naturalibus, prænecessario ad Eucharistiam suscipiendam; in cujus violatione, propter Sacramenti dignitatem, semper integra malitia reperitur, sive multum, sive parum cibi, & potus sumatur, nam Cælesti, & Spirituali Cibo terrestris præponitur, quod maximè indecens

accens consideratur Cap. liquido de confecrat. dist. 2. In rebus venoreis, & deliberatè quæsitis, ex dicendis lib. 2. cap. 28. In anno novitiatus; In aetate requisita ad Ordines, & similibus.

12. Quæritur, undenam colligatur peccatorum numerica distinctio?

Resp. Non à diversitate numerica præceptorum præcisè, cum idem sub eadem formali ratione præcipiant, ut contingit in præceptis jejunii, incidentis in eundem diem quatuor temporum, & quadragesimæ: & in præceptis prohibentibus furtum, quod tribus præceptis prohibetur, naturali, divino, & humano; sed, vel à multiplicatione numerica actuum voluntatis moraliter interruptorum, vel ab objectorum numerica pluralitate, circa quæ tendunt. Nam, sicut ex diversitate objecti formalis sumitur distinctio specifica, ita ex diversitate objecti materialis distinctio materialis, & numerica peccatorum. *Campion. par. 1. cap. 34.*

Hinc toties numero multiplicantur peccata cordis, oris, vel operis respectivè, quoties multiplicantur cogitationes, aut desideria peccaminosa; aut blasphemix, aut furta: aut quoties plura numero sunt objecta, in quæ, licèt unus, & idem physicè actus, multiplex tamen moraliter tendit; ex qua doctrina plura resolves.

13. Quæritur, quando censeatur actus, vel opus moraliter interruptum?

Resp. Hoc relinquitur iudicio prudentis viri; præsumitur autem, quando propositum cessavit, & postea de novo *Matthæucci Causela Confess.*

reassumitur: vel, cum quis retractavit priorem cogitationem, & desiderium, dolendo de illis, & postea ad idem revertitur: qui animo furandi domo egreditur, & in via propositum furandi retinet, unum peccatum committit, licèt gravius, ratione extentionis ad tantum tempus; cum verò alio negotio distrahitur, vel somno opprimitur, si post somnum, & negotium prioris propositi memor, illud approbat, seu renovat, novum numero peccatum committit; & moraliter ea proposita interrupta censentur.

14. Quæritur, quomodo in praxi se gerere debeat Confessorius cum penitente sic se accusante; unico ictu plures occidi: unico actu volui plures interficere, vel ad plures solutas accedere: furatus sum decem: existens in mortali celebravi, & Sacramentum penitentix ministravi?

Resp. Ipsum urgeat, ut numerum aperiat: an eo ictu decem occiderit: an proposuerit decem occidere, & ad decem, vel decies ad unam accedere, & unam interficere; an illa decem unica, vel duabus vicibus sit furatus, & an uni solum damnum intulerit, an vero duobus; quot Missas in mortali celebraverit; & quot Sacramentaliter absolverit, & similia. Cum vero numero aperire non potest, debet temporis moram exprimere juxta dicta *cap. 10. num. 18.*

15. Quæritur, quamam peccata specie distinguantur?

Resp. Illa, quæ vel diversis virtutibus adversantur, ut furtum, blasphemia, &c. quo-

(O)

quo-

quorum primum est contra Justitiam, & secundum contra Religionem; vel quæ eidem virtuti, sed diversa ratione indecentiæ, & turpitudinis opponuntur, ut perjurium, & violatio voti, quorum utrumque est contra Religionem, & tamen non est dubium specie differre; cum diversa turpitudine appareat, in perjurio, ac in violatione voti; vel, quæ diversis perfectionibus ejusdem virtutis opponuntur; sic liberalitati, quæ inclinat ad non dandum ultra id, quod honestum est, per excessum opponitur prodigalitas, quæ dat plus quam oportet, & per defectum avaritia, quæ plus retinet quam deceat, quando liberalitas inclinat ad non retinendum ultra, quàm decens sit.

16. Sed quaeritur, an diversitas specifica objecta materialis sufficiat ad distinctionem specificam peccatorum?

Resp. Negative, loquendo de diversitate specifica objectorum in sensu philosophico, & naturali; alias furtum ovis esset diversæ speciei à furto panni; quod tamquam falsum communiter recipitur, ex eo, quòd in æstimatione morali specialem malitiam non involvat unum præ alio; verum, cum præter diversitatem physicam objecti diversa apparet indecentiæ, & turpitudinis ex objecto etiam, sumitur diversitas specifica peccatorum; sic ablatio vitæ est distinctæ speciei peccatum ab ablatione honoris, & pecuniæ; licet eidem virtuti justitiæ opponantur; & non nisi, quia in eis diversa indecentia moralis reperitur; nam gravius certè est homicidium furto, quia majus est bonum vitæ, quam bona externa; & majus detrimentum ex homicidio recipitur, quam ex furto.

17. Quaeritur, an ex diversitate præceptorum colligi possit specifica diversitas peccatorum?

Resp. Affirmative, modo præcepta illa sint non solum materialiter, sed etiam formaliter diversa: Materialiter diversa censentur, quando eadem res diversis præceptis præcipitur, seu prohibetur, sed sub eodem motivo, & sine ejusdem virtutis: sicut præcepto naturali, divino, & humano, tamquam injustum, prohibetur factum; tum verò formaliter diversa reputantur, quando idem præcipiunt, seu prohibent, sed sub diverso motivo; sic, qui Sacerdotem occidit, duplex peccatum specie distinctum committit, quia agit contra plura præcepta, ex diverso motivo imposta, nempe ex motivo justitiæ, de non inferendo damnum proximo, & motivo Religionis, de reverentia exhibenda Sacerdotibus.

18. Quaeritur, quanam sint virtutes, quibus diversa species peccata opponuntur?

Resp. Sunt tres Theologicæ, Fides, Spes, & Charitas, quatuor morales, Justitia, Fortitudo, Temperantia, & Prudentia; Cardinales nuncupantur, quia in eis tamquam in cardinibus, universa boni operis structura nititur. Virtus Theologica, à morali distinguitur, quia Theologica habet pro suo objecto immediato, & terminativo quod ipsum Deum; sic Fides attingit Deum, ut est summè Verax; Spes ipsum ut bonus est, & misericors, à quo expectatur beatitudo; & Charitas ipsum, ut summè bonum in se est, & infinite propter se diligibilis; virtus verò moralis, non sic Deum respicit, licet postea ad Deum conducatur, sed inclinat proxi-

proximè potentiam ad actus bonos moraliter conformes, nimirum legi, & recte rationi, & propterea dignos pœna, vel prœmio.

19. Quæritur, *quoniam sint peccata opposita Spei Theologica?*

Resp. Sequentia. Hæresis, Apostasia, blasphemia hæreticalis, omisio actus fidei, & lectura librorum prohibitorum, hæresim continentium, vel de Religione tractantium: *vid. sup. cap. 3. & lib. 2. capit. 4.*

20. Quæritur, *quoniam sint peccata opposita Spei Theologica?*

Resp. Duo, præsumptio & desperatio, de quibus supra cap. 1. num. 19. & 20.

21. Quæritur, *quoniam sint peccata opposita Charitati Theologica.*

Resp. Plura, Odiū, Acedia, Invidia, Discordia, Contentio, Rixa, Seditio, Schisma, Scandalum, & Bellum: *vid. lib. 2. cap. 8. & cap. 28.*

### §. I.

#### Odiū.

22. Quæritur, *Quid sit odiū?*

Resp. Est actus, quo volumus alicui malum, quia malum ipsius est, quod ex charitate tenemur non velle ipsi. Solet hoc evenire, vel per tristitiam de bono, quod actu obtinet, vel per gaudium, & delectationem de malo, quod habet; vel per desiderium, quod illi adveniat malum, quod non habet, & privetur bono, quod habet. Tristor, quod Petrus sit dives, non quia divitiis abutitur, quia tunc tristitia esset de malo usu) gaudeo de ipsius occasione: desi-

dero jacturam illius famæ, vel facilitatum, aut non esse, vel esse sub arumnis; aut hæc ipsi adveniant, cooperor; odio habeo Petrum. Sicut per oppositum, ipsum amo, cum volo ei bonum sive, quod habet, gaudento, quod illud habeat, & cooperando, si opus est, ut conservetur semper; sive, quod non habet, optando illud ipsi.

23. Quæritur, *An Deus possit odio haberi?*

Resp. Affirmativè à creatura depravata voluntatis. Habetur ex Scriptura pluribus in locis: *Joan. 15. Oderunt me, & Patrem: Psal. 138. Nonne omnes, qui te oderunt, Domine, oderam. Quæ sint factis. Peccatoribus displicet, quod Deus pœnas peccatis infligat, & ea prohibeat; sub qua ratione eum apprehendunt sibi disconvenientem, & sub ea odio habent, ac optant eum non esse, licet revera non sit malum, quod castiget, nec quod possit castigare, tamen secundum affectionem comodi est malum castigare. Ceterum propter se præci de odio non potest haberi quia in ejus natura nihil, nisi infinitè amabile reperitur. Poncius *Theol. disp. 33. num. 1.**

24. Quæritur, *Quoniam sit differentia inter odiū inimicitia, & illud abominationis?*

Resp. I. Est, quia odiū inimicitia est odiū personæ, quæ nobis displicet, & cui propterea volumus malum, ut malum illiusest. Illud verò abominationis, est aversio quædam à persona propter qualitatem, vel defectum in ipsa existentem, ex qua aversione sequitur, ut nec placeat ejus conversatio, nec præsentia. Quia discipulo displicet, & nolle disciplinam,

plinam, ac correctionem Magistri, à Magistro fugit, ejusdemque presentia sibi grata non est. His videas, quod odio habetur potius correctio, quam persona. Et idè odium abominationis solet dici, etiam odium qualitatis. Sed cavendum est, ne crescat in odium personæ.

Secunda est, quia odium abominationis erga homines, non semper est peccatum, & potest compati cum charitatis amore; nam ipsos peccatores, quos, ut tales detestamur, & quorum presentia nobis displicet, possumus amore charitatis amare, desiderando ipsis bonæ gratiæ, & gloriæ. De isto odio Psal. 138. dicitur, *nonne, qui te oderunt, Domine, oderam: & infra: perfecto odio oderam illos.* ubi August. *quid est perfecto odio? Oderam in eis iniquitates eorum.* Hoc est perfecto odio odisse, ut, nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas, & infra: *quomodo ergo in eis implebit. & quod ipse dixit, nonne eos, qui oderunt te, odjabui? Et quod Dominus præcepit, diligite inimicos vestros? Quomodo implebit hoc, nisi illo perfecto odio; ut hoc in eis oderit, quod iniqui sunt, hoc diligat, quod homines sunt?*

Dixi erga homines, quia, erga Deum, est per se, & intrinsece malum, ac mortale, cum in Deum nulla possit cadere imperfectio, ob quam abominatione, vel odio dignus sit.

Illud verò inimicitia, seu personæ, si vè in Deum, si vè in proximum est per se, & intrinsece malum, & ex genere suo mortale; & est omnium maximum, quia opponitur virtuti Charitatis, de qua maximum mandatum habemus, juxta illud.

Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum, &c. hoc est maximum, & primum mandatum.*

Odium in Deum, nisi excuset inadvertentia, semper est mortale; nec parvitas materiæ excusat ex dictis *lib. 2. c. 5. num. 12.* Illud verò in proximum semper est mortale, si sit cum plena advertentia, & non excuset parvitas mali optati. Vid. *loc. cit. cap. 8. num. 19.*

## §. II.

### *Acedia, & Invidia.*

**D**E acedia satis dictum est, *lib. 2. cap. 28. nu. 42.* Est ex genere suo mortale, quia est contra charitatem, quæ ad Deum suos obligat sub mortali.

25. *Quæritur, Quid sit invidia?*

Resp. *Est dolor, seu tristitia de bono proximi, quod est, vel apprehenditur diminutivum propria excellentia: vel, est gaudium de malo alterius, in quantum per illud augetur propria excellentia, & illa proximi diminuitur.* Quapropter, ut dolor, & tristitia de bono alterius sit invidia, exigitur, quod concipiatur ex hoc motivo, quia nimirum est, vel apprehenditur, ut diminutiva propria excellentiæ: V. G. Mallem Petrum cedere Prælatura, ne ego subeam imminutionem meæ excellentiæ. Sic, ut gaudium de alterius malo spectet ad invidiam, necesse est, ut concipiatur, tanquam augmentum propriæ extimationis, vel quia ex eo proximus non pluris extimatur, quam ego.

Est ex genere suo mortale, quia opponitur charitati, qua teneor non habere aut

aut tristitiam de bono, aut gaudium de malo proximi. Inadvertentia autem, vel levitas mali potest à mortali excusare: vid. loc. cit. cap. 8. num. 21.

## §. III.

## Discordia, Contentio, Rixa, &amp; Seditio.

26. **Q**uæritur. *Quid sit discordia?*

Resp. Est contrarietas voluntatum, destruens concordiam, & pacem. Est peccatum charitati oppositum, atque ex genere suo mortale, quando sub mortali tenemur concordare: dum nimirum prævidemus sequi malum, quod ex charitate deberemus impedire. Discordat Filius à Patre in economia domus, prævidens ex eo sequi damnum græve familiæ: discordat miles à Duce, imperante in tali loco stationem, ex quo oritur, ut hostis prævaleat: discordat Pœnitens à Confessario, instruente ipsum de errore suæ opinionis, ex quo nascitur, quod occasione peccandi non deserat, vel restitutionem non faciat: peccant omnes peccato discordiæ; & si formaliter intendant deobedire, & ab eis discordent, etiã peccatum inobedienciæ committunt. Ab istis potest ad alia descendere.

Discordiæ, quæ ex genere suo est mortale; ex ignorantia, inadvertentia, vel ex parvitate materiæ potest fieri venialis.

27. **Q**uæritur. *Quid sit contentio?*

Resp. Est verbalis altercatio, qua quis impugnat veritatem cognitam; vel defendit veritatem modis indebitis, quando ex charitate id non deberet: est pec-

catum appositum charitati, & propterea ex genere suo mortale.

28. **Q**uæritur, *Hæreticus impugnat veritates fidei, petitur, an peccet peccato contentionis?*

Resp. Affirmativè, sed ulterius, peccat etiã contra fidem; sicut impugnans famam proximi, & ipsam lædens, delinquit, etiã contra justitiam, etiã si vera forent, quæ spargit (modò essent occulta) quia occultus peccator jus habet ad propriam famam. Quòd si forent publica, tunc verum affirmaret, sed modo per charitatem sibi interdicto, quæ non delectatur, nec gaudet de malo proximi, & tunc peccatum esset in sola specie contentionis.

29. **Q**uæritur. *Quid sit Rixa?*

Resp. Est pugna inter aliquos factis nocivis ex ira, & absque debita auctoritate iniata. Si sit sine condicto, est propriè rixa. Si ex condicto, cum designatione temporis, armorum, & loci, dicitur duellum, de quo supra cap. 2.

Est peccatum ex genere suo mortale. Nam opponitur charitati; destruit enim pacem, quæ animos unit inter se. Et semper reperitur conjuncta cum injustitia; quia, vel offenditur proximus in bonis corporis, vel periculo exponitur offendendi. Inadvertentia tamen, & leve nocumentum potest excusare à mortali.

30. **Q**uæritur. *Quænam debeat esse praxis Confessarii cum pœnitente, se accusante rixa deliquisse?*

Resp. Quia rixa regulariter oritur ex prævia contentione verborum: exquirat 1. verba, & injurias illatas in famam. 2. Blasphemias. 3. Damnum illatum in

corpore, vel, quod poterat inferri. 4. Numerum personarum, quas laesit. 5. Qualitatem personæ, an fuerint Clerici, vel parentes, aut Superiores. 6. An ipse fuerit aliis auctor rixæ? Quia tunc non modo est cooperatores, sed causa omnium peccatorum, à cæteris commissorum.

31. Quæritur. *Quid sit seditio?*

Resp. *Est discordia inter membra Reipublicæ, violans inter ea pacem; & contingit, dum una pars insurgit in aliam, sive actu pugnet, sive ad pugnam se præparet. Infert, etiam peccatum contra iustitiam damnificando partem; & contra iustitiam legalem, tendens ad destruendas justas leges latas pro tranquillitate Reipublicæ.*

§. IV.

*Schisma.*

32. **D**E Schismate diximus, cap. 3. n. 24. Hic aliud resolvendum non remanet, quam notare, quod schisma est ex genere suo peccatum mortale; & potest fieri veniale solum ex defectu plenæ deliberationis, non vero ex parvitate materiæ; quoniam separatio, & divisio ab unitate Ecclesiæ, & eius capite, Romano Pontifice (in qua formaliter schisma consistit) non potest esse materia levis. Nam materia levis esse nequit, sed est mortale ab eo recedere, quod est omnino necessarium ad salutem; sed per schisma ab eo receditur: Nullus enim potest salutem consequi extra Ecclesiæ communionem, & unitatem: Utrumque enim est articulus Fidei; & patet ex illo Symboli Constantinopolitani: &

*unam Sanctam Ecclesiam: & ex alio Apostolorum Sanctorum communionem. De qua re videatur De-magistris Sylva Ecclesiast. 10. 2. lib. 2. tit. 3. cap. 3.*

§. V.

*Scandalum.*

33. **Q**Uæritur, *Quid sit Scandalum?*  
Resp. *Est dictum, vel factum minus rectum, hoc est, malum præbens proximo occasionem ruinae spiritualis. Per factum, intelligitur, etiam ommissio actionis præceptæ. Est scandalum ex suo genere mortale, & oppositum charitati; quia ex charitate tenemur, non facere malum proximo, & velle bonum ipsius: scandalum autem ad ruinam spiritualem adducit. Est semper mortale, si inducat ad peccandum mortaliter. Veniale verò, vel ex imperfecta deliberatione, vel, si est peccati venialis occasio.*

Dicitur *occafio*, & non causa, quia, qui est causa, cur alius peccet, non peccat solum contra charitatem, verum etiam contra virtutem, ad quam violandam inducit, ut contra castitatem, iustitiam, &c. Ex quo sequitur, quod, qui imperio, suasionem, vel consilio est causa inducens ad furandum, peccat etiam contra iustitiam, & tenetur restituere, quia est causa moralis furti; qui verò solum suo malo exemplo inducit hominem ad furandum, non lædit iustitiam, nec tenetur restituere, & peccat solum contra charitatem.

Propterea Confessarius diligenter inquirat à pœnitente, an suo malo exemplo fuerit

fuerit occasio, ut proximus furaretur, an verò etiam causa: quia in secundo casu debet ad restitutionem obligare, non verò in primo: Verùm in peccato scandalosi debet etiam inquirere ultimam speciem peccati, ad quam suo malo exemplo alium induxit; ut, si induxit ad violandam castitatem, & in qua specie? An cum virgine, nupta, vel Deo sacra, &c. ut ita cognoscat speciem peccati. Debet pariter exquirere numerum personarum, quibus, etiam unico peccato, datum est scandalum; nam tunc plura distincta peccata committuntur. Majol. in Decalog. 10. 1. q. 3. de præcept. charit. artic. ultims. 5. 1.

34. Quæritur, Quotuplex est scandalum?

Resp. Multiplex. Activum, & est actio illa, seu actionis omissio, quæ est occasio inducens alium ad peccandum per quam quis dicitur scandalizare.

Passivum: & est ruina spiritualis orta ex dicto, vel facto alterius. Aliud autem est datum, aliud acceptum. Primum est peccatum, quod fit, ex verò malo exemplo, data occasione peccandi. Secundum est, cum quis ex sua malitia scandalizatur, vel occasionem sumit iudicandi malè de alio, & aliquo modo peccandi, ex veris etiam virtutum actibus, etiam postquam sibi sufficienter innotescit virtuosè exerceri. Hoc ex activo non oritur. Et dicitur acceptum, sed non datum, soletque Pharisæicum appellari; quia Pharisæi ex odio, & invidia in Christum, occasione gestorum ab ipso, scandalizabantur, & murmurabant, eique detrahebant, ut loquitur Matth. 15.

Præter scandalum passivum ex malitia, datur etiam scandalum ex ignoran-

tia; & est, cum quis ex ignorantia bonitatis actionis, vel circumstantiæ reddentis actionem licitam, sumit occasionem cogitandi actionem esse malam, & peccandi; quod nominari solet scandalum pusillorum; quia cum pusilli simplices sint, minus docti, & in virtute infirmi, solent occasionem peccandi sumere ex dicto, vel facto indifferenti, vel æquivoco ad bonum, & malum.

35. Quæritur, Quando scandalum pusillorum sit mortale in ponente actionem, propter quam pusilli occasionem sumunt peccandi?

Resp. Quoties dictum, vel factum, quamvis ex se bonum, æquivocum tamen ad bonum, aut malum, in talibus circumstantiis, vel à tali persona exercetur, ut pusilli, simplices, & infirmi ex eo ruinam spiritualement possint incurere, nisi instruantur de veritate. Totum hoc habetur ex Paulo 1. ad Corinth. 8. Ubi quosdam doctiores Corinthios alloquitur. Sciebant isti Idolothytha, seu cibos Diis immolatos, non esse ab aliis cibis differentes, nec eis aliquid sacri, aut religionis ex eorum immolatione accidere, & propterea liberè eos comedebant. Sed quia inde oriebatur occasio scandali in fidelibus simplicibus, & infirmis, maxime de Gentibus conversis, putantibus eos comedere ad modum Gentilium, hoc est, in venerationem Idoli; eorum exemplo inducebantur ad eos sic comedendum, consequenter ad graviter peccandum; idè præfatos doctos instruit, his verbis: *videte autem, ne forte licentia vestra (comedendi) offendiculum fiat infirmis, si enim quis infirmus in fide, (non bene instructus)*

v. de-



videris eum, qui habet scientiam, in idolo recumbentem (cum idololatri epulantem) nonne conscientia ejus eum sit infirma (non bene instructa) edificabitur ad manducandum idolothythum? (Confirmabitur in errore suo ad comedendum idolothythum, ut idolothythum) Et peribit infirmus in sua scientia, frater, (qua abuteris) propter quem (salvandum) Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & perentientes (vestro imprudenti facto vulnerantes) conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter, si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in eternum, ne fratrem meum scandalizem. Ad quos hæc alia ex cap. 10. diriguntur. Omnia mihi licent (estd liceat in se idolothythum comedere) sed non omnia expediunt: Sed non expediunt omnia, quæ licent. Omnia mihi licent, sed non omnia adificant: hoc est non expediunt, quia non ædificant: immò destruit, & ad ruinam impellit hæc commestio in idolo, vel coram infirmo. Nemo, quod suum est, quarat, sed quod alterius. Nam charitas dicitur, ut non nostra queramus cum alterius scandalo, vel coram infirmo.

Ex his habes, quod scandalizans pusillum facto, vel dicto, æquivocis ad bonum, vel malum, aut leviter malum, prævidens, vel debens prævidere, quod simplex, & ignorans, ex eo sit sumpturus occasionem peccandi mortaliter, mortaliter peccat, quia influxum aliquem habet in ejus peccatum.

Cæterum, si quis simplices de veritate instruxerit, & capaces reddiderit de qualitate actionis, si postea ex ea occa-

sionem peccandi sumant, in nihilo actionem exercens est culpabilis; nec pusillum, sed merè acceptum ex malitia, & pharisaicum scandalum erit.

36. Queritur. An rea sit scandalum mulier; quæ suo ornatu occasionem præbet proximo ruina spiritualis, dum non est sine se ornat, nec expressè illius ruinam peroptat.

Resp. Vel ornatus est honestus juxta decentiam proprii status, & communem morem Patriæ, vel est de se provocativus ad libidinem, invetecundus, & dissolutus. Si primum, non peccat, neque scandalizat in usu. Ratio est, quia mulier jushabet ad ornatum ex natura sualicitura, & communem cæteris ejusdem Civitatis mulieribus, sibi æqualibus. Et sicut naturalis pulchritudo mulieris per se, & directè non provocat ad luxuriam, sic nec talis exterior corporis ornatus; unde in casu, quo quis scandalizaretur, foret scandalum, dumtaxat acceptum, & non datum.

Si secundum, mortaliter peccato scandali delinquit, quia ponit factum, quod de sua natura est ad peccatum provocativum; cujusmodi censeretur, si verenda non tegat, vel non nisi tenui velo: si mammillas denudet, & ita in publicum prodeat. Discutitur à simili de eo, qui rem alienam furtipit, nec expressè intendit damnum proximo inferre, qui nihilominus est reus furti; quia, licet absit expressa nocendi intentio ex fine operantis, habetur tamen virtualis, & interpretativa, æstimanda ex fine operis, quod de sui natura est nocivum.

Quod totum apparet ex doctrina D. Thom. 2. 2. q. 43. art. 1. in resp. ad 4. ibi: *Etiam*

*Hum.*, vel factum alterius potest esse alteri causa peccandi per se, quando aliquis suo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccandum inducere: vel etiam si ipse hoc non intendat, ipsum factum esset tale, quod de sui ratione habet, quod sit inductivum ad peccandum: puta, cum aliquis publice facit peccatum, vel, quod habet similitudinem peccati.

Quare prædicta mulier debet se in confessione accusare de dato proximo scandalo propter ornatum, vel de se provocativum ad peccatum, vel assumptum præter morem Patriæ cum advertentia, vel debito advertendi, quod potuerit excitare ad libidinem. Ratio est, quia si quis teneretur solum confiteri de peccato scandali, dum expressè intendit ruinam spiritualem proximi, vix unquam tenerentur homines de illo confiteri, eo quia præter Diabolum, vix est aliquis directè, & expressè illam intendens; cum tamen frequenter homines dent scandala, super quo se debent accusare.

37. Sed quid. Si ornatus assumatur ex quadam curiositate, levitate, vel vanitate, ut laudetur de pulchritudine?

Resp. Si de se non sit valdè provocativus, & dissolutus conjiciens se ipsam, virosque in periculum peccati, sed solum cum excessu ad morem Patriæ, & modum convenientem suo statui, erit veniale: sed vide dicta lib. 2. cap. 37. n. 12.

38. Quæritur. An mortaliter peccent adinvenientes novas vestimentorum, & ornatus formas?

Resp. Affirmativè, si modus vestium, & ornatus inveterandus sit, aut impudicus: fecus, si vanitatem duntaxat, & *Masbaucci Cantela Confess.*

curiositatem alat in moderatione elegantia, vel pretii. Nam tunc erit veniale. Legas D. Thom. cit. q. 169. art. 2. in resp. ad 4. ibi. Si qua ars est, ad faciendum aliqua opera, quibus homines uti non possunt absque peccato, per consequens artifices talia faciendo peccarent, utpotè præbentes divitè aliis occasionem peccandi; puta, si quis fabricaret idola, vel aliqua ad cultum idololatria pertinentia. Si qua verò ars sit, cujus operibus possunt homines bene, & male uti (sicut gladii, sagittæ, & alia hujusmodi) usus talium artium non est peccatum, & infra: quia ergo mulieres licitè se possunt ornare, vel, ut conservent decenciam sui status; vel, etiam aliquid superaddere, ut placeant viris (maritis scilicet) consequens est, quod artifices talium ornamentorum non peccant in usu talis artis, nisi forte inveniendo aliqua superflua, & curiosa.

39. Quæritur. Mulier honesta advertit, si festo accedat ad Ecclesiam ad Missam audiendam, quendam juvenem ex ejus aspectu passurum ruinam spiritualem, eam concupiscendo; petitur, an Confessarius passu eidem suadere, ut non exeat, eique significare in tali circumstantia non obligari præcepto audiendi Sacrum.

Resp. Negativè, cum communi: nam ex D. Paulo ad Rom. 3. non sunt facienda mala, ut eveniant bona; ergo nec omitendum Sacrum, urgente præcepto, ne proximus in ruinam spiritualem ruat. Tum quia impletio præceptorum, sive Dei, sive Ecclesiæ est de necessariis ad salutem, ergo non potest eo fine omitti: cum nullus debeat peccare, ut alterius

(P)

pecca-

peccatum vitet; in ordine enim charitatis propria salus spiritualis præfertur saluti spirituali alterius, & nullus tenetur contra charitatem propriam operari, ut succurrat proximo. Nec ea circumstantia deobligat ipsam à debito audiendi Missam. Tum quia gratis dicitur. Tum quia lapsus juvenis est potius acceptus, & voluntarius, quàm datus; cum ex ejus malitia, sciens se non posse mulieres alienas concupiscere, eas inordinatè amat. Propterea ipse potius debet fugere, vel, quando non possit, oculos avertere, mentem aliò dirigere, & oratione postulare auxilia gratiæ, quibus à mulieris concupiscentia liberetur. *Laurea de charit. disp. 14. art. 12. §. 6. num. 490. Natalis Alexand. Theol. moral. in Decal. lib. 4. ref. 18. aliique.*

40. *Quæritur. Accedit Parochus id Confessario aperiens. Pater, certò scio à Petro possideri agrum spectantem ad meam Ecclesiam, sed dubio, an debeam repetere: si non repetam, non sustineo jura Ecclesiæ; si repetam, prævideo Petrum prolapsurum in blasphemias, maledictiones, & alia crimina, qua ex lege charitatis tunc impedirez, quid mihi agendum est, super hoc peto edoceri?*

*Resp.* Confessarius Parochum instruat, quod ipse non est dominus honorum Ecclesiæ, sed Custos dumtaxat, & administrator fidelis, eaque non posse alienare, vel negligere, sed teneri ad ipsa Ecclesiæ conservanda, & ubi alienata inveniunt ad ea repetenda: & propterea à Petro (præmissa instructione, quod res alienæ sunt dominis restituendæ, & quod ager ille ad Ecclesiam spectat, ut authenticis monumentis probatur) debere

agrum repetere, & quando reddere renuat, per juris remedia est compellendus; prout factum legimus à S. Thoma Cantuariensi, Ecclesiasticæ libertatis vindice, & Martyre, qui Ecclesiæ bona, juraque repetiit posthabito Enrico Angliæ Regis, præsertimque scandalo, cum istud non fuerit datum, sed solum ex malitia acceptum.

41. *Quæritur. Scit Petrus, Paulum determinatum esse ad furandum Francisco mille, dum cum à sua resolutione revocare nequit, consulit, ut ab eodem surripiat decem, petitur, an Petrus consulendo minus malum, peccato scandali reus sit?*

*Resp.* Affirmativè, nam operatur contra charitatem proximi, quæ vult, ut ipsius malum impediatur. Quod Paulus omittat illud majus malum, non tollit, quin committat minus, & peccet, ergo consulens, in minus influit. Scandalum autem consistit in influxu ad malum, seu peccatum proximi, non verò in influxu ad magnum, seu grave.

*Dices.* Est axioma commune de duobus malis minus est eligendum. Deinde Petrus non consulit minus malum, ut malum, sed ut habet rationem boni respectivè ad majus.

*Resp.* Vide dicta lib. 2. cap. 20. num. 15. & cap. 29. à num. 13. Tale itaque axioma procedit non in malis moralibus, sed physicis, cum majus evitari non potest, nisi eligatur minus; est quis in necessitate, ut imminente naufragio, eligat, vel vitam mortis, vel mercium jacturam; istam, ut minus malum debet eligere. Tum quia occisurus, V. G. Petrum, non necessitatur, nec ad occisionem, neque

ad mutilationem, vel ad capiendā ipsius bona, sed solum ex sua libertate se ad ea determinat; ergo non est in necessitate eligendi unum, vel alterum, sed omittere debet utrumque.

Ad 2. Negamus minus malum, hoc est furtum decem aureorum, esse bonum respectivè ad furtum centum; non est offensa Dei tam gravis, sed est offensa: & idè furans peccat, & consulens furto cooperatur; nam numquam illicitum pro illicito faciendum, ut dixit August. lib. 2. de adult. conjug. cap. 15. & subdit, quia illicitum est, & adulteram occidere, & illa vivente, alteram ducere, non debet alterum pro altero perpetrare, sed utrumque vitare.

Dices. Genes. 19. ut Loth revocaret Sodomitas à nefario crimine, eis exhibuit duas suas filias cum facultate, ut illis abuterentur: minus autem malum est cognoscere feminas, quàm masculos.

Resp. Factum Loth non fuit positiva inductio, & consilium ad peccatum cum filiabus, sed solum comparativa permissio, istis explicata: *potius filias meas vobis prostituam, quam ut id fieri videam.* Immo D August. lib. contra mendac. ad Consentium cap. 8. non excusat Loth à peccato; quamvis propter animi perturbationem non tam graviter peccaverit.

41. Queritur, *Petrus suspicatur, quod uxor committat adulterium cum Cajo, permittit, ut Cajo domum ingrediat, & in secreto cum uxore maneat, ut in fragranti reperiat, & sic eos corripiat, ut emendentur: peccat, an committat scandalum?*

Resp. Affirmativè, cum Laurecia sit.

num. 430. ubi generaliter resolvit, quod potens, & debens impedire malum alterius, & permittens, ut sequatur, est scandali reus, quia censetur præbere occasionem peccandi, & ad peccatum influere; propterea Petrus peccat, si adulterium non impedit. Et peccat Dominus, si permittat, quod servus faretur, ut deprehendat eum in furto: Colligitur ex cap. Pratercà 23. 7. 8.

43. Queritur, *Est Titius paratus dare ad usuram, petitur, an Cajo possit ab eodem explicitè ad usuram petere?*

Resp. Negativè, & dum petit, peccat peccato scandali; ac cooperatur ad usuram, cum ad eam, occasionem præbeat. Nec obstat, quòd sit paratus facere: nam ad executionem non venit, nisi ex petitione: ergo in executionem externi operis influit petens; præparatio illa in Titio est peccatum, ad quod non influit Cajo: executio autem est peccatum etiam Cajo, cum ad eam sua petitione alliciat, & inducat Titium.

44. Sed petitur. *An possit ab eo petere mutuum?*

Resp. Affirmativè, ad subveniendum suæ necessitati, sine usuris mutuet. Ratio est, quia in isto casu non cooperatur usura, quam potius nollet, cum ipsa gravetur, sed rem licitam ad suæ necessitatis solamen poscit, mutuum scilicet, quod pollet, & deberet obtinere sine usura.

45. Queritur. *An reus scandali sit, qui pecuniam dat Sacerdoti, nolenti puerum baptizare; vel se, aut alium sine pretio absolvere?*

Resp. Affirmativè, quia cooperatur simoniæ illius. Si puer est periculo mortis

tis expositus, potest ipse baptizare. Si alium Sacerdotem non habeat, cui confiteatur, potest conteri, & ideo nulla potest excusatione liberari, quin peccet, si pretium conferat.

46. Queritur. *An scandalizator teneatur damnum spirituale restaurare bonis operibus inducendo ad bonum?*

Resp. Affirmative, ut exemplar bonorum operum iis sit, quos malis operibus in ruinam spiritualem induxit. Ita meretrix penitens debet iis de vicinia signa conversionis exhibere.

### §. VI.

#### Bellum.

**B**ellum est preparatio, & dispositio militum ad pugnam. Prælium autem est ipsa actualis pugna, & conflictus.

47. Queritur. *Quomplex sit bellum?*

Multiplex. Unum *justum*, quod à legitima potestate iusto titulo, ac quadam necessitate suscipitur. Aliud *injustum*, quod deficientibus illis conditionibus geritur.

Item aliud est *aggressivum*, seu *offensivum*, quo alius impetitur. Et aliud *defensivum*, quo quis ab impellente se defendit, vim vi repellens.

Item, aliud est *bellum sacrum*, quod contra hostes fidei suscipitur pro Religionis tutela. Et aliud *non sacrum*, quod pro bonis temporalibus geritur.

48. Queritur. *Quid requiritur, ut bellum offensivum sit justum.*

Resp. Tria sunt necessaria. 1. *Legitima auctoritas*, juxta August. lib. 22. contra Faustum cap. 75. Propterea soli Prin-

cipes, & Republicæ in temporalibus superiorum non habentes, ad quem possint recurrere pro reparatione injuriæ receptæ, possunt bella movere.

II. *Finis*: Aded ut finis suscipiendi bellum debet esse pax, salus, & securitas Republicæ juxta August. relatum cap. Noli 23. q. 1. Non enim ex cupiditate divitiarum, aut gloriæ tantum causa, & libidine dominandi bella moveri debent. Nam ut S. Doctor loquitur lib. 3. de Civit. Dei cap. 6. *Inferre bella . . . . . Regni cupiditate conterere, & subdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est?* Et legendus etiam est loc. cit. contra Faustum cap. 74.

III. *Causa justa*; ut nimirum, qui per bellum impugnantur, sint culpabiles; vel, quia injuriam inrogarunt, jura læserunt, vel bona occuparunt. Causa debet, etiam iudicio prudentum, gravis esse, cum proportionem ad damna verisimiliter ex bello secutura, aliàs imprudentissimè moveretur; cum irrationabiliter agat, qui ob defensionem boni minoris exponit majora periculo; &, ut impediat minora mala, majoribus viam aperit, ut cædibus, incendiis, &c. Nec plus intendendum est, quam id, quod jure sibi debetur; aliàs, etiam si causa fuerit justa, bellum erit illicitum, & non sine peccato.

Notandum, quod etiam causa justa concurrente, prius quam bellum moveatur, tenetur Princeps offensus monere adversarium, an velit pacificè concordare, & sibi amabiliter satisfacere? Ratio est, quia ex charitate cum possumus, tenemur vitare innumera mala, quæ ex bellis sequuntur.

49. Queritur. An bona in bello iusto accepta possint licite retinere?

Resp. Affirmativè. Jure enim gentium, omnia ea, quæ devictis hostibus, iusto bello capiuntur, sunt victorum, ut pluribus congestis apud Gonzalez in 2. tit. 24. cap. 19. num. 9. de jur. juran. Viri sancti exercuerunt hoc jus prædæ. Abraham Gen. 14. jure prædæ substantiam tulit quatuor Regum. Josue 22. Expugnata Civitate Hashtarum Josue prædam Civitatis divisit Filiis Israël ex præcepto Domini.

50. Queritur. An in bello iusto liceat uti insidiis: vulgò astutiae, cautele et tendere aguati all' inimico?

Resp. Affirmativè, modo semper absint mendacia, & fraudes, quæ sunt signa per se deceptiva. Fas est occultare hosti sua consilia, & resolutiones, ac totum, quod conducit ad bellum, & finem victoriae. Dux, exposita parte exercitus, reliquos milites occultat in sylva: insidiis utitur contra hostem, sed non mentitur, quia non dicit se alios non habere, nec omnes tenetur exponere. Imprudens est hostis, si putet eum alios non habere, vel sibi insidias non parare. Legatur August. relatus in cap. Dominus noster 23. qu. 2.

51. Queritur. Princeps A. illaturus bellum Principi B. exquirat à Theologo, & Consiliariis, quid sibi liceat; à quibus in responsis accipit, utrinque esse opiniones aequè probabiles; petit, an stante aequali probabilitate pro iustitia, & iniustitia belli, possit ipsum licite alteri movere?

Resp. Negativè, contra probabilitas asserentes absolute licitum esse sequi opi-

nionem probabilem, quæ favet libertati; seu, quæ asserit actum aliquem esse licitum in concursu alterius aequè probabilis, quæ stat pro præcepto, seu, quæ asserit talem actum non licere. Ratio est, quia, si aequalis ponderis rationes sunt pro iustitia, & iniustitia, non est certum, sed dubium, bellum esse iustum; ergo non potest ipsa licite movere, quia agere cum dubio non licet, cum ita operans se exponat periculo peccandi, sed debet eligere, quod est tutius, juxta regulam juris, &c. In dubiis semitam debemus eligere tutiorem: tutius autem est tunc à bello cessare, quia ita ex bello nascencia mala vitantur.

Addo, quod ex vi rationum tunc apparet ei, quòd una pars sit magis vera, quàm altera; ergo neutri potest prudenter assentiri: immò, si uni adhereret, non nisi cum formidine de opposito (quod est opinionis probabilis proprium) ergo cum advertentia, quod opinio, cui adhereret, incerta sit: opinio autem, quæ incerta cognoscitur, non potest esse regula moralis operationis; Est res clara. Et patet in Judice, sedente inter duos litigantes agrum, qui non potest in unum præ alio sententiam dicere, si aequalis ponderis rationes afferant. Aequè bene remanent in æquilibrio lances in libra, si æquale utrinque pondus imponatur, ac si nullum imponeretur?

Dices. Princeps inter eas aequales probabilitates ex sua libertate ad partem, quod sit iustum, se determinat; ergo in praxi dubius non est.

Resp. Negando consequentiam. Determinatio ista voluntatis non minuit

pondus rationum, propter quas intellectus erat dubius. Tum quia, imprudens is reputatur, qui quibusdam affirmantibus aliquem cibum esse veneno infectum, aliis cum æquali rationum pondere negantibus, ex sua libertate absque ulla dubitatione iudicat cibum illum esse à veneno immunem; imprudentiorque est, qui dubitans, nec sciens utra verior sit sententia, eundem cibum, quasi à veneno liberum, manducat; nonne exponitur mortis periculo? Propterea ne in praxi sit dubius, necesse est, ut occurrat aliqua circumstantia, quæ dubium tollat.

Dices. Omnise dubio in praxi liberat, certoque iudicat se posse licite bellum movere, per hunc actum reflexum: licitum est sequi opinionem certo probabilem.

Resp. Ergo nullus est dabilis casus, in quo quis teneatur ad praxim eligere illam regulam juris, in dubiis, &c. quia quotiescumque propter æqualis ponderis contrarias rationes dubium erit, an aliquis actus sit licitus, nec ne, poterit voluntas imperare intellectui, ut talem actum reflexum eliciat: at id est falsum alioqui Canones talem regulam observandam non proposuissent.

Dices. Regula illa juris non continet præceptum, sed consilium; ergo Princeps, de quo agitur, potest eligere opinionem, quæ allerit, bellum esse iustum.

Resp. Negando antecedens, Canones, in quibus illa regula repetitur, constant terminis importantibus strictum præceptum ut, in dubiis viæ est tutior eligenda; cap. Illud. de Clerico. excom. ministr. Clemens. Exivi de verb. signif. in his,

quæ anima salutem respiciunt ad vitandos graves remorsus conscientie, pars securior est tenenda: verba non sunt facultativa, per verbum potest, sed obligatoria per illud debet.

Hinc sequitur, quod opinio de iustitia belli debet esse abique dubio probabilior, & moraliter certa: ex Poncio curs. Theol. disp. 33. q. 4. Laureæ de vitis charit. opposit. disp. 14. art. 10. §. 5. num. 254, & 258. Ratio est, quia eum agatur de re gravis momenti, ut de periculo tor homicidiorum, & calamitatum, quas bella afferunt, necesse est, ut præcedat opinio, quæ dubium excludat, & esse possit regula moralis operationis, ut quis prudenter agat, & periculo peccandi non se exponat.

In bello iusto licet omnia facere, quæ necessaria sunt ad vindicandam injuriam, ad boni communis defensionem, & salutis securitatem; ut vastare, obsidere, destruere arces, nocentes interficere (sed cavenda est nimia auctoritas, & inhumanitas) aliaque damna inferre, quantum necesse est ad habendum pacem, & securitatem ab hostibus; qui ratione delicti, & injuriæ irrogatæ censentur subesse Principi bellanti, tamquam Judici proprio, ut ab eo coerceantur, ne amplius noceant, satisfaciant, & Orbem non perturbent. Arg. ex cap. Alibi 23. quest. 5.

§ 2. At petitur. An innocenti licite occidi possint?

Resp. Directè, & ex intentione non licet, quia est intrinsecè malum, & prohibitum. Exodi 23. per accidens autem est permillum; cum nimirum obtineri victoriæ nequit nisi & ipsi pereant, sed id

non debet intendi: sed solum victoria. Et tunc occiduntur sine culpa, sed non sine causa.

Quod intelligitur, tum de innoſentibus jure naturæ, ſunt pueri, ſenes, & mulieres, & alii, qui arma geſtare nequeunt; tum ex præſumptione juris: ut ſunt Clerici, & Religioſi, qui, cum ipſorum ſtatus ſit à malitia alienus, per reſpectum ad illam præſumuntur innoeentes.

53. *Quæritur. Petrus diſceſſurus ad bellum contra Turcas inſtrui petit à Confeſſario, an ſibi liceat ipſorum pueros occidere?*

Reſp. Negativè ex ſpeciali intentione ad eos per ſe directa, ſed per acciſdens licitè poteſt, ut directum eſt.

54. *At nonne poſſunt in futurum, & adulta ætate hoſtes eſſe Reipublica Chriſtiana?*

Reſp. Utique; ſed de præſenti ſunt innoeentes. Dubium futuræ hoſtilitatis non dat jus occidendi tunc innoeentes. Tum quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, & evitentur alia mala; nec Deus actu hominem punit pro peccato futuro, qui fuit error Semipelagianorum. Tum quia poſſunt in infantia decedere. Tum quia adulti poſſunt fidem ſuſcipere. Tum quia non eſt juſtum mediis illicitis providere bono communi. Tum quia poteſt alio modo occurrere, eos in ſervitutem redigendo, & uti diligentia, ut in fide inſtruantur, & convertantur. Praxis in catholicis caſtris hæc eſſe debet.

55. *Quæritur. An liceat militibus navas proprias comburere, ne ipſi in manus hoſtium perveniant?*

Reſp. Negativè, cum non felicitum ad hujus vitæ erumnas vitandas ſe occidere; nam contra rationem ad vitandum minus malum, majus eligeretur.

Aliqui affirmant in caſu, dum mors propria directè non intenditur, ſed ſola hoſtium deliberatio; maxime, dum accedit Ducis mandatum, & graviffima cauſa boni publici; ne ſcilicet integræ naves ad hoſtium manus perveniant; qui per hujusmodi prædam audaciores, & fortiores evadent, ac ardentius ad alias naves capiendas ad volabunt, à quo abſtinebunt ex prævio inuſincendio.

56. *Quæritur. Miles dubitans de injuſtitia belli (quod Principi notum fuiſſe injuſtum) juxta militiæ regulas, & non alias militavit; petitur, an peccaverit?*

Reſp. Vel miles eſt voluntarius, vel ſubditus, aut conductitius. Affirmatur peccaſſe, ſi erat voluntarius, quia hujusmodi miles obedire non tenetur, cum nec ſubditus ſit, nec ſtipendiatus, & alias exponit ſe periculo inferendi proximè graviffimam injuriam.

Exigitur itaque præſumptio, quod jus ille habeat juſtè bellandi; propterea debet inquirere de juſtitia belli, & dum dubium deponere non poteſt, à bello abſtinebit.

Negatur verò, ſi erat Principis bellantis ſubditus, aut ab eo conductus, ex Auguſtino lib. 23. contra Fauſtum cap. 75. *Cum ergo, ait, vir juſtus, ſi forte ſub Rege homine, etiam ſacrilego militet, rectè poſſit, illo jubente, bellare civica pacis ordinem ſervans; cui, quod jubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum, certum eſt: vel utrum ſit, &c.*



num non est, ita ut fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi. Ratio est ex cit. Lauræ §. 3. nu. 156. quia stipendiatus, & subditus pro Principe debet præsumere, quod, examinata prius diligenter causa, ad bellum justè procedat; maximè quia milites rationum pondera discernere nesciant, & merita Civium distinguere nequeunt; neque hoc ipsorum est, videas Glof. ad cap. *Quid culpatur* 23. qu. 1. verb. *iniquitas*. Nihil grave foret Reipublicæ, & moraliter impossibile, si omnibus militibus esset danda ratio justitiæ belli.

Sed credo esse limitandum. I. Quod peccet miles conductitius, si priusquam stipendium accipiat, cum eo dubio contractum celebrat. II. Si ei aliqua probabilis ratio occurrat, quæ ipsum positivè in praxi dubium reddat.

Nota I. milites paratos famulari cuilibet ad bellum vocanti, sive justum, sive injustum sit, modò stipendium præbeat, esse in malo statu; & nisi propositum corrigant, absolvi non possunt.

Nota II. Milites omnes ratione stipendii, quod accipiunt, ex æstipia, adeoque sub culpa mortali, obligantur. I. Ad obediendum Duci, & militiæ Præsidi. II. Ut in acie, & pugna consistant, & non facillè fugiant; aliisque timorem injiciant. III. Ut stationem servant. IV. Ut Arcem sibi commissam defendant, etiam cum periculo vitæ, quamdiù spes defendendi superest. V. ut sine Ducis sui consensu à castris, vel exercitu non discedant. In hac re debet miles advertere, quantum damnum ex discessione sua sequatur: vel, quia alius

miles non nisi magnis expensis adduci possit.

§ 7. Quæritur. *A Duce non solvitur militi integrum stipendium juxta patrimonium, aut solutio differtur, petitur, an ei liceat subditos, aut innocentes incolas bonis spoliare, & ipsorum bona capere?*

Resp. Negativè, quia bona aliena non sunt oppignorata militibus pro stipendio. Quod, si injusta stipendiorum detentio milites cogat ad innocentes spoliandos, Dux tenebitur ad damnum reparandum.

§ 8. Quæritur. *An Clericis sit pugnare licitum?*

Resp. Per se non licet, quia jure Ecclesiastico eis prohibetur, cap. *quicumque ex Clero*, cap. *Clerici* 23. qu. 3. Nam sunt ex officio inhabiles ad pugnandum, ex cap. *Ex multa de voto*. Quos ars bellica retrahit à laude Dei, oratione, & divinis officiis: & exemplo Christi debent potius pati suum sanguinem effundi, quam effundere alienum.

Propterea Clericos in majoribus constitutos (idem de Religiosis) peccare mortaliter, si pugnent, etiam in bello justo, tam aggressivo, quam defensivo, dixerunt DD. cum S. Joan. de Capistrano tract. de Papa, & Cone. auct. p. 2. partii secunda principal. pag. mihi 85.

Colligitur etiam ex cap. *Petio de homicid.* ubi deciditur irregularis Clericus, qui contra Saracenos in bello defensivo metuebat aliquos ex eis interfecisse, vel mutilasse, eique imponitur, ut in dubio ab Altaris ministerio abstinere: cum in hujusmodi dubio consultius sit abstinere, quam temere celebrare, ut ibi textus.

Dixi *per se*, quia *per accidens*, Clericis, etiam in factis permittitur propria manu pugnare in casu iustæ defensionis Patriæ, vel Reipublicæ ab hostibus invasæ. Dum necessitas eversionis est omnino inevitabilis. Quod contingit, dum sæculares ad defensionem non sufficiunt, nec vim hostium propulsare possunt. Lauræa §.4. Gonzalez in §. tit. 12. de homicid. cap. 24. num. 8. Verum si absque cæde possunt hostem declinare, confodere est peccatum, quia tunc potius intenditur ultio, quam necessaria defensio.

59. Sed quaeritur. *An Clericus ex necessitate defensionis Patriæ in bello iusto defensivo pugnans, fiat irregularis, si aliquos hostes occidat, vel mutilet?*

Resp. Affirmativè, colligitur ex regula communiter accepta, quod irregularis efficitur, qui aliquem interficit, aut mutilat, à qua non reperiuntur excepti, nisi casus furiosi, infantis, seu dormientis, & illius, qui mortem aliter vitare non valens, suum cum moderamine inculpatae tutelæ occidit invasorem, ex Clement. *Si furiosus de homicid.* Sed dic, ut ad proximum.

60. Sed quid, si necessitas talis foret, ut cum Patria se ipsum etiam defendere deberet?

Resp. Tunc juxta text. *alleg. Clement.* à quibusdam excusatur ab irregularitate. Sed legendum est Trid. *ses. 14. cap. 7.* ubi: tam irregularis statuitur committens homicidium voluntariè, & ex proposito; quam occidens alium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defendat. Cum hac differentia, quod, dum agitur de *Matthæi Cantela Confess.*

primo homicidio, non tam facile cum promovendo, tametsi cum promotio facilius à S. Sede dispensetur. Dum verò agitur de secundo facilius super irregularitate dispensatio obtineatur. Legendus Fagnan. in §. ad cap. *Petitio nu. 15.* & ad cap. *Henricus nu. 23.* & sequen. de homicidio.

Dices. Clericus tunc non peccaret, ergo nec irregularitatem incurreret?

Resp. Negando consequentiam. Irregularitas contrahitur, etiam sine culpa, pater in militibus in iusto bello occidentibus, vel mutilantibus; in Judice justam sanguinis sententiam proferente: in testibus iuste in eadem causa deponentibus, & in officialibus ejusdem sententiæ executioni cooperantibus.

61. Quaeritur. *An sit irregularis Clericus, qui in bello iusto milites hortatur, ut fortiter pugnent pro iustitia, Patria, vel Ecclesia: Si aliquis per milites occidatur, vel mutiletur?*

Resp. Negativè, est communis DD. sententia apud Gonzalez *cir. num. 4.* asserentes Clericos absque specifica sanguinis intentione hortantes milites ad strenuè pugnandum nullam contrahere irregularitatem; quod probant ex cap. *Maximilianus 23. qu. 3.* ex cap. *Igitur: cap. Omni timore: cap. Hortari* ibid. §. 8. ac ex D. Thoma 2. 2. q. 10. art. 2. ad secundum. Ratio est, quia adhortari ad strenuè pugnandum, idem est, ac hortari ad strenuè incumbendum in adeptione victoriæ, & ejus obice repellendo; quod non est specificè intendere sanguinis effusionem. Propterea eis prohibetur hortari, vel invitare ad pugnam injustam, vel eum  
(Q) specifica

specifica intentione sanguinis; vel his verbis, *occide*; & dum ita milites ad pugnam hortantur, irregularitatem contrahunt, dam per milites aliquis occiditur.

62. *Quæritur. An Clerici procedentes ad bellum ex dispensatione Papa irregulares sint, si sequatur mors, vel mutilatio hostis?*

Resp. Negativè quia statim ac dispensat in principali, & antecedenti, censetur cum eis etiam dispensare in consequenti, adeoque in irregularitate, & aliis pœnis. *Laura cit. §. 1. nu. 245. De la Cruz de irregularit. lib. 7. De quare dixi Official. Cur. Eccles. cap. 35. §. unic.*

Adverte. In bellis considerari varia opera: Primo actionem ipsam bellandi, quæ Clericis juxta dicta per se prohibetur. Secundò functiones alias, ut comitari exercitum ad consilium circa bellica negotia pro utilitate Ecclesiæ præbendum, quod per Clericos præstari potest, arg. ex cap. Ex multa de voto. Item comitari possunt exercitum ad Missas celebrandas, & sacramenta ministranda. *Gonzalez cit. num. 4.*

## §. VII.

*Justitia.*

63. *Quæritur. Quid sit justitia.*

Resp. Est habitus inclinans voluntatem ad reddendum, vel relinquendum alteri, quod suum est; adeo ut appareat malum, & rationi dissonet non reddere illud ipsi, aut auferre illud ab eo.

Dividitur in commutativam, & di-

stributivam. Ad commutativam spectat servare æqualitatem in contractibus, & commutationibus, emptione, venditione, & similibus. Cui opponitur injustitia simpliciter; & quicquid alteri fit contra jus; ut homicidium, mutilatio, furtum, rapina, detractio, accusatio falsa, maledictio, &c. Ad distributivam verò pertinet distribuere commoda, & honores Communitionis, inter illius personas, servando proportionem geometricam ad eorum merita. Cui opponitur acceptio personarum, de quo *lib. 2. cap. 27.*

## §. VIII.

*Virtutes ad justitiam reducibiles.*

64. *Quæritur. Cuiusmodi virtutes reducantur ad justitiam, ut est virtus alterum respiciens.*

Resp. Primò reducitur Religio; quæ est virtus tribuens Deo propter ipsius excellentiam cultum, & honorem, qui non sit prohibitus ab Ecclesiâ Catholica. Habet hæc sub se plures actus specie diversos: Devotionem, Orationem, Adorationem, Sacrificium, Oblationem honorum, Votum, Juramentum, Dei laudem, & Adorationem quibus omnibus homo Deo subicitur, testificaturque, ejusdem excellentiam, perfectionem, aut supremum dominium.

Pex devotionem, testatur Dei superioritatem, & excellentiam; cum voluntas promptè se tradat ad ea, quæ pertinent ad Dei cultum, & servitium: in ea enim promptitudine voluntatis devotio sita est, juxta D. Thom. 22. qu. 82. ar. 1.

Per

Per orationem, homo Deo reverentiam exhibet, & se subijcit, ac proficitur orando se eo indigere, sicut auctore omnium bonorum, de quo fufius alibi Deo dante, occasione referendi Quietistarum errores.

Per adorationem nostram erga Deum servitute in recognitionem infinitæ suæ excellentiæ supremique dominiæ externis etiam submissionis signis profitemur, juxta dicta lib. 3. cap. 3. num. 62.

Per Sacrificium, ipsum Deum colimus, tamquam supremum vitæ, & mortis dominum; legas lib. 4. cap. 4. §. 2. n. 24.

Per oblationem bonorum, ejusdem Dei absolutum, & summum dominium in res omnes profitemur; etiam, cum ipsi offeruntur, ut cedant in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ; vel, ut per illos etiam sustententur pauperes, construantur Tempia, vasa, sacra, &c. quia semper cedant in Dei obsequium.

Si offeruntur primi fructus agrorum, vel arborum, dicitur primitiarum; Si verò fructuum decima pars, decimarum oblatio appellatur.

Per votum, agnoscimus Deum, tamquam ultimum finem, in quem nos, & nostra omnia speciali affectu referre volumus. Vid. lib. 3. cap. 4.

Per juramentum, implicitè profitemur Deum esse veritatem indefectibilem, & omniscium; propterea enim ad confirmanda propria verba, & promissiones ipsius nomen assumitur, per dicta lib. 2. cap. 16.

Per laudem Dei, ipsius summam perfectionem, & excellentiam verbis, & voce, profitemur.

Per adjurationem, Dei potentiam, & efficaciam recognoscimus.

Est adjuratio, aliquam personam imperando, vel obsecrando inducere ad aliquid faciendum, vel omittendum invocatione alienius vel sacra. Unde adjuratio duplex est; una deprecativa, quæ fit deprecando; altera imperativa, quæ fit imperando. Et curæ res, per quam fit adjuratio, debeat esse aliquod sacrum, debet fieri per Deum, Angelos, & Sanctos, ac etiam per justos viatores. Soufa aphorif. lib. 1. cap. 55. allegans Suarez, & Sanchez.

Adjuratio imperativa, seu coactiva Dæmonum licita est, per impetium arcendo illos exorcismis ab Ecclesiâ ordinatis, ne hominibus, aut rebus suis noceant. Quare videant exorcistæ, ne abutantur ministerio: sciant maxima cautela, & prudentia esse exequendum, & in eo abstinendum à nugis, superfluis, & curiosis interrogationibus; nec responsus Dæmonis credendum, quia est pater mendacii. Legendus Carena c. 5. num. 2. & 4. Annotat. de strigib. de offic. inquisit.

65. Quæritur, An liceat adjurare locustas, & vermes, precipiendo eis per Deum, ne agris, & fructibus noceant?

Resp. Negativè, Regula generalis est apud DD. vanum esse adjurare creaturas irrationales, & insensibiles, dirigendo sermonem ad ipsas, quasi ipsæ ex proposito se moveant ad nocendum, intentionem nocendi habeant, & capaces sint percipiendi adurationem, ac in vim illius cessandi à nocimento. Atque id asserunt esse ex genere suo mortale propter irre-

verentiam ad res sacras, & Ecclesie exorcismos, dixit Majol. *sum. in Decalog. 1. precept. p. 1. q. un. art. 5. §. 10.*

Adjurari solum possunt, referendo adjurationem ad Deum per modum deprecationis, eum deprecando, ut nos ab ipsarum nocimento liberet. *Soula cit. num. 13.*

Secundo, Ad usitiam reducuntur etiam. I. Pietas; quæ inclinatur ad colendos Parentes, Cognatos, & Patriam, cui opponitur impietas; quæ est ex suo genere mortalis.

II. Observantia, quæ inclinatur ad tribuendum honorem superioribus, & personis in dignitate constitutis; cui opponitur inobservantia: item ex genere suo mortalis.

III. Obedientia, inclinans ad exequenda mandata Superiorum; Cui opponitur inobedientia; item ex genere suo mortalis.

IV. Veritas, seu veracitas inclinans ad conformanda verba menti; Cui opponitur mendacium. De quo *libra secundæ cap. 17.*

V. Liberalitas inclinans ad distribuenda bona aliis sine avaritia, vel prodigalitate, sed juxta præscriptum rationis, dando, & retinendo, ut oportet; ideo ei per defectum opponitur avaritia, & per excessum prodigalitas, ut dictum est *supra num. 15. & dicendum lib. 2. c. 37.*

VI. Amicitia inclinans ad res mandandum amicis, eique amabilia officia exhibenda; Cui per excessum opponitur adulatio: quæ est mortalis, dum malefacta laudantur: cum impedit, ne amicus à peccatis resurgat, vel eum ad majora summa inducit.

## §. IX.

*Vitia per excessum religioni opposita.*

**R**eligionem per excessum opponitur superstitio, non quia, ut ait D. Thomas 2. 2. q. 92. art. 1. plus exhibeat in cultum divinum, quam religio, sed quia exhibet cultum divinum cui non debet, vel eo modo, quo non debet. De superstitione agit D. Augustinus *Epist. 102. (alias 179.) ad Deogratias q. 3. cap. 2.* Unde superstitio est; *cum vel vero Deo cultus illegitimus, vel creaturae cultus indebitus exhibetur.*

66. *Quæritur. Quando consecratur, quis verum Deum cultu illegitimo colere?*

Resp. Cum verus Deus colitur ceremoniis veteris legis, quibus Christus præfigurabatur venturus. Quod perinde est, ac significare, & confiteri Christum nondum incarnatum, & passum; consequenter est cultus perniciosus, aliquid falsum, & contra fidem significans. Est gravissimum peccatum in sic colente, quia præsumitur errare contra articulum fidei, *Incarnationis Filii Dei.* Hinc penitens in tali culpabilis interrogandus est, quid de fide sentiat? Et, dum cum errore reperitur, absolvi non potest à Confessario ordinario, quia est excommunicatus in Bulla Cœnæ. Imò, quamvis nec cum errore foret, tutius esset ipsum remittere ad Sacrum Tribunal.

II. Cum exhibetur Deo cultus superfluus, seu ineptus ad ipsum colendum, hoc est, cum sit aliquid ad Deum colendum,

dum, quod est præter Dei, vel Ecclesie institutionem, aut contra legitimam, & approbatam Ecclesie consuetudinem: ut, si Sacerdos in Missæ celebratione alios ritus, & preces adhibeat, præter ab Ecclesia receptas: abusus talis ex *Trid. sess. 22. in decret. de observan. in celebrat. Missæ* tollendus omninò est.

Quandoquidem mutatio potest inducere suspicionem hæresis, in casu nimirum, quo quis in celebratione Missæ utatur aliquo hereticorum ritu: ut, si post consecrationem data opera non genuilectat; nam tunc præsumitur cum Calvinistis non credere Christi veram, & realem præsentiam in hostia ritè consecrata.

67. *Quæritur, Quot modis cultus indebitus creaturae tribuitur?*

Resp. Multiplici. Idololatria, Divinatione Dæmoniaca, Magia, Maleficium, & Vana-observantia.

## §. X.

## Idololatria.

68. *Quæritur, Quid sit Idololatria?*

Resp. Est *superstitio, qua cultus, soli Deo debitus, creaturae exhibetur; ut, per sacrificium, erectionem templi, adorationem latræ: Sive oratione invocetur, sicut in vocatur Deus: Sive ei vota fiant, aut per ipsius nomen juretur, &c.*

Hujusmodi cultus solet secum habere annexam hæresim, dum colens credit creaturam esse divinitate præditam, vel dignam honore soli Deo debito. Et tunc quis absolvi non potest, quia est formaliter hæreticus excommunicatus in *Bulla Cœnæ*.

Si verò id non credat, adhuc gravissimè peccat contra virtutem Religionis, etiam si metu mortis cogatur; nam in iis, quæ sunt intrinsicè mala, nec metus mortis excusat. Immò, & tunc in foro externo, licet non in interno, excommunicatus reputatur; & ideo ad Sacrum Tribunal est dirigendus.

69. *Petitur, An Idololatriam committat Catholicus, dum adorat hostiam, quam prudenter credit esse ritè consecratam, qua tamen non est, vel ex defectu potestatis, vel intentionis in consecrante?*

Resp. Ab aliquibus admittitur eum committere Idololatriam materiale. Quæ in hoc stat, quod quis alicui tribuat cultum divinum, inculpabiliter ignorans illum ei non deberi. Cæteris placet id negare, quibus subscribimus, quia, dum Catholici hostiam consecratam adorant, implicite retinent hanc conditionem adorandi, *si præcessit legitima consecratio: & parati sunt respondere, se eam adorare, quia prudenter credunt esse ritè consecratam, aliàs non adoraturi.*

## • • §. XI.

## Divinatio Dæmoniaca.

70. *Divinatio Dæmoniaca est inquisitio, & prænnunciatio futurorum, & occultorum indebitis modis, à divina Providentia non constitutis. Hac semper inicitur auxilio Dæmonis per pactum expressum, vel tacitum. Et dicitur sortilegium, quatenus ministerio Dæmonis illa notitia proeuratur pactum expressum, vel tacitum.*

Q 3

Pan

Pactum expressum cum Dæmone fit, vel ejus auxilium explicitè imploratur, quando, vel expressis verbis ipse invocatur; vel, quando ipsomet facto invocatio fit; sicut, quando quis sciens Dæmonem per aliquod signum respondere, aut aliquid facere, tale signum adhibet: ut contingit in experimento dicto *della caraffa, e del crivello*.

Tacitè verò fit pactum, seu auxilium Dæmonis imploratur, quando occultorum notitia, vel alius effectus procuratur mediis vanis, & indebitis, quibus Dæmon libenter se permiscet, ut homines decipiat. Tunc enim quis tacitè Dæmonis auxilium implorat, juxta dicta *cap. 4. num. 11.*

Cæterum ad pactum tacitum non exigitur, quod quis prius cum Dæmone pactum inierit se se immiscendi cum his vanis, & indebitis mediis, à quocumque adhibitis; sed satis est, quod quis utatur illis ad effectum aliquem improprietatum adipiscendum. *Soufa aphor. lib. 1. cap. 38. num. 10.*

Pactum tacitum cum Dæmone tunc in aliquo facto dari præsumitur, quando non est proportio rei cognoscere, vel faciendæ ad medium, quo cognosci, aut fieri procuratur; ut, quando unum ex alio sufficienter non infertur.

Legendus D. Augustinus *lib. de divinat. Demonum, ubi cap. 5. & 6.* modos recenset, quibus solent Dæmones homines fallere, & nonnulla prius prænunciare, quàm eveniant.

Varie sunt species divinationis, in quibus intervenit pactum expressum cum Dæmone.

71. Prima est *præstigium*, quo quibus-

dam apparitionibus Dæmones aspectui, & auditui hominum se ingerunt, occultè prænunciando, objicientes hominum sensibus vera corpora occultè ibi asportata; vel à se efformata, applicando activa passivis; vel immutantes visum, ac si ab objectis moveretur; vel efformantes voces, nullo corpore efformato. Propter quæ auditus, & visus præstringuntur ad ea objecta percipienda. A quo hoc divinationis genus dicitur *præstigium*.

72. Secunda est *divinatio somniorum necromantica*: estque illa, quæ provenit à Dæmonibus occulta in somniis homines edocentibus. Hujusmodi somnia à Dæmonibus procedunt, invocatis per sacrificia, orationes, & cultus, ut contingit in strigibus. Quæ non semper realiter feruntur de loco ad locum, sed media unctio sopore correptæ in eodem loco manentes, per somnia ea omnia eis representantur, quæ postea se vidisse narrant. Qui hanc scientiam habent cum Dæmonibus ut plurimum sunt apostatæ à fide, sicut Lamie.

73. Ad hujusmodi genus divinationis reduci potest *ars notoria* (quam vocant etiam claviculam Salomonis) qua quis utitur quibusdam ad acquirendam scientiam, quæ non habent secundum se virtutem causandi scientiam. Sicut inspectione quarundam figuratum, & prolatione quorundam signorum, verborum, & similium. Solet Dæmon per eos loqui, quos hac arte deludit, sibi que mancipat, ipsorum phantasiam turbans, linguam movens ad quædam illis incognita, & arcana proferenda. Sed ubi Dæmon precibus, ac exorcismis Ecclesiasticis coactus deserit, & pactum cessat, nec rec-

cordantur, quæ dixerint. Hanc artem reprehendit Augustinus *lib. 2. de doct. Christ. cap. 24.*

74. Tertia est *neromantia*, qua arte Dæmonum per fictas mortuorum apparitiones occulta hominibus prænunciantur.

75. Quarta est divinatio *Pythonica*, qua Dæmon occulta prædicat per homines vivos.

Ad quam spectat divinatio oraculorum, hoc est, responsa data à Dæmone certis in locis ministerio hominum, qui Pythonici, & Fanatici dici solent.

76. Quinta est *Geomantia*, qua Dæmon occulta manifestat ex signis in corpore terrestri. Ad hanc spectat experimentum, *detto dello specchio*, & illud per annulos, gladium, &c.

77. Sexta est *Hydromantia*, qua Dæmones occulta manifestant per aquam, vel in aqua. Usus istius est in fontibus. Contingit etiam utendo vase aqua pleno, & puero, vel puella virgine, injectis in aquam paleis, pronuntiatisque determinatis verbis; & tunc puero, vel puella representatur figura, ex quibus cognoscitur, quod quisque scire vult.

78. Septima est *Aeromantia*, qua arte Dæmonum occulta prædicuntur per apparitiones, quæ in aere fiunt.

79. Octava est *Pyromantia*, qua arte Dæmonum occulta manifestantur in igne, audiendo ex eo voces, vel aliis signis.

8. Nona est *Aurispicium*, qua occulta cognoscuntur per inspectionem viscerum animalium, quæ Dæmonibus immolantur.

Quæ quidem omnes divinationis species sunt peccata mortalia gravissima, di-

vina lege reprobata. *Deuteronom. cap. 8.* Et Ecclesiasticis legibus sub Anathematis interminatione prohibita, ut habetur cap. *Si quis Ariolos 26. q. 5.*

Varie item sunt species divinationis, quæ fit cum pacto implicito cum Dæmone. Quas omnes recenset Soula *loc. cit. cap. 48.* Variasque ibid. cap. 56. refert regulas ex D. Thom. quibus cognosci possunt innumera facta, quæ fiunt per verba, characteres, & res aliquas naturales applicatas ad mirabiles effectus, & curationes, esse cum pacto implicito cum Dæmone.

81. Prima est. Si voces, vel scripturæ contineant aliquid falsum, vel irreligiosum, est certum, quod effectus inde factus à Dæmone fuerit.

Secunda. Si per orationem petatur, aut expectetur à Deo aliquid iniustum, & quovis modo peccaminosum, licet verba, vel scripta sint sancta, pactum implicitum cum Dæmone intervenit.

Tertia. Si usurpentur characteres, aut verba incognita, sive dicantur esse Dei, sive Angelorum, nam communiter sunt nomina Dæmonum, aut ab eis consuetæ ad firmandum pactum cum Magis.

Quarta. Quando verbis, aut verbis sacris adduntur aliqua vana, profana, & incognita, à Dæmone medio pacto procedit effectus.

Quinta. Quoties aliquid, sive sacrum, sive naturale adhibetur ad aliquem effectum, ad quem constat non habere proportionem, nec virtutem naturalem, neque supernaturalem, censendum est ibi intervenire pactum cum Dæmone, juxta Augustinum *cit. lib. 2. de doctrina Chri-*

*stiana*



stiana cap. 2. ubi. *Ista opiniones quibusdam rerum signis humana presumptione instituit, ad eadem illa, quasi quedam cum Damone pacta referenda sunt.*

Ad has attendant Confessarii, ut dignoscere possint superstitiosas actiones, eisque remedium præbere.

82. Quantum ad Astrologiam, quæ ponitur inter species divinationis, est pondetandum: Quod Astrologia duplex est, *naturalis, & judiciaria.* Naturalis, quæ dici solet etiam astronomica, est *consideratio astrorum, indeque sumpta prædictio effectuum naturalium, eventuum scilicet cælestium, & elementarium, ut Eclypsis, serenitatis, tempestatis, siccitatis, fertilitatis, & aliorum effectuum naturalium, qui ex cælestibus corporibus, ut ex naturalibus causis, causantur.* Hæc non est prohibita, ut DD. communiter, ac à Sixto V. in *const. Cæli, & terra Creator la 17. Bullar. tom. 2. §. 1. præservatur per hæc verba: futuris eventibus ex naturalibus causis, necessario, vel frequenter provenientes, quæ ad divinationem non pertinent, dumtaxat exceptis, & infr. §. 3. Astrologiæ artem prohibente; præter quæ circa agriculturam, navigationem, & artem medicam; circa quæ neque ullum iudicium certum ferri potest, sed valde dubium, quia astrorum motus quis dimensus est?*

83. Astrologia judiciaria est astrorum consideratio, indeque desumpta prædictio futurorum contingentium, à libero hominis arbitrio dependentium; iudicatque de nascentis statu, vita, & morte, honoribus, nuptiis, facultatibus, filiis, inimicis, &c. ac quid in singulis

rebus sit faciendum, quid omittendum; quando manendum domi, quando egre-diendum, & similia. Falsitas hujus patet, ex quo astra non sint causa operationum liberi arbitrii; aliàs tolleretur libertas, omniaque contra fidem fato, vel fatali necessitate contingerent; quia astra naturaliter, & necessario, quantum possunt, influunt, ergo vanum, superstitiosum, & diabolicum est ex astris certum, vel probabile iudicium ferre de actibus à libero arbitrio dependentibus.

Si dixeris, quod ex astris potest Astrologus observata nativitate pueri habere conjecturam de temperamento, & propensione.

Potest hoc negari. Nam caremus perfectâ astrorum scientia. Tum quia vix potest notari situs astrorum existentium in puncto nativitatis. Tum quia, licet posset dicere, quantum est ex vi astrorum, deberet esse mitis, castus, &c. tamen, nec certo, nec probabiliter potest prædicere, quod ita erit. Nam sicut sapiens potest dominari suis passionibus, ita & astris; Sed in particulari nil, nec probabiliter potest prædicere. Unde cum quidam Astrologus considerans Socratem, dixisset, nec castum, nec virtuosum esse, respondisse fertur, se talem quidem futurum fuisse, sed per abstinenciam se castum, & per studii exercitium doctum evasisse, & corporis passiones malas philosophia superasse.

De hujus generis astrologia diximus aliqua d. cap. 4. nu. 19. D August. lib. 2. de doctr. Christ. cap. 21. eam vocat perniciosam superstitionem, & conantes ex stellarum positione, vel actiones nostras, vel actionum eventa prædicere, ait ni-

mis

anis errant, & vendunt imperitis hominibus miserabilem servitutem.

## §. XII.

## Divinatio per Sortes.

84. **S**ors est actio facta, ut ejus eventu aliquid innotescat, vel fiat. Soufa citat. capit. 53. numero 1.

85. Aliæ autem sunt sortes divinatoriæ, quæ adhibentur ad aliquid occultum, vel futurum sciendum. Aliæ consultoriæ ad cognoscendum quid in aliquo casu agendum sit (ut ex urna elicimus, utrum anno sequenti debeamus seminare, vel non) & aliæ divisoriæ, quibus quaeritur, quid in alicujus rei, vel honoris divisione sit cuique dandum.

86. In sortibus divinatoriis est semper peccatum mortale, quia in eis semper tacita invocatio Dæmonis reperitur, à quo effectus expectatur; cum neque ex divina institutione, neque ex aliqua virtute naturali fortes illæ connexionem habeant cum eo, quod per illas inquirunt. Quas prohibet Sixtus V. in d. const. Cæli, & terra, ibi: non sine Dæmonis saltem occulta societate, aut tacita participatione operam dare, sibi illis, ac sortibus illicitis taxillorum, granorum triticorum, vel fabarum ictu uti non videntur. Verùm ignorantia à mortali potest excusare, juxta d. cap. 4. num. 15.

In sortibus pariter consultoriis est item peccatum mortale, quando resolutio expectatur à Dæmone; Non verò, quando per illas Deus consultitur. Quod tamen fieri non debet, nisi cum triplici conditione. Primò, ut non ex curiosi-

*Matthæi Causela Confess.*

tate, sed ex aliqua necessitate. Secundò, cum reverentia divini Nominis. Tertio, ut verba Evangelii ad negocia secularia, & vana non convertantur. Primum, & secundum habetur ex cap. Non exemplo 26. q. 2. ibi: Si quis tamen necessitate aliqua compulsi, Deum putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum; Videant, hoc ipsos Apostolos, non nisi collecto Fratrum Cœnu, & precibus ad Deum fufis egisse. Ut in locum, scilicet Judæ, alium Apostolum substituerent. Tertium verò ex August. in Epist. 55. (alias 119.) ad Inquisit. Januarii cap. 2. ibi: Hi verò, qui de paginis Evangelicis sortes legunt, & si optandum est, ut hoc potius faciant, quàm ad Dæmonia consulenda concurrant: tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negocia secularia, & ad vice hujus vanitatem propter aliam vitam loquentia oracula divina velle convertere. Videatur Glos. in cap. Hi d. causa, & q. in verb. potius.

Ceterùm exemplo Matthiæ, non adeò facile est sortibus consultoriis utendum, ut in d. cap. Nam ordinariè Deus vult suam voluntatem ab hominibus indagari aliis mediis, quam per sortes: ut, doctrina Ecclesiæ, Doctorum, & virorum prudentum consilio, oratione, timore, & reverentia divinum implorando auxilium.

87. Tandem, ut sortes divisoriæ (quæ sunt contractus fortunæ, in quo partes conditionem æqualem subeunt acquirendi, aut perdendi) sint licitæ, debent nonnulla concurrere.

I. Ut eventus non expectetur à Dæmone, nec ab astris, neque à fato, &

(R)

fortu-

fortuna, tamquam Dea, ex necessitate causante eventus humanos, prout à Gentilibus usurpabatur, sic enim foret contra Religionem: Sed sumpta pro divina Providentia ordinante, & disponente causas ad talem eventum, ut notavit Majol. §. 7.

II. Ut fiant cum necessitate juxta Augustinum *Epist. 228. (alias 180.) ad Honoratum*, exemplificantem in Dei Ministris, quando inter eos esset dissidium, quinam debeant tempore persecutionis manere, ne fuga fiat omnium: & quinam fugere, ne morte omnium deleatur Ecclesia: *Si hæc disceptatio aliter (ait) non potuerit terminari quantum mihi videtur, qui maneat, & qui fugiant, sorte legendi sunt.*

III. Ut non violetur justitia, sed illatum servetur jus partium.

IV. Ut sortes non adhibeantur in electionibus, & beneficiis Ecclesiasticis, in quibus jure canonico prohibentur, cap. *Ecclesia de sortilegiis*. Nec est eis mendum in aliis rebus spiritualibus. Unde S. Congr. S. Offic. 18. Julii 1703. prohibuit quardam folia cum titulo: *Lotto spirituale per le povere anime del Purgatorio*, &c. in quibus præscribitur modus suffragandi per quandam speciem fortis: non propter suffragia pro iisdem animabus, quæ sunt sancta, sed propter dictum titulum, & modum, qui est prophanus, & christiana pietate planè indignus.

V. Ut fiant cum reverentia Dei.

Quas conditiones reperiti in fortibus publicis Januensium, scripsit Campionus *p. 2. cap. 36. num. 11.*

§. 8. Ad genus fortis divinatoriæ videtur spectare *purgatio vulgaris*, seu ex-

perimentum, quod per ferrum candens, vel aquam ferventem sumebatur ad cognoscendum, an accusatus de crimine, reus esset, & purgandam accusationem occulti criminis impicti. Sed quamvis in hoc conveniat cum fortibus, tamen per ipsum, quatenus expectatur aliquis effectus miraculosus à Deo, Deus tentari videtur: pro ut expressè cap. *Dilectissimi de purgat. vulg.*

§. 9. Ad divinationem per sortes spectat per baculum, vel arboris ramum, cetera sub constellatione ex arbore abscessum certisve characteribus, & signis notatum thesauros absconditos scrutari, & ubi sint absconditi, designare. Nam hujusmodi instrumenta sua natura vim nullam habent ad detegendos thesauros in terra defossos, ac in occulto absconditos. Ideo non possunt adhiberi, tamquam causæ; sed adhibentur tamquam signa; & sic pertinent ad pacta quædam significationum cum Dæmonibus foederata, ut loquitur Augustinus *lib. 2. de doctr. christ. cap. 20.*

### §. XIII.

#### *Magia Superstitiosa.*

90. **Q**Uæritur *Quid sit hæc magia?*  
Resp. Est facultas operandi ut *Dæmonis mira*, excedentia vires humanas; ut, scire consilia Principum, existentium in remotissimis partibus, sanare citò hominem, &c. utrumque enim non superat vires Dæmonis: nam primum potest suo celeri motu exequi deferre illorum notitiam; secundum verbis nobis non videntibus, applicando activa passivis.

Regula

Regula dignoscendi, quando illud mirum referri debeat ad auxilium Dæmonis, est, cum vel media, quæ adhibentur ex se vim naturalem non habent ad illud, vel præter consuetudinem Ecclesiæ applicantur. Unde ex suo genere est peccatum mortale.

## §. XIV.

## Maleficium.

91. **Q**uæritur. *Quid sit maleficium?*

Resp. Est ars iniusta nocendi aliis ex pacto cum Dæmone. Si maleficium adhibeatur ad excitandum amorem carnalem, vel odium inter personas, dicitur amatorium. Si ad nocendum in corpore per infirmitates, vel bonis externis per ventos, pluvias, &c. est veneficium, de quibus diximus *cap. 4. num. 12.*

Dices. Dæmon non potest voluntatem necessitare, nec cogere ad peccatum, ergo nec excitare hominem ad amorem venereum, vel odium.

Resp. Negando consequentiam. Non necessitando excitat, sed alliciendo, vel alterando phantasiam, formando species representantes rem amatam amabiliorum, vel carnis appetitum inflammando. Utinam sæpè Dæmon nobis materiam tentationum non proponeret. Quibus tamen non obstantibus, voluntas est libera ad consensum dandum, & potest maleficiatus, si velit, cum auxilio divinæ gratiæ de tentatione victoriam reportare, & illecebras sensus repellere.

92. **Q**uæritur. *Petrus hac Confessario aperit; Berta maleficio meo filio ad mor-*

*tem nocuit, jam est parata nocimentum tollere, sed non potest, nisi alio maleficio: peto, an possim sine mortali id ab ea petere, vel consentire, ut faciat: quid Confessarius diciturus?*

Resp. Primò. Quod tenetur eam denunciare S. Tribunali. Secundò. Cum ea reducat ad praxim dicta *cap. 4. num. 17.* Tertio. Si per mensem post adeptam notitiam neglexit, absolvi non potest juxta edictum S. Offic. *ibid. num. 10.* Quarto. Quod non potest id sine lethali peccato petere: nam, ut ait Apostolus 3. *non sunt facienda mala, ut eveniant bona: ad quod applicatur aliud ex cap. 1. digni sunt morte, &c. non solum, qui talia faciunt, sed, & qui consentiunt facientibus.* Tum quia, sicut opus per se malum nemo unquam licitè facit, ita nec ad illud ullus licitè induci potest.

Dices. Licitum est ab usurario parato usuras petere mutuuum in gravi necessitate, recipere, & postulare, maxime dum non est alius, à quo possit mutuuum obtinere. ergo à pari

Resp. Negando consequentiam. Discrimen est evidens: Nam usurarius inducitur ad id, quod sine peccato facere potest, si velit. Mutuum enim petere, & dare peccatum non est, & mutuans potest mutuuum dare simpliciter, nihil exigens ultra sortem, juxta dicta *§. 5. num. 43.* Sed amotio maleficii per aliud maleficium est intrinsicè mala, & sine peccato tolli non potest, adeoque nec peti, ne communicetur in crimine.

Dices. Morietur puer, nisi tale adhibeatur remedium.

Resp. Melius est, ut homo moriatur, quam, ut peccatum committatur, si si-

(R) 2

ne

ne maleficio maleficium dissolvi non potest. Juvetur ægrotas per preces, & Ecclesia exorcismos; & dum istis iusto Dei iudicio non liberatur, commendetur Deo, & relinquatur in manus ipsius.

## §. XV.

*Vana-observantia.*

93. **Q**uæritur. *Quid sit vana-observantia.*

Resp. Est, cum ad aliquid obtinendum, vel vitandum adhibentur aliqua, quæ ad id nec à natura, nec à Deo vim ullam habent; consequenter illis utens, ac volens inde consequi effectum intentum, ipso usu, & facto protestatur se Dæmonem tacite implorare, ut eis se ingerat, auxilium præstet, cum non possit aliter optatis frui.

94. At dubitatur, unde cognoscendum, quod ea virtutem non habeant?

Resp. Quod à Deo non receperint, colligitur ex regula generali, quod nunquam tribuenda est victus supernaturalis alicui rei, nisi id constet vel ex Sacra Scriptura, vel traditione, & institutione Ecclesiæ, vel ex divina revelatione Ecclesiæ facta; cui fuit revelatum Sacramenta esse signa gratiæ. Quod, nec à natura, colligendum est ex natura effectus; & videndum, an naturaliter possint talem effectum causare; quod, si non possint, consequens est non adhiberi ad talem effectum, ut causas, sed solum, ut signa ex vanitate humana introducta, ad quorum positionem Dæmon talem effectum operatur, ut sibi homines obstringat, & curiositatem expleat.

95. **Q**uæritur. *In quo differunt vana-observantia, & divinatio?*

Resp. In hoc: per illam intendimus præcipue aliquid obtinere, vel vitare, aut nostras actiones dirigere in ordine ad aliquod bonum consequendum, vel malum vitandum. Per istam verò intendimus solum acquirere cognitionem futurorum, & occultorum.

96. **Q**uæritur. *Quor sunt species vana-observantia?*

Resp. Sequentes I. Ars notoria. II. Observantia sanitarum. III. Observantia futurorum eventuum. IV. Observantia dierum faustorum, & infausorum. V. Observantia sacrorum.

97. **Q**uæritur. *Qui censetur delinquere circa primam observantia speciem?*

Resp. Qui orationes aliquas, vel jejunia, tanquam media certa, ut infallibilia adhibet ad acquirendas scientias, sine ullo labore, & studio, ad modum scientiarum infusarum. Quod quidem fieri sine mortali non potest. Solet Dæmon peccos loqui, quos hac arte deludit, ipsorum phantasiam alcerans, & linguam movens ad quædam illis inco gnita, & arcana proferenda. Sed cum pactum vel retractatione, & penitentia dissolvitur, aut per orationes, & exorcismos Ecclesiæ tollitur, nec eorum, quæ dixerint recordantur.

98. **Q**uæritur. *Quando delinquunt circa secundam speciem observantia?*

Resp. Cum ad sanitatem, vel sibi recuperandam, vel alteri conferendam, media inutilia, & superstitiosa adhibentur; ut, si recitentur certæ orationes, quibusdam verbis, & non aliis conceptis; si tot numero orationes adhibeantur,

tot numero candelæ, talis coloris offerantur, cum certa spe, & credulitate, quod per illas, nec plures, nec pauciores, ac per eas sic scriptas, & appensas ad collum, salus, vel res alia obtinebitur infallibiliter.

99. Dies. Orationes sunt media optima ad impetrandam à Deo salutem.

Resp. Pium, & utile est recitare quotidie orationes ad impetrandum à Deo, ut nos à tentationibus liberet, bona etiam temporalia concedat, & tollat mala, prout fuerit salutis expediens; at superstitiosum, & vanum, si orationes recitare, & non plures ad obtinendum effectum aliquem, ita ut vis ponatur in numero.

Ut extra omnem superstitionis suspicionem sint precum, & benedictionum formulæ, illis utamur, quas Ecclesia approbavit, nec alio ritu, quàm illis in Missali, & Rituali Romano ab ipsa præscriptis.

Offerant fideles in Dei, & Sanctorum honorem candelas aliquas ad devotionem excitandam circa aliquod Sacrum Mysterium: accendant tres in honorem SS. Trinitatis &c. Sed caveant, ne ex credulitate id faciant, quod in ipsorum honorem non sint cessuræ, nisi in tanto numero, talis coloris, & longitudinis sint, simili enim conditione apposita, non Deus, qui vano non colitur cultu, sed Dæmon honoratur.

Generaliter pro apertè superstitiosis, vel suspectis habenda sunt ea media, ad quorum usum exigitur, quod ab isto homine, & non ab alio cum certo numero jejuniorum, certis precibus, certo die, certa hora, tali modo fundendis, vel ha-

bentibus admixta verba peregrina, incognita nomina, & characteres: cum tot Crucis signis adhibentur, quæ propter tales circumstantias vim à natura inditam est certum non habere, adeoque non ut causæ prodesse possint, sed solum, ut signum pacti, quo posito, Dæmon effectum operatur. Quod expressit D. Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. cap. 20. ubi: *ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ, atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, sive in præcantationibus sive in quibusdam motis, quos characteres vocant sive in quibusdam rebus suspendendis, atque illigandis, vel etiam aptandis, quodammodo non ad remporationem corporum, sed ad quosdam significaciones aut occultas, aut etiam manifestas.*

Idem dicitur de imaginibus Astronomicis, annulis, moneis, & similibus arte factis, in quibus nulla vis naturalis est ad arcendos dolores; cum sint solum ordo, figura, & compositio talibus characteribus, & signis sub tali hora efformatis. Figura autem nequit actionis naturalis esse principium, nec ipsa ad temperationem corporis aptatur. Ideo, ut signa adhibentur in remedium: quemadmodum alia plura sunt, nullam connexionem, & proportionem habentia cum effectu consequendo, quibus maximè utuntur mulierculæ ad plura vana curiosa, & sæpè nociva.

100. Ad dubitatur. *Quid agendum, cum quis dubitat, an res vim ex natura sua habeat ad curandam infirmitatem? vel, an curatio dependeat ex pacto cum Dæmone?*

Resp. Roget consilium medicorum, &

(R) 3

perit.

peritorum, Quod si absint: Consultat Confessarium. Numquam cum dubio operetur, quod à Dæmone possit effectus esse; quia id non licet, nisi peccare velit, exponens se peccandi periculo.

101. Quæritur. *Quis reputatur delinquere in observantia futurorum eventuum?*

Resp. Qui ex rebus sibi casu occurrentibus mala aliqua, vel bona sibi persuadet eventura, & juxta rerum occursum suas actiones dirigit. Varia hujus vana-observantia exempla profert Augustinus ubi *supr. cap. 20. ibi. His adjunguntur millia inanissimarum observationum: Si membrum aliquod salierit: Si, junctim ambulanti bus amicis, lapis, aut canis, aut puer medius intervenit; atque illud, quod lapidem calcant, tamquam diremptorem amicitia: Hinc sunt etiam illa, limen calcare, cum ante domum suam transt: redire ad lectum, si quis dum se calciat, stertuerit: redire domum, si procedens, offenderit: cum vestis à foricibus roditur, plus tremere suspicione futuri mali, quam præsens damnum dolere. Unde illud eleganter dictum Catonis: qui *evmisset consultus à quodam, qui sibi à foricibus erosas caligas diceret, respondit: non esse illud monstrum, sed vere monstrum habendum fuisse, si forices à caligis roderentur. Si sal, vel oleum in mensa super mappula spargatur: si tredecim ad mensam se-deant, &c.**

Delinquitur etiam per *augurium*, ut, dum quis voces, garritus, & ululatus hominis, animalium, & avium; & per *auspicium*, cum eorundem motus, gressus, & gesta constituit suarum actionum

regulam, quasi possint eventus arcanos dependentes à libertate hominis prænu-  
ciare.

102. Quæritur. *Quis delinquere dicatur in observantia dierum fasti-  
orum?*

Resp. Qui ad directionem suarum actionum, & negociorum à syderum influxu nullatenus dependentium, observat quosdam dies, in quibus suas actiones omittit, vel retardat, si infaustos cognoverit, & prosequitur negocia, si faustos sit expertus. Propterea aliqui nolunt diebus Mercurii, Mensibusque Majo, & Augusto uxorem ducere, putantes matrimonia in illis diebus infausta fore. Alii nolunt unguis præcidere, aut canes peccere die Veneris: alii renuunt lixivium facere, seu linea abluere quatuor temporum diebus, triduo ante Sabbathum Paschæ à Natali Domini usque ad Epiphaniam, per octavam Corporis Christi, aut diebus Veneris, ne quid infausti contingat. Plures herbas colligunt die S. Joannis Baptistæ, aut prima die Maji ante solis ortum ad certos quosdam effectus, credentes, quia eo die collectas vim habere majorem. Alii ova, quæ gallinæ pariunt die Parasceve, toto anno asservant, credentes ea vim habere ad extinguenda incendia, si in ignem mittantur; quidam supersticiosè observant certas festivitates, ut, Conversionis S. Pauli, S. Vincentii, vel aliorum Sanctorum, quibus si pluat, vel calum sit serenum, sibi spondent serenitatem, fertilitatem, vini copiam, aut continuatam per tot dies pluviam, super quo sunt superstiosi Versus.

*Clara dies Pauli, bona tempora denotat anni.*

*Si fuerint nebula, pereunt animalia quaeque.*

*Si fuerint venti, designant praelia Gentium.*

*Senix, & pluvia, designant tempora cara.*

Item illi:

*Vincenti festo, si sol radiat, memor esto.*

*Fava tuas cuppas, quia multas colligis uvas.*

Ad similem superstitionem pertinet credere, quod tota ferè pluet hebdomada, cum Evangelium secundum Marcum Dominica die in Ecclesia legitur: Salem die prima Aptilis in quatuor pascuorum angulis ponere, ut pecora seruentur à maleficio, & similia.

103. Ceterum sine superstitionis culpa, observantur dies, menses, anni, & tempora ad cognoscendos, vel procurandos effectus naturales, quos ex influxu corporum caelestium pendere, nullus dubitat: ita Medici observant dies in morborum curatione; Agricola, Vinitores, Hortulani in agricultura. Sic herbae certis temporibus colligi, vel ligna caui pro aedificiis, vel Navibus absque superstitione possunt, si id fiat sola observatione motus, & influxus caelestis: certis enim temporibus vis herbarum efficacior est; ligna quoque minus obnoxia sunt corruptioni, & aptiora ad usum.

104. Sed superstitio foret, si observaretur certus hebdomadae, vel mensis dies tantum, vel certa diei hora, quatenus talis hora, vel dies est; vel adderentur

circumstantiae inutiles, aut orationes otiosae, vel non approbatæ, ut optimè August. Epist. 55. ad Januarium cap. 7. ibi. *Eos enim culpatur (Apostolus ad Galat. 4.) dies Observatis, &c. qui dicunt, non proficiscar hodie, quia posterus dies est, aut, quia luna sic fertur; vel proficiscar, ut prospera cedant, quia ita se habet positio siderum: non agam hoc mense commercium, quia illa stella mihi agit mensem; vel agam, quia suscepit mensem: non plantem hoc anno vineam, quia bissextus est. Non autem quisquam sapiens arbitretur, observatores temporum reprehendendos, qui dicunt: Non proficiscar hodie, quia tempestas exorta est: aut non navigem, quia adhuc sunt hybernae reliquiae; aut tempus seminandi est, quia imbribus autumnalibus terra satiatæ est, &c. Ex quibus satis patet ex se falsos, vel infallos non dari, & observationes inutiles esse. Carena de offic. Inquisit. p. 2. tit. 12. §. 13.*

105. Quæritur. *Qui in observantia sacrorum peccet?*

Resp. Qui figuram Crucis, Sanctorum reliquias, Evangelium S. Joannis, Imaginem Christi, & alia pietatis signa portant, vel collo appenda gestant, adjuncta aliqua vana circumstantia: ut, quod sint scripta in tali carta, tali die, à tali persona: tot filis appenda, & simili.

Sanè quidquid est ab Ecclesia receptum, ut sanctum possunt Fideles licitè ad collum appendere. Si ex devotione, non superstitione appendant. Non debent confidere in scriptura, vel quia taliter scripta sunt, aut in actione illa materiali gestandi rem illam materialem ad collum::



lum: Sed debent confidere in virtute Evangelii, seu verbi divini, ac in auxilio Dei, & Sanctorum intercessione, quorum Reliquias gestant. Confidant itaque, quod præservabuntur à malo, non quia gestant, sed, quia student obedire Evangelio, declinando à malo, & faciendo bonum: quia divinum auxilium implorant, & Sanctos imitari curant.

106. Malitia *vana*-observantia in hoc stat, quòd eam practicantes societatem habent cum Dæmonibus, ut expressè Augustinus ubi *supr. de doctr. Christian. cap. 23.*

Unde est ex genere suo gravissimum peccatum; ex ignorantia tamen invincibili, & simplicitate rudium potest esse veniale. Maximè, ubi pactum fuerit implicitum. At ubi quis fuerit monitus, si non desistat, tunc peccat mortaliter, quia præsumitur velle societatem cum Dæmone, & pacto consentire.

107. At, item *petitur. An à mortali excuset protestatio, se nil velle habere cum Dæmone?*

Resp. Affirmativè. Si factum ex natura operis pactum non inferat; Nam tunc factum in tantum est prohibitum, in quantum continet pactum implicitum cum Dæmone; atque ita hoc ipso, quòd tale pactum per expressam protestationem excluditur, non est amplius factum inductivum intenti finis. Nec urget paritas de veneno, quæ à quibusdam adducitur. Nam venenum haustum, omni prorsus intentione remota, ex natura rei, & necessariò causat mortem. Unde in propinante veneno protestatio se nolle occidere, nihil operatur.

108. At *petitur. An quis à peccato ex-*

*cusari possit, ex quo plura vanis observantiis utantur?*

Resp. Negativè. Totus mundus est plenus mendacis, & mendaciloquis, non propterea inde potest inferri fas esse mentiri: audias August. *de Genes. ad lit. lib. 2. cap. 17.* eique obedias. *Quapropter bono Christiano, sive Mathematico, sive quilibet impiè divinantium maxime dicentes vera, cavendi sunt, ne consortio Dæmoniorum animam deceptam, pacto quodam societatis irretiant.*

109. *Quæritur. Mulier vult lucrum ex ludo sortium Januensium, lotto di Genova, reportare, ideo dat a opera sub cervicali apponit quasdam orationes, & nobilium nomina vel tali modo, & sic se composit ad somnum, ut per somnum ediscat, quinam sint sorte extrahendi: petitur, an mortaliter peccet?*

Resp. Affirmativè. Nam id est Dæmonis instructionem de industria requirere, & cum eo tacitè convenire, & societatem habere, ut edoceat, & per somnum revelet ea, quæ per somnia certò cognoscisci nequeunt. A Deo illa notitia expectare non potest, quia virtus divina inutilia non facit, nec Sancti curiosi se immiscant; unde gravis irreverentia, & contemptus est divinæ Majestatis agens cum ipso, tamquam cum vanorum curiositatum fautore, & amatore; & sine Sanctorum irreverentia non fit, eos in Patronos, & in rebus vanis, & curiosis protectores vocare; ideo similitudo vanitas, & curiositas reprehendatur; nec absolvatur, nisi probeatur.

110. *Habeat Confessarius somnia oriri posse, vel à causa interna animali, quòd solet accidere, dum ea occurrunt phantasia,*

tasia, de quibus quis in vigilia cogitavit. Ita amantes suos amores somniant: Venatores canes, sylvas, feras: Piscatores retia, pisces, flumina, &c. Vel, à causa interna corporali; sæpè enim ex interna corpòris dispositione aliquis motus in phantasia excitatur, tali dispositioni conveniens; ita, qui sanguineo abundant humore, somniant hortos, convivias, cantus, &c. Qui phlegmatico, imbres, lacus, aquas, nives, &c. Qui bilioso, rixas, incendia, litigia: qui melancholico, tenebras, mortem, casus, &c. Ex quibus sæpè Medici conjiciunt futuros morbos, & prædominium humoris.

Sæpè ipsorum causa est spiritualis externa: Deus nimirum, vel Dæmon. Quod Deus possit somnia immittere, habetur expressè in Scriptura. Numer. 17. *Vel per somnium loquar ad illum.* Job. 7. *Terrebis me per somnia.* Matth. 2. *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph.* &c. Suos etiam somnatores habet Dæmon, quorum phantasia commovet, multaque illis representat, & sæpè aliqua sculta revelat.

111. Discernere somnia à Deo immissa à Diabolicis viri prudentis, & Confessarii sapientis iudicio relinquitur. Circa quæ. I. Considerandum est, ad quid somnium impellat; si ad opus malum, indiseretum, & vanum excitet; à Deo non est. Si ad bonum, conjici potest esse à Deo; sed cautè procedendum, quia Dæmon solet se in Angelum lucis transformare, ut postmodum vana, falsa, & perniciofa hominibus suadeat. II. Si post somnium animus sit confusione plenus, inquietus, turbatus, minus prom-

*Marthaucii Cansela Confess.*

ptus ad opera bona: iudicium est esse à Dæmone causatum: Si verò promptior, hilarior, & ferventior ad pia opera, & divina signum est esse à Deo.

Ceterum difficile non est cognoscere ea esse à Diabolo, cum ab eo ipsa procurantur, à quo, vel implicite petuntur, ut in casu supra dicto; vel explicitè, cum ad eum effectum adhibentur orationes, sacrificia, & cultus, quod est familiare in strigibus, ut diximus supra.

Observare somnia prohibetur Levitici 19. *Nec observabitis somnia.* Deuteron. 17. *Nec invenietur in te, qui observat somnia.*

Quamobrem omninò rejicienda sunt somnia; quæ inutilia, & vana suggerunt: quæ horrenda, vel obscena representant: quæ ad malum provocant, & quæ futura prædicunt, cum quibus nullam connexionem habent: ea enim vel à Dæmone, vel à natura sunt. Propterea illis uti ad divinandum futura contingentia, vel, ut regula ad dirigendas suas operationes, etiam civiles, aut ad prospera, vel adversa cognoscenda, lethale erimen superstitionis est. Hic enim Diabolica se immiscet illusto, & in tacitam cum Dæmone societatem incidit.

Hinc, si somno accipis te in exitu è domo in hostes irruere, & propterea in vim somnii non exeat: Si inde sit, ut illam die festo non audias, peccas, non modò non audiendo sacrum; verum & tibi persuadens, quòd exiente hostes sint aggressuri, regulans tuas operationes juxta credulitatem, quam habes de somniorum efficacia.

112. *Quæritur, Titim mulieri Egyptiaca,*

(S)

*ptiaca,*

*pitaca, vulgò Zingara porrigit manus, ut ipsa ex earum lineis sibi predicat, ostendatque bonam, vel malam fortunam, qualem uxorem sit ducturus, quot annis etiam sit viturus, &c. Petitur, an mortaliter peccet?*

Resp. Affirmativè. Si id operatur serio, & animo credendi firmiter ipsius dictis, quia id esset sperare à Damone notitiam futurorum contingentium. Si verò id ex joco, & ad risum, prout communiter fit, non delinquit peccato superstitionis formaliter. Peccat tamen ad minus venialiter peccato scandali, inducens *Zingaram* ad mentiendum (saltem jocosè si prognosticet aliter, quàm sentiat in animo, quod quidem læpissimè fit; & inde multi ex levitate interrogantes excusantur à mortali: Verùm, dum constaret, aut dubitaretur, quod *Zingara* serio, & ex animo pronunciaret, quid sit futurum, credens ita esse, peccatum scandali in Titio esset mortale; quia tunc *Zingara* crimen superstitionis admitteret, cujus ipse occasionem præberet.

113. *Quæritur. An penitens, qui aliquam superstitionis speciem exegit, possit ab Ordinario Confessario absolvi?*

Resp. Negativè, si in pacto factò, vel invocatione Dæmonis intercesserit aliquis error contra fidem Catholicam, hoc est, si crederit sacramenta, & res sanctas, quibus fortè abusus est ad magicas artes, non esse Sancta: Dæmoni, cui se devovit, aliquam reverentiam deberi: Eum habere potestatem in hominum voluntates, vel in res alias, nisi Deus permittat: certò prædicere futura contingentia: astrictè necessitate hominis voluntatem, &

similia; vel, si baptismo, & fidei renunciaverit, quia tunc est Apostata à fide, & præsumitur etiam internè contra fidem sentire; nam tunc est excommunicatus in Bulla Cœnæ.

Si verò errorem in intellectu non habuit, videat, an superstitio fuerit reservata Episcopo loci: ut plurimum enim solent superstiosæ artes extra Romam Episcopis reservari (hic Romæ reservatur Papæ, cum error præfatus intercesserit) in quo casu impetranda est auctoritas ab Episcopo. In quo summa cautione, & prudentia debet Confessarius procedere; sæpe enim expedit penitenti, ut gravitatem criminis reflectat, & ab exercitio cesset, eum personaliter mittere ad Episcopum, vel Inquisitores pro absolutione, maximè, si cum reincidentia accesserit, vel expressè Dæmonem invocaverit, eique adorationem, sacrificia, & cultum Deo, & Sanctis debitum exhibuerit. Vid. supr. cap. 7. n. 29.

Interroget de damnis illatis, aut in bonis corporis, aut honoris, & fortunæ.

An arte superstiosa mulieres ad venerem induxerit, & quas: an virgines, an Moniales.

De complicibus.

De sacrilegiis.

De tempore, quo saltem artem exercuit.

Quot seduxit, & similia.

Tandem non absolvat, nisi priùs damna resarciat, modo sibi possibili restituendo; nisi amoveat maleficii signa, cum execratione ipsorum, & pactorum cum Dæmone, comburat. Nisi libros super-

superstitiosos Inquisitoribus, vel Ordinaris consignet, vel tradi curet: nisi formulas precationum superstitiosarum, Imagines Astronomicas, ac magicas, annulos, & cetera superstitionis instrumenta, flammis tradat, & occasiones removeat; nisi complices S. Offic. denunciaret; nisi à se seductos de falsitate instruat, & se retractet. Nec prius, nisi vera, & summa signa doloris poenitentiae, & propositi videat; & nisi prius exigat juramentum de similia amplius non committendo. Quod exigendum videtur, maxime ab allueticis, & artis superstitiosae cum explicito pacto professoribus.

114. Petitur. *Poenitens dubitat, an cum artem superstitiosam exercuit, habuerit errorem in intellectu contra fidem, poterit ne à Confessario absolvi?*

Resp. Negativè. Nam tunc Confessarius, etiam est de sua jurisdictione dubius, cum dubio autem operari non licet, & maxime in casu, in quo agitur de validitate Sacramenti, in quo semper probabiliora & tutiora sunt tenenda, ex dicendis lib. 2. cap. 1.

§. XVI.

Vitia Religioni per defectum opposita.

**P**er defectum (quia in cultu deficit) Religioni opponitur irreligiositas, Quae sub se habet tentationem Dei, sacrilegium, blasphemiam, simoniam, perjurium, & voti fractionem. De blasphemia aliqua diximus sup. cap. 3. num. 9. Et lib. 2. cap. 1. num. 13. De simonia ibid. cap. 26. De perjurio ibid. cap. 17. nu. 5. De

voto lib. 3. cap. 4. Ideo in praesenti de sacrilegio dumtaxat, & tentatione Dei agendum est.

115. *Quaeritur. De quo dici potest, quòd Deum tentet?*

Resp. De eo, qui, ut experiatur, an Deus aliquid possit, vel velit, quidquam facit, cum non deberet: hoc est, cum deberet prudenter judicare, quòd Deus non deberet ipsi illa via illud ostendere. Deus tentatur dictis, cum ab eo petitur, ut faciat aliquid, merè ad videndum, an possit, vel velit facere; ita tentat Deum, qui ab eo petit miracula sine necessitate. Tentatur factis, cum sit opus, ut ipse faciat aliquid via extraordinaria, cum posset via ordinaria fieri. Ita Deum tentat infirmus, qui neglectis medico, & remediis ordinariis ad salutem procurandam, à Deo ipsam miraculosè expectat. Eum tentat, qui impetitus à grassatoribus, fuga, dum potest, non sibi consultit, ut divino auxilio liberetur. Tentat ipsum Concionator, qui concione memoriae non data, ad concionandam procedit, confidens, quòd Deus, vel os ad loquendum movebit, vel scientiam infundet.

116. *Dices. Praefati non habent expressam intentionem tenendi Deum, ergo Deum non tentant.*

Resp. Negando consequentiam. Deus tentari potest expressè, & interpretativè: tentatur expressè, cum quis dicit, vel aliquid facit cum expressa intentione, ut videat, quid Deus possit, vel velit. Tentatur interpretativè, dum etiam sine ea expressa intentione aliquid agitur, vel dicitur, ad nil aliud utile, praebensque fundamentum ad rationabiliter praesumen-

(S) 2

men-

mendum, & interpretandum se illud præstitisse ad experimentum sumendum de divinis perfectionibus.

117. Nota, quod Deum non tentat, qui ab ipso orationibus petit, ut per bona media ostendat sibi suam voluntatem, ut eam impleat.

Item, quod si necessitas, vel rationalis causa subesset, tunc non tentaret Deum, qui auxilium aliquod extraordinarium ab eo postularet, aut expectaret, juxta illud 2. Paral. om. 20. *Cum ignoramus, quid agere debeat, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros ad te dirigamus.* Hinc dixit August. lib. 10. *confess. cap. 35. In ipsa religione Deus tentatur, cum signa & prodigia flagrantur, non ad aliquam salutem, sed ad solam experientiam desiderata.* Propterea viri sancti, qui suis precibus obtinuerunt à Deo miracula, Deum non tentarunt, quia ex aliqua necessitate, vel pia utilitate, aut speciali Dei motione movebantur ad petendos tales effectus.

118. *Quæritur, An tentatio Dei sit ex suo genere mortale?*

Resp. Affirmativè. Nam, cum ea non potest servari charitas cum Deo, cui ex charitate debemus reverentia bonum, per tentationem autem summam ipsi irrogamus irreverentiam. In humanis nullus sine irreverentia, & contemptu Principis quærit absque irrationabili causa, quid ipse velit, sciat, & possit; ita in fortioribus terminis in proposito Deum tentans ipsi irreverentiam irrogat, vel, quia dubitans de ipsius potentia, vult scire, quid possit; vel, quia volens ejus secreta noscere, vult experiri, quid velit;

vel, quia vult ipsum necessitare, & ad miracula cogere.

119. *At petitur, An à mortali excusare possit parvas materia?*

Resp. Negativè. Quia tentatio Dei, nec formalis, nec interpretativa admittit parvitatem materia; in irreverentia enim facta Divina Majestati immediatè hæc non datur, per dicta supr. num. 11. Quamobrem tentatio Dei semper est mortale; & solum esse potest veniale ex defectu perfectæ deliberationis. De hac re videndus D. Thomas 2. 2. q. 87.

### §. XVII.

#### *Sacrilegium.*

120. *Quæritur, Quid sit sacrilegium.*

Resp. Est *violatio rei sacre in eo, in quo est sacra, seu cultui divino, & Deo dedicata.* Rebus sacris, Deoque dicatis reverentia debetur, ergo qui eas irreverenter tractat, sacrilegium committit.

121. *Quæritur Petrus furatus est in Ecclesia; Item Clericum percussit; Item Sacramentum in mortali suscepit; petitur, an in confessione satisfaciat, dum se accusat, se commississe sacrilegium, vel debeat speciem explicare.*

Resp. Species est explicanda. Triplex enim sacrilegi species distinguitur. Prima, qua fit injuria personæ sacre; ubi in Clericum, vel Religiosum violenta manus injicitur, percutiendo, & rapiendo: Si eorundem Immunitas per Judicem laicum violetur, trahendo ipsos ad suum forum; Si contra votum perio-

personale castitatis peccatum committatur.

Secunda, qua fit injuria loco sacro, ut, si vi ab Ecclesia extrahatur reus, qui ad illam pro asylo confugit: Si ipsa injusta sanguinis humani, vel voluntaria humani seminis effusione polluat, & profanetur: Si ex ea furto, vel rapina res, etiam non sacra accipiatur.

Tertia, qua fit injuria rebus sacris, hoc est, Sacramentis, oleo sancto, aqua, & Agnis benedictis, &c. Reliquiis, & Imaginibus Sanctorum: juribus, & bonis Ecclesiarum; siue sint mobilia, siue immobilia ad sustentationem ministrorum deputata: & verbis sacris Scripturae, adhibendo ea, vel ad superstitiones inducendas, vel haeresim confundendas, aut ad vana, & res ludicras. *Trid. sess. 4. in decret. de usu. sac. libror.*

Quamobrem, ut integrè confiteatur, debet speciem sacrilegii aperire: cum certum sit, sacrilegium commissum per factum in Ecclesia specie distingui à patrato per violentam manuum injectionem in Clericum, vel indignam receptionem sacramenti.

122. At petitur. *An satis sit, ut speciem fateatur; ut, quod abusus sit persona sacra, quod res sacras, vel sacramentum irreverenter traxerit, &c.*

Resp. Negativè, sub quavis specie sacrilegii ex adductis sunt diversi gradus secundum moralem malitiam, juxta differentiam personarum, & rerum sacrarum.

Hinc, dum laeduntur personae sacrae oportet videre, in qua specie sint sacrae: an violatum fuerit votum castitatis, & an simplex, an solemne: an illud absti-

nentiae? Nam sicut votum castitatis specie distinguitur ab illo abstinentiae, & illud simplex castitatis à solemni ex dicendis *cap. sequen. nu. 10.* ita sacrilegia in ipsorum violatione commissa. Pariter privilegium canonis specie distinguitur ab illo Fori, adeoque & sacrilegia per laedentem illa in Clerico patrata. Item aliud est sacrilegium percutientis, vel occidentis Clericum, & aliud violentis castitatem in eo. Item major, & alia deformitas moralis notabiliter aggravans, in hoc apparet, quod quis Clericum occidat, quam merè verberet, vel mutilet; & in eo, quod Episcopus percutiatur, quam simplex Clericus. Atque ita gravius est Clericum occidere, quam praesè verberare; graviusque percutere Episcopum, quam simplicem Clericum. Quae omnia de necessitate sunt explicanda distinctè in confessione.

Item, sicut sacramenta specie distinguuntur, sic sacrilegia circa ea commissa; & cum conferens, & recipiens essentialiter differant, ita diversum specie sacrilegium est, quo sacramentum ministratur in mortali, ab eo, quo in mortali recipitur, & adeò explicandum, an peccatum fuerit commissum in ministratio- ne, vel receptione. Sicut, dum quis se accusat deliquisse in Sacramentorum confectione aperire debet, an ex defectu intentionis, an materiae, vel formae.

Denique, sicut reliquiae Sanctorum, Agnus Dei, vasa sacra, &c. specie differunt, ita & sacrilegia circa ea commissa. Quapropter in confessione aperiendum est, quod quis deliquerit, vel circa Sanctorum reliquias, aut Agnus Dei; vel, quod celebraverit sine Pate-

na, sine Corporali, vel Stola; quod verbis Sacrae Scripturae abusus sit, & ad quid? aut, quod bona Ecclesiae occupaverit, vel jura usurpaverit.

123. Queritur. *Qua regula est ponderanda à Confessario, ut cognoscat, quando à penitente sacrilegium sit commissum?*

Resp. Debet considerare, ad quid persona, locus, vel res sit sanctificata, vel Deo sacra: & videre, an aliquid actum sit contra illud, ad quod sanctificata; & sacra dicitur. V. G. Ager Ecclesiae est sanctificatus, & Deo dicatus, quoad hoc, quod sit exemptus ab oneribus, & jurisdictionibus Laicorum; ideo committitur sacrilegium, si saeculari auctoritate illis gravetur; non autem si quis in eo fornicetur, quia per hoc, quod est Ecclesiae, non est, quoad hoc exemptus. Item, sacrilegium est, si quis in loco sacro fornicetur, non verò si ibi detrahat, & blasphemet, quia loci sanctitas est ad exemptionem à voluntaria humani seminis effusione, non à detractione, & blasphemia (quamvis aliàs peccetur mortaliter) Pariter sacrilegium est, si Sacerdos fornicetur, quia sanctificatus est, & sacratus ad castitatem, non autem si blasphemet, quia ad non blasphemandum non est sacratus Deo, nisi votum emisserit de non blasphemando, quia tunc etiam blasphemans sacrilegio, & non simplici mortali, delinqueret; ex quo in eo, tunc se ipso abuteretur, in quo esset sacer, juxta dicta seq. cap. num. 11.

124. Queritur. *An sacrilegium ex genere suo sit mortale?*

Resp. Affirmativè. Ratio est, quia quemadmodum nequit servari charitas,

cum homini injuria irrogatur, ita nee servari potest, cum Deo injuria infertur: infertur autem per irreverentiam rerum sacrarum, & ad divinum cultum deputatarum; eisque injuria per violationem facta, in Deum redundat, sicut injuria facta purpuræ redundat in Regem.

125. At petitur. *An propter levitatem materia possit esse veniale?*

Resp. Affirmativè. Et propterea DD. asserunt, sacrilegium, quod per se est mortale, per accidens, hoc est, ratione parvitatatis materiae, & imperfectae deliberationis posse esse veniale.

126. At petitur. *An in omni materia sacrilegium ex parvitate materiae possit esse veniale?*

Resp. Negativè. Veniale esse non potest. I. Dum, etiam si materia sit minima, quis vult illud committere ex formali intentione de honorandi Deum, cum divini cultus formali contemptu. Et ita, cum ea intentione irreverenter proferre, etiam nomen Jesu, est lethale sacrilegium: in quo, si non ratione materiae, ratione tamen contemptus, gravis malitia, & deformitas reperitur.

II. Cum ex defectu alicujus praerequisiti totaliter effectus tollitur; ita, ubi quis ex industria guttae aquae biberit, vel granum millii comederit, si postea communicat, lethali sacrilegio delinquit, quia totaliter impeditur gratia, effectus sacramenti: unica aquae gutta secundum se est materia levis, sed impedire totalem sacramenti effectum res gravis est.

III. Dum Sacerdos voluntariè illud parum aquae necessarium ex praecepto Ecclesiae non admiscet vino consecrando.

Nam

Nam tunc totalis significatio tollitur, juxta dicta *lib. 5. cap. 4. tit. 14.*

IV. Sicut in rebus venereis parvitas materiæ non excusat Laicum à mortali, ita nec Religiosum, vel Sacerdotem à sacrilegio, quia in eis rebus illa non admittitur.

V. Quia verò furtum unius oboli parvitas materiæ est, à mortali excusans, ita à sacrilegio mortali ex parvitate materiæ excusatur, furans obolum in loco sacro, vel religiosus contra votum paupertatis absque licentia de obolo disponens; in his enim gravis irreverentia non apparet rebus sacris fieri.

## §. XVIII.

## Fortitudo.

127. **Q**Uæritur. *Quid sit fortitudo, ut est virtus moralis?*

Resp. Est *virtus importans firmitatem animi in sustinendis, & repellendis, quando oportet ad bonam virtutis, doloriferis, continentibus etiam pericula mortis, ut, mutilationibus, incarcerationibus, exiliis, tormentis, &c. ipsaque morte; quæ cum sint apta frangere cujusvis animum, & difficile sit firmitatem in eis habere, ac non timere mortis pericula, necessaria est virtus, quæ moderetur timorem, ne nimis timendo mortem, Deum offendamus relinquendo virtutis exercitium, & moderetur audaciam, ne plus aggrediamur, quam secta ratio dicitur.*

128. Audacia committitur temeraria vitæ expositione. In hoc genere, præcipuus actus fortitudinis est, prudens ani-

madversio cum cautela periculorum, ne exponatur, ubi sine ulla utilitate, vel necessitate mors sequeretur. Ideò, etiam viri sancti mortem, quando eam subire non oportebat, per fortitudinis actum præcaverunt.

Hinc fortis est Parochus, qui videns sibi imminere mortem, si officium suum, & charitatem erga peste infectos exerceat forti ausu, periculum mortis contemneat. Fortes fuerunt antiqui Christiani, qui sine querela sustinuerunt exilia, bonorum amissionem, &c. & fortissimi martyres (ideò dicti, quasi testes fidei Catholicæ) qui pro Christi fide, animo forti, & firmo absque metu, ipsam mortem à Tyrannis tolerarunt.

Dices. Fides obligat sub mortali, ut, non obstante quocumque, etiam mortis periculo, non negetur, sed confiteatur; quia licitum non est, ob timorem cujuscumque mali, etiam mortis, fidem negare, vel alias virtutes violare, sed quilibet fidelis tenetur se morti exponere pro defensione omnis Christianæ virtutis; Ergo non fortitudo eam firmitatem præstat.

Resp. Negando consequentiam. Licet enim aliarum virtutum præcepta, etiam cum mortis periculo, obligent, & homines in facti contingentia exequi teneatur; non sequitur tamen, quòd ipsa virtus exequenda in tali periculo sit fortitudo, sed hæc ab ea in subsidium imploratur: explico: coram Tyranno mortem minante est consistenda fides: fides tunc cum Dei auxilio facit internè credere firmissimè ea, quæ à Deo sunt revelata Ecclesie Catholicæ, & confiteri externè talem assensum; sed fortitudinis virtus facit



cit pro eo loco, & tempore, ut fidelis promptè, alacriter, & sine metu Tyranno resistat, & mortem pro fidei veritate gloriosè sustineat. In privatione delectationis veneræ, & separationis ab amica sentitur difficultas, hæc superanda est à castitate, pro qua conservanda debet mors sustineri; difficultas verò, quæ in eo sentitur, à fortitudine superatur. Quamobrem, ut dixit Lauræa 10.2. de virt. in gen. disput. 26. art. 4. num. 53. difficultates procedentes à passionibus, quæ non respiciunt malum, seu damnum externum, ut cruciatus, amissionem bonorum, &c. superari debent à particularibus virtutibus per proprii actus exercitium; dum verò pro exercitio talium virtutum aggredienda sunt, & superanda difficilia exteriora, quæ tale aliquod damnum possunt inferre: vel sustinenda sunt mala illa, quæ jam advenrunt, necessaria est fortitudo, ut ab illis distincta. Hinc dicitur, quod fortitudo est virtutum custos, & quod semper, vel ferè semper conjuncta est cum aliqua alia virtute; *Legendus ille.*

129. *Quæritur. An fortitudo obliget ad suum actum?*

Resp. Ad internum, qui ponitur in prompta voluntate, qua sumus parati, etiam subire pericula mortis, ubi unum ex his immineret, quàm Deum offendere, semper obligamur: quia semper parati esse debemus vitare potiùs Dei offensam, etiam minimam, quàm cætera mala pœna, etiam gravissima. Ad externum, hoc est, ad ipsam actualem externam tormentorum, & mortis passionem tenemur in casu particulari, & dum occasio se præbet, vel sustinendi pœnas, aut

mortem, ne, vel fides negetur, castitas violetur, &c. quo casu ad actum fortitudinis ad minus per accidens, ut V.C. Fides confiteatur, & non negetur, sub mortali obligamur. Imminet Christiano mors à Tyranno, si fidem non neget: duo Christiano præcipiuntur, hoc est, internus actus fidei cum externa ejusdem confessione, & ipsa mortis permissio; ad primum obligatur per se, seu obligatione proveniente ab ipsa virtute fidei, quæ præcipit, ut non negetur, etiam cum periculo vitæ: ad secundum per accidens, in ordine scilicet ad exercendum actum fidei: propterea, dum vi tormentorum fidem abnegat, non tenetur in confessione explicare, quod omiserit actum fortitudinis, sed sufficit, si accuset peccatum negationis, & cætera juxta dicta cap. 1. n. 3. *Campion. p. 2. cap. 44. n. 13.*

130. *Quæritur. Quæ vitia fortitudini sunt opposita?*

Resp. I. Per excessum intinendo opponitur timiditas, quæ de sua natura est veniale, sed per accidens, & ratione alterius fit mortale; dum inordinate, & plusquàm amanda sit, amatur vita; & inde fit, ut ad vitandas pœnas, vel mortem, quis eas non sustineat, Christum neget, fornicetur, &c. II. Per excessum in audendo opponitur audacia, sed impaviditas, ratione cujus homo magis, quàm debet, exponit vitam, & bona temporalia. Quæ est mortale, vel veniale pro gravitate, vel levitate mali sequendi. III. Per defectum in aggrediendo pericula opponitur vecordia, qua homo, ut debet, & potest, deficit in audendo aggredi, & tentare pericula.

131. Quæritur. *Qua virtutes ad fortitudinem reducantur?*

Resp. I. Magnanimitas. II. Magnificentia. III. Patientia. IV. Perseverantia.

132. Quæritur. *Quid sit magnanimitas Christiana?*

Resp. Si loquimur de ea, quæ ponitur pro gradu quodam perfectionis fortitudinis, idem est, ac *animus promptus ad subeunda ob bonum virtutis, lumine fidei præsupposito, etiam magna pericula mortis; prout plures viri sancti fecerunt.* Si verò sermo sit de ea, ut est fortitudini annexa, est idem ac *virtus magnorum bonorum desideria moderans, erigens spem, ut quis cum Dei auxilio, vel propter Deum, tentet magna opera, qua magno honore sunt digna; propter quæ & ipse magno honore dignus reputatur; circa quem tamen ita magno animo est, ut in honorem primario non tendat, nec pro magno mandatum honorem faciat, sed circa opera, & res præclaras propter Deum occupatur, ad quas sequitur, ut inde honoretur. Verùm honores pro meritis suscipit, vel recusat, prout Dei gloriæ, suæ, & aliorum salutis conducere iudicat; nec extollitur, si honoretur, sed ad Dei gloriam utitur. Exemplum: magnum in Dei gloriam, & Sanctorum honorem templum juxta tuas vires ædificas: publicæ commoditati hospitale relinquis: oblatum tibi ab Ecclesia in populi utilitatem officium periculis plenum non refugis, confidens cum Dei auxilio illud implere, propter quæ honorari, & laudari non parum mereris, magnanimus es.*

133. Est magnanimus alienus à præ-  
*Matthæucci Cautela Confess.*

*sumptione, quia non aggreditur opera, sicut præsumens, supra suas vires, & merita: ab ambitione, cum non primario, nec directè, sicut ambitiosus quærat honores, nec falsos, vel, qui ad opera mala sequantur. A vana gloria, quia non de opere moraliter malo laudare appetit: Et à pusillanimitate, quia ex parvitate animi, vel suam auctoritatem, dignitatem, & privilegia defendere, aut officium periculis, & difficultatibus abundans, sibi in proximi utilitatem datum, amplecti non negligit.*

134. Hinc habes vitia Magnanimitati opposita esse Præsumptionem, Ambitionem, inanem Gloriam, & Pusillanimitatem; quæ tamen per se non sunt mortalia, quia Magnanimitas, cui opponuntur, ex sua natura sub mortali ad suum actum non obligat; nam magna hæc, & nunc, ad quæ ipsa dirigit supererogationis, non necessitatis opera sunt. Verùm per accidens, & cum ex aliis capitibus habent destruere charitatem, mortalia fieri possunt: ita mortaliter peccas, si sine jurisdictione absolvas: non ordinatus in Presbyterum consecres. Nam super tuas vires præsumens, sacrilegia committis. Si Episcopatum per simoniam acquiras, ut inde honoreris: si honores divinos quæras, ambitio in te lætalis est. Si de furto, stupro, &c. laudari cupias, inanis gloria est peccaminosa graviter. Si ex animi dejectione dignitatem tuam non defendis, & inde sequitur contemptus Ecclesiasticæ prælaturæ, Pusillanimitas est lethalis.

135. Quæritur. *Quid sit magnificentia?*

Resp. Magnificentia Christiana est vir-

(T)

146

tus inclinans ad erogandos magnos sumptus in opera sumptuosa, magna, & decentia in ordine ad Dei gloriam, & salutem suam, ac proximi commoditatem, ut est erectio templi, Monasterii, &c. Verum, ut quis magnificus dicatur, debet sumptus, quos facit, excedere, qui regulariter solent inter homines fieri, nec solum debet animum habere expendendi in opus magnum magnam pecuniarum summam, sed debet etiam expendere, quia huiusmodi animus potest & in paupere esse, qui magnificus non dicitur. Immo de ratione magnificentiae est, ut thesaurorum effusio ita magna sit juxta dignitatem personae, ut non sit facilis aequalis, aut superabilis: propterea, si Rex, vel alius Princeps impendat in opere aliquo magno, plusquam privatus, non proinde est magnificus; sed si effundat supra alios sibi pares, ut non possit facile aequari, aut superari.

136. Petitur. *An magnificentia distinguatur à prodigalitate, & liberalitate?*

Resp. Affirmative; à prodigalitate, quia haec dat plura; sed non secundum ordinem rationis, & quando non oportet: magnificentia autem plura erogat, sed non nisi, ut oportet ad magnifica, & sumptuosa opera pro factis, vel pro publica utilitate; à liberalitate etiam, quia liberalis solum in parvis, & mediocribus, & raro in operibus sumptuosis opes erogat.

137. Vicia opposita Magnificentiae, sunt I. *Parvificentia* per defectum; & est, dum quis vel non aggreditur magnum opus, ut convenit, ne faciat magnas ex-

pensas: vel aggreditur, & in eo non vult consumere expensas proportionatas magnitudini operis: Ex genere suo non est peccatum mortale, sed potest fieri per accidens, ut si ad eum pecunias desideres, ut paratus sis ob ipsarum amorem Deum offendere.

II. *Pecuniarum consumatio* in hoc consistens, quod magni thesauri profundantur excedentes operis dignitatem; Quae etiam potest per accidens esse mortale, ratione iniusti nocumenti, ut, si legatis non fiat satis, iustitia non administratur, &c.

Dices. Magnificentia Deo tribuitur, sed ut sic non respicit pecuniarum, & Thesaurorum profusionem, sed solum opera magna, & excelsa, ergo à nobis non bene fuit descripta.

Resp. Nos descripsisse Magnificentiam, ut est sub liberalitate, & species ab ipsa diversa, non verò prout significat habitum, vel actum faciendi opera magna, & excelsa in quovis genere rerum: hanc Deus in operibus creationis, redemptionis, justificationis, & miraculis magnis ostendit. De quo pro Confessario satis.

138. Queritur. *Quid sit patientia?*

Resp. Est *constans in rebus adversis propter Deum, tolerantia*. Additur propter Deum, ut Confessarius videat discrimen patientiae Christianae ab alia. Ad recuperandam sanitatem sustines ferum, & ignem, patiens es, sed in patiendo non mereris: ea sustines ex amore Dei, vel, quia tuis peccatis majora debentur, verè patiens es; & dum iustus sis, talis actus est meritorius. Christus non omnes, qui persecuciones pati-

tiuntur, beatus prædicat, sed qui patiuntur propter iustitiam.

139. At patitur. *An teneamur aliquando sub mortali ad exercendum actum patientiæ?*

Resp. Sub mortali tenemur esse dispositi ad toleranda mala, quæ nobis possunt accidere, ne charitatem perdamus, aut ne mortaliter peccemus: Ad externum actum patientiæ tunc sub mortali tenemur, ea mala patienter tolerando, cum sine illò charitas non potest servari; & propterea, quia patientia tunc obligat ratione charitatis, solum per accidens obligabit. Consequenter in confessione non obligabimur explicare omissionem actus patientiæ, sed satis erit aperire mortale, quod omittentes eum commiserimus.

Ex his habes impatientiam, quæ patientiæ opponitur, per se non esse mortale; sed per accidens fit ratione scandali, aut mali gravis, quod quis impatientia victus committere proponit; vel ob perjuriam, blasphemias, & imprecationes, in quas prorumpit.

140. Quæritur. *Quid sit perseverantia?*

Resp. Est virtus, per quam, non obstante temporis diuturnitate, difficultate, & molestiis, homo persistit in bono opere, prout id à recta ratione dicitur. A Confessario ad sex menses te obligante recitare quotidie psalmum *De profundis*, petis, ut tibi id mutet in duo Defunctorum officia, unica vice recitanda: recusas primum, quia id, ratione durationis difficilius est, quam difficile sit duo officia recitare; sed dum illud eligis, difficultatem ex diuturnitate provenientem per perseverantiam vincis.

Actus internus perseverantiæ est electio sustinendi in rebus difficultatem ex diuturnitate proveniente: externus autem est ipsa permissio in actu exercito: de quorum actuum obligatione discurras, juxta dicta de patientia.

141. Quæritur. *Quæ vitia opponantur Perseverantiæ?*

Resp. I. Per defectum *Mollities*; non ea castitati opposita, sed per quam homo ratione mollis, & delicata vitæ nollens diu delectatione, & voluptate carere, cedit difficultati, quæ in bonorum operum exercitio occurrunt. Estque mortale, cum ipsa charitas non servatur.

II. Per excessum *Pertinacia*; in eo consistens, quod quis ita suæ sententiæ adhaereat, ut nolit cedere, quibus, & quando secundum rectam rationem cedere debet. Quæ pariter læthalis est, dum cum ea charitas servari non potest: seu, dum quis obligatur sub mortali alteri cedere, & cedere non vult. Obligamur omnes subijcere intellectum definitionibus Ecclesiæ, credendo, quæ ipsa erudenda proponit; si non cedas credendo, sed, ubi cismane, vel illam Ecclesiæ definitionem, oppositum teneas, pertinax es, & mortaliter peccas, cum in materia fidei pertinax sis, & hæreticus. Teneas Romano Pontifici præcipienti obedire, si obedientiam negas, es pertinax, & schismaticus, juxta dicta *cap. 7. nu. 24.* Debes obedire legi præcipienti sub excommunicatione majori non alienare bona Ecclesiastica, sine consensu Sedis Apostolicæ; alienas, pertinax, contumax, & inobediens diceris. Et ex his ad similia.

(T) 2

§. XIX.

## §. XIX.

## Temperantia.

142. **Q**ueritur. Quid sit temperantia?

Resp. Est virtus, qua moderatur delectationes corporis maxime ex cibo, potuque, & venere perceptibiles: dicitur moderatur: nam non omnino tollit usum delectabilem, quia aliàs non esset virtus, quæ mediocritatem servat: propterea contra rationem, & per defectum contra temperantiam peccat, qui nec cibo, nec potu uti vult, & debitum exigenti legitime in matrimonio reddere recusat.

Hinc nota objectum materiale temperantia esse omnes delectationes corporeas, sed praesertim, quæ ex cibo, potu, rebusque venereis percipiuntur. Nam temperantia circa delectationes sensuum versatur, superans in illarum usu difficultatem specialem, ne illis homo utatur præter mensuram rationis, aut præter finem indebitum: formale verò esse earundem delectationum usum honestum, hoc est, rationi consentaneum, ad quem ipsa inclinatur.

143. **Q**ueritur. Quæ virtutes ad temperantiam, tamquam species spectent?

Resp. Sequentes. Abstinencia, Sobrietas, Castitas, Pudicitia.

**Q**ueritur. Quid sit abstinencia: Quid Sobrietas?

Resp. Abstinencia est virtus, qua moderatur delectationem cibi, & potus in edendo, & bibendo sic, ne quis, habita ratione valetudinis, & persona, mensuram rectæ rationis non excedat, nec

plus edat, aut bibat, quam ad humanam vitam sustentandam, illiusque functiones exercendas, est secundum prudentis arbitrium necessarium.

Sobrietas verò est, qua ita potum moderamur, ut non noceat usui rationis.

Dices. Ergo non abstinencia, sed sobrietas potus usum moderatur.

Resp. Distinguas hæc duo, ita potum moderari, ut immoderatus non noceat usui rationis per ebrietatem; & ita eum moderari, ut quis ob delectationem in bibendo non plus bibat, quam decet. Secundum spectat ad abstinenciam, quæ cibi, & potus delectationem impedit. Primum verò ad sobrietatem, quæ prohibet impedimentum rationis in usu.

144. **Q**ueritur. Quæ vitia opponantur abstinencia?

Resp. Per defectum opponitur *indiscretia abstinencia*: per se non est mortale, sed fit per accidens propter nocentium, quod quis inferret suæ salutis, debiendo in assumendo cibo necessario. Per excessum Gula, de quo lib. 2. cap. 6. nu. 7. & §. & cap. 8. num. 46.

145. **Q**ueritur. Quæ vitia opponantur sobrietati?

Resp. Per defectum est vitium inordinatum: per excessum verò ebrietas, quæ est inordinatus potus privans usum rationis. Est de se peccatum mortale, quia cum ebrietate non potest servari charitas. Si ex charitate te amas, debes tuum tibi velle bonum: adeoque, & bonum usum rationis, per quod principaliter in operando à brutis distingueris, quod bonum per ebrietatem tollitur. Hoc applica ad incitantem alios ad se inebriandum.

Dices.

Dices. Etiam per somnum ratio plene constringitur, & amittitur, qui tamen per se non est mortale, ergo, &c.

Resp. Discrimen est, quia somnus est naturæ debitus, & ad reparandas vires, etiam rationis, ordinaria lege necessarius, excitatoris voce auferibilis, neque alicujus voluptatis immodicum usum supponit: propterea paritas inter somnum, & ebrietatem instituenda non est. Vide d. cap. 6. num. 7.

146. Quæritur. Quid sit castitas?

Resp. Vide pariter lib. 2. cap. 28. num. 2. Castitati opponitur luxuria, de qua, e- jusque speciebus ibid. Ubi diximus, quemlibet actum venereum cum plena advertentia exercitum, extra legitimum matrimonium esse mortale: cum tunc quis eo utatur contra ordinem rationis, hoc est, non juxta finem, ad quem natura per se illum instituit, hoc est, non ad procreationem, & proles educationem, nec in bonum speciei, aut in remedium incontinentiæ, ut ibi fufius.

147. Petitur. An possit intendi, & permitti ad salvandam propriam vitam?

Resp. Negativè. Quia inordinatè exercetur: bonum enim speciei, ad quod natura ordinavit actum venereum, prævallet bono individui.

148. Quæritur. An in peccatis contra castitatem possit quis excusari a mortali ex parvitate materiæ.

Resp. Negativè. Conveniunt DD. parvitatem materiæ in rebus venereis non dari; idè quævis etiam minima delectatio, ubi ex defectu plenæ advertentiæ non est solum venialis, semper mortalis censetur. Idque sive delectatio consideretur secundum se, sive ratio-

ne periculi proximi: Si consideretur secundum se patet: nam quævis venerea delectatio ex natura sua ordinatur ad actum venereum; adeoque, sicut extra matrimonium sub mortali prohibetur actus quicumque venereus, ita & quævis delectatio: cui enim prohibetur ultimus actus, & prohibita sunt dispositiones ad illum: natura enim tendit ad completum, ergo eui prohibet complementum, ei simul inchoationem interdicat. Evidens est quoque habita ratione periculi; nam quis potest fidere in delectationibus venereis semitam, & mensuram servaturum sine periculo, ne à minima illectus in majorem, immodè & in actum externam consummatum prolatur? id suadet in eas proclivitas appetitus sensitivi; idque ostendit Sympathia venereæ delectationis ad sensum, in quo suaviolem tentationem excitat. Ergo, ne dicatur naturæ esse permissum maximum ad peccandum, ac ad nocendum speciei illicitum, ex capite etiam proximi periculi omninò asserendum, & minimam Venereæ delectationem plenè voluntariè admissam, extra matrimonium esse lethale, & sub tali jure naturæ prohibitam.

149. Petitur. An omnes actus contra castitatem sint ex natura sua mortalia?

Resp. Affirmativè. Ex generali regula, quod tunc mortaliter peccamus, cum actus, qui ponitur, non potest stare cum charitate. Charitas autem stare non potest cum actu venereo, vel dispositionibus ad ipsum. Nam charitas vult proli bonum physicæ existentia, & moralis educationis (natura enim ex eo per se in-

(T) 3

tendit

tendit ipsam nasci, & rectè postea educari) actus autem venereus proli præjudicat, vel quoad esse, ut accidit in peccatis contra naturam; vel quoad educationem, ut contingit in aliis speciebus luxuriæ; vel continentiam offendit.

Nec obstat, quod semper non inferant. Nam mortaliter peccat, qui minima excitat scintillam ordinatam ad incendendum campum, estò per accidens non sequatur incendium; in moribus attenditur id, quod est per se, non quod est per accidens, prout loco citato diximus.

150. Quæritur. *Quid sit pudicitia?*

Resp. Est virtus moderans signa impudicæ provocantia, scilicet venereas delectationes; ut sunt aspectus, oscula, amplexus, &c. Quæ per ea ita regulantur, ut extra matrimonium non exercentur ex amore, & affectu libidinoso, vel cum proximo periculo ad libidinem. Nam tunc sunt peccata mortalia; cum ad delectationem veneream, & copulam carnalem sua natura ordinentur, & tendant, tamquam viæ, dispositiones, & inchoationes.

151. Conceditur, oscula, amplexus, & tactus ex se esse signa indifferentia, ac ubi ex antiqua consuetudine introducta sunt in signum honesti amoris esse licita ad eum ostendendum. Cæterum cum prævidetur periculum libidinis, saltem in comparte, & ibi abstinendum est. Quod si cautissimè est procedendum in locis, in quibus ex consuetudine exercentur ad talis amoris expressionem, quæ cautela non erit necessaria in locis, in quibus antiqua consuetudo ea in signum honestæ

amicitiæ non introduxerit? Vide loco cit. cap. 3. num. 50.

Ad castitatem etiam spectat honestas, quæ aliud non est, quàm habitus inclinans ad non libenter loquenda, nec audienda, nec tangenda, quæ spectant ad venereas, etiam cum delectationes non causarent. Quos enim tales videmus, honestos appellamus.

Quæritur. *Quæ virtutes sint annexæ temperantiæ?*

Resp. Mansuetudo, Clementia, Modestia, Humilitas, studiositas, & Eutrapelia.

152. Quæritur. *Quid sit mansuetudo?*

Resp. Est virtus iræ moderatrix, nam sinens eam exurgere, nisi contra quod oportet, ut oportet. Et quanto tempore oportet. Mansuetudo non ita iram coerces, ut absolute omnem prohibeat (cum excessum dumtaxat, & iram (per vitium dictam) comprimat, ne quis irascatur, vel appetat vindictam, cum non debet, & contra quos non debet) & iræ defectum abhorreat, quo quis, dum oportet, nec irascitur, nec iræ (per zelum nuncupata) vindictam appetit.

Quæritur. *An mansuetudo obliget sub mortali ad suum altum?*

Resp. Ad actum internum, seu voluntatem paratam, & dispositam ad exercendos actus mansuetudinis, quando sine illorum exercitio non potest servari charitas, aut mediâ, sine quibus charitas non servatur, semper obligat sub mortali; at non nisi per accidens, ratione nimirum alterius virtutis. Ad externum verò obligat in facti contingentia, & dum casus occurrit, in quo, nisi exerceatur actus mansuetudinis, charitas sit emittenda,

tenda. Per omissionem actus mansuetudinis peccant, præsertim Superiores, & Judices, qui contra Potentiores, vel alios non commoveantur per iram, zelando Dei honorem, & observantiam legum, sed tacent, & propria munera non implent; quo casu directe peccant, & contra charitatem non procurantes bonum publicum, & contra justitiam legalem, cujus finis est tollere injustitias, & mala in Reipublicam.

153. Quare advertas, quòd ira per zelum est bona, ut cum Superior V. G. adversus vitium ex zelo, & quando, & quantum oportet commoveatur, ut corrigatur: de qua procedit illud Psalm 4. *Iraesimini* (ira per zelum contra vitium) *Et nolite peccare*, excedendo mensuram rationis; nam in isto casu ira est mala, & vitiosa, cum sit inordinata, à recta ratione exorbitans: & de hac dicitur, quod sit *inordinatus appetitus vindictæ*. Qui appetitus si sit inordinatus ex parte objecti, ut optando vindictam injustam; vel justo majorem, vel exequendam propria auctoritate, vel, ut satiati-vam hominis irati, est ex genere suo semper peccatum mortale, quia charitatem destruit. Solum potest excusari, si desit perfecta advertentia, vel ex parte vindictæ, & punitionis, quæ minima sit; nam tunc est veniale.

Si verò sit inordinatus ex parte modi, hoc est, tendat, utique in justam vindictam, & punitionem, sed quis interne nimis ardentem excandescens externe plura signa iræ ostendat, ac, ut nimis asperè, quam oportet, procedat, est ex genere suo peccatum veniale. Siquidem quilibet appetitus inordinatus, & extra

limites rationis semper est peccatum mortale, vel veniale juxta inordinationis qualitatem. Cæterum potest fieri mortale per accidens, vel ratione scandalii; vel, si quis ex ira commotione graviter in Deum, vel proximum delinquat, blasphemis, injuriis, maledictis, &c.

154. Pœnitentes, qui se accusant per defectum contra mansuetudinem peccasse, quatenus siluerunt, dum agebatur de Dei offensa, & vitis corrigendis à Potentioribus commissis, nec suppressere, & emendare curant: excitentur à Confessario ad justam iram, ostendendo gravitatem propriæ obligationis, ad quam ex justitia, & in vim officii tenentur. Dum verò aperiunt per excessum contra eam deliquisse, appetendo ex parte objecti injustam vindictam, vel majorem, quam mereatur delictum, contra quod irati sunt, moneantur de obligatione, quam habent ex charitate optandi bonum proximo, & ex justitia non inferendi ei malum. Si autem reperiantur excessisse ex parte actus nimis irascendo, moneantur, ut iram ad rationis dictamen referant.

Nota iratum differre ab iracundo; quia iratus ex causa provocatus excandescit, sed intra limites rationis; iracundus verò ex quacumque causa, & contra dictamen rationis ad iram semper movetur.

15. Queritur. *Quid sit clementia?*

Resp. Est virtus, quæ considerata conditionis personæ, loci, & temporis, moderatur penas reis debitas, prout id patitur ratio justitiæ. Distinguitur à mansuetudine, quia mansuetudo moderatur, & refrenat iram, quæ movet ad penas dandas;



dandas; clementia verò non nihil dimi-  
nuit ex pœna, quæ reis juxta leges de-  
betur.

156. Hinc nota, quod sicut ex dictis  
*lib. 2. cap. 23. num. 1.* intra latitudinem ju-  
sti præti datur infimum, medium, & ri-  
gorosum: ita intra latitudinem pœnae  
juxta potestalia esse infima, alia media, &  
alia rigorosa. Clementia animum ita  
moderatur, ut semper eligatur pœna infi-  
ma ex iis, quæ sunt infligendæ per justi-  
tiam: seu operatur, ut clemens de pœnis  
retribuatur infra condignum,

157. At petitur. *An clementia obliget  
ad suum actum sub mortali?*

Resp. Negativè. Qui hic, & nunc eli-  
git aliquid justum, non peccat, quia non  
eligit medium impossibile cum cha-  
ritate. Ergo nec per se loquendo peccat,  
qui pœnam, aliàs justam, sed rigorosam in  
reum eligit.

Clementia per excessum opponitur  
crudelitas, per quam quis ex animi, quasi  
cruditate, pœnam irrogat ultra culpæ  
meritum. Distinguuntur hæc tria, *Seve-  
ritas, sevitia, & crudelitas.* Severus  
dicitur, qui reis semper impo-  
nit pœnam justam supremam. Sævus,  
seu ferus est, qui in castigando non respi-  
cit culpam rei, sed delectationem pro-  
prium in hominis cruciati, & pœnis.  
Crudelis verò nominatur, qui, non nisi  
supposita culpa, pœnam imponit, sed ju-  
sto majorem. Severus actum clementia  
non exercet, sed non peccat, quia, eo non  
obstante, pœnam justam imponit, Sævus  
peccat contra donum pietatis, & inhu-  
manum peccatum committit, quia con-  
tra hominis naturam est delectari in cru-  
ciatu, aliorumque pœnis. Crudelis au-

tem committit peccatum contra clemen-  
tiam; & quidem mortale per accidens,  
quia imponens pœnam justo majorem,  
charitatem, & justitiam lædit. Videas  
Layman. *Theol. moral. lib. 3. sect. 4. de  
temperant. nu. 22.*

Per defectum opponitur *nimia leni-  
tas*: per quam pœna justa remittitur, vel  
mitigatur, ubi recta ratio dicitur severita-  
te utendum esse ad delinquentem emen-  
dandum, & publicum bonum servan-  
dum, promovendumque; est peccatum  
grave, vel leve proportionem damni, quod  
ex remissa castigatione provenit.

158. Queritur. *Quid sit modestia?*

Resp. Est *virtus, quæ modum statuit,  
quem quis servare debet in humanis af-  
fectibus, & actibus externis.* Sciendum  
est, quod ut homo sit perfectè virtuosus,  
non modò eget virtutibus Theologicis,  
Fide, Spe, & Charitate ad rectè se  
gerendum in ordine ad Deum; & justitia,  
ac virtutibus ipsi annexis, ut id agat in  
ordine ad proximum: & aliis, ut in ordi-  
ne ad se rectè disponantur moderando  
passiones appetitus sensitivi: vel irascibi-  
lem per fortitudinem, eique annexas vir-  
tutes: & per Temperantiam, aliasque  
ad eam reducibiles, concupiscibilem;  
sed eget etiam virtute, qua rectè se  
gerat in ordine ad hæc exteriora, sive sunt  
corporis gestus, & motus, sive ornatus,  
& corporis cultus. Ad utrumque est ne-  
cessaria Modestia, quæ præfata ita com-  
ponit, ut nihil in eis sit, quod cujusquam  
offendat aspectum. Illa, quæ occupatur  
ad componendas etiam in seriis actio-  
nes externas, juxta sexum, ætatem, sta-  
tum, conditionem, &c. modestia mor-  
um appellatur: illa verò, quæ cum or-  
natu,

nata, cultuque personæ, familiæ, domus, &c. modum tenet, modestia in cultu externo, seu ornatus nuncupatur.

159. Quæritur. *An modestia, morum dicta, obliget sub mortali?*

Resp. Negativè, per se loquendo, bene vero per accidens, dum per actionem immodestam, quis præjudicat charitati, proximum graviter scandalizans.

160. Quæritur. *An modestia cultus externi, vel ornatus de se obliget sub mortali?*

Item negativè per se loquendo, bene verò per accidens, in casibus, quos dat S. Carolus in instructionibus editis pro Confessariis, ut infra.

I. *Si quis vestitu splendidiore induitur, vel eo se ornat ad finem peccati mortalis.*

II. *Qui sumptuosi vestimenti gratia, vel ipse delinquit, vel alii ejus nomine præceptum Domini, vel Ecclesiæ transgrediuntur.*

III. *Qui causam præstat conjugii, ei sive, quorum sustentatio ad eum spectat, ut plusquam privata opes ferunt, in vestitum impendant.*

IV. *His adde eos, qui ornatus gratia, non sine peccato mortali supersedent elemosynis necessariis: aut legata pia non exequuntur, aut similia, quibus obstricti sunt, complere negligunt.*

V. *Qui pro veste mercedem operariis denegant solvere, vel differunt.*

VI. *Qui ere alieno se obruunt, ut cum tempore solvendo paros non sint futuri.*

VII. *In hoc ordine ponendi sunt, qui Matthæi Cantela Confess.*

ut se splendide vestiant, detrimentum proximo notabile inferunt.

VIII. *Qui ita se exhauriunt, ut filias, cum ad aetatem nubilem pervenerint, in matrimonio collocare non possint.*

IX. *Non solum mortaliter peccatur, cum expensa facta in vestibus ordinem, & facultatem domesticam excedunt: verum etiam peccatum committitur in modo se se exornandi: ut, si ornatus ad lasciviam pertrahat: ut revera per se pertrahunt mulierum referatis sinus, detecta contra modestiam brachia, cæteraque hujusmodi corporis nuditates? Vide dicta superius § 5. nu. 36.*

161. Quæritur. *Quid sit humilitas?*

Resp. Est virtus refranans animum, nè homo plusquam decet, tendat ad excelsa, honores, & dignitates, ratione quarum velu super alios ire.

Dices. Ergo aliquem honorem, & æstimationem humilitas admittit, ut optime deducitur ex clausula, *ne homo plusquam decet, &c.* quod videtur esse contra humilitatis naturam: cujus hæc sunt officia: Unum, hominem Deo subicere: & aliud, infra ceteros hominem deprimere.

Resp. Concedendo consequentiam. Humilis indebitam excellentiam, honoremque, vel æstimationem fugit, & debita solum est contentus, ea nimirum, quæ sibi ratione officii, & muneris debetur: ratione cujus iuste exigitur, juxta illud ad Romanos 13. *reddite omnibus debita, cui vestigal, vestigal, &c.* cui honorem, honorem. Homo potest se considerare secundum se, & ea, quæ ex se ipso habet: & secundum Dei dona. Sub primâ inspectione cum non habeat, nisi

(U)

defe-

defectum, & imperfectiones, honore dignus non est, & necessario debet reputare se inferiorem ceteris, in quibus considerat Dei dona, Prælaturam, officium, &c. ob quæ honorem dignitati debitum non modò acceptare, verum etiam exigere potest. Hinc est, quod viri Sanctissimi permiserunt se honorari ratione officii, & dignitatis, considerante ista, non ut quod proprium, sed ut aliquid Dei hoc est à Deo acceptum. Sæpè verò ad humilitatis heroicæ exercitium, considerantes se ipsos imperfectionibus onustos, ad vitia proclives, & mille periculis expositos, nec honorem debitum dignitati sibi exhiberi permiserunt; & ne obtinerent, ad spehuncas accelerunt, & sæpè insaniam, & simplicitatem monstrarunt, ut ab hominibus despicerentur: ut de S. Francisco legimus, qui se maximum peccatorem reputabat, considerans, quod, si alii recepissent dona, quæ sibi ex Dei gratia fuerunt collata, magis Deo reipondissent, quam ipse ex suo defectu fecerit. Legendus Lauræa supra disp. 31. art. 4. §. 6.

162. Quæritur, *An humilitas obliget ex genere suo sub mortali ad suum actum?*

Resp. Affirmative loquendo de ea, prout respicit subjectionem hominis ad Deum, ejusque legi, & Superiori præcipienti. Nam non possum sine mortali hanc subjectionem fugere, ut agam contra legem Dei, vel Superioris, & dum subesse nolo, charitatem non servo, nec Deum, aut Superiorem diligo, quia positivè nolo illis bonum meæ subjectionis eis debitum. Nec possum ex parvi-

tate materiæ excusari à mortali, quia dum nolo subesse, etiam si præciperent, ut festucam levarem, totam auctoritatem contemno; quod quid leve non est, sed gravis irreverentia, & contemptus ipsorum.

163. Quæritur, *Quæ vitia opponantur humilitati?*

Resp. Per excessum opponitur Superbia, hoc est, quasi *super se ire*. Quæ describitur, *est inordinatus appetitus propria excellentiæ*. Hæc dum est perfecta, hoc est talis, ut quis ita desideret excellere, ut nec Deo, ejusque divinæ legi, aut Superioribus tenentibus vicem Dei in nostra directione, nolit subesse; est mortalis. Vide lib. 2. cap. 28. n. 39. & 40.

164. Quæritur, *Quid sit studiositas?*

Resp. Est virtus, quæ modum, & ordinem sciendi constituit, ut non excedamus, nec deficiamus in addiscendo, sed proficiamus, quo ordine, quo studio, quo fine nosse quaque oporteat; hoc est, ut scientiam quæramus, & desideremus non ad inanem gloriam, aut curiositatem, sed ut medium, quo nos ipsos, & deinde alios, dirigamus in ordine ad salutem. Unde nullus studere debet præcisè, ut doctus, & sciens sit, sed ut per doctrinam utilis sibi, & aliis existat.

165. Petitur, *An studiositas obliget sub mortali ad suum actum?*

Resp. De se non obligat, sed solum per accidens, cum nimirum scientia, & cognitio est medium necessarium ad servandam charitatem. Propterea sub mortali obligamur ad discenda necessaria ad salutem, ac symbolum Apostolorum, quod pertinet ad fidem: Oratio: em Dominicam, quæ tangit actus spei; & præcepta

cepta decalogi, ac Ecclesiae, quae tangunt actum charitatis: & numerum Sacramentorum, &c. Haec generaliter tenentur omnes Christiani scire. Confessarius tenetur sub mortali scire necessaria pro rectè exercendo suum munus, Doctoris, Medici, & Judicis: distinguere, lepra à lepra, circumstantias peccatorum, requisita, ut Sacramentum sit validum. Universaliter quilibet sub mortali scire tenetur, quae ad suum statum, & officium spectant.

Studiositati per defectum opponitur voluntaria ignorantia, & negligentia: per excessum verò curiositas.

166. At petitur. *An ignorantia voluntaria sit ex genere suo peccatum mortale?*

Resp. Negativè, quia studiositas, cui opponitur, ex dictis per se non obligat sub mortali; sed per accidens esse potest; cum per ignorantiam praedicitur Charitati.

167. Quæritur. *An Curiositas ex suo genere sit peccatum mortale?*

Resp. Negativè, ex eadem ratione. Sed interdum per accidens est mortale aut ratione objecti illiciti, aut finis, aut periculi: Sum curiosus, per tactum, tangens, quae habent annexam delectationem veneream; per visum, aspiciens mulierem ad concupiscendum: per auditum, audiens detractiones, notabiliter laedentes proximum: per gustum, sumens in notabili quantitate cibos prohibitos, pecco mortaliter.

Sum curiosus, studens Astrologiae judiciariae, pecco mortaliter, quia expono me periculo abutendi ipsa, propter quod etiam eam Ecclesia prohibuit. Ex curio-

litate lego libros prohibitos, pecco mortaliter, faciens in re gravi contra prohibitionem Ecclesiae: nec excusor, si pauca lineas legam, dum ex earum lectione gravis mihi imminet ruina spiritualis. Ex curiositate inspicio exercentes actum matrimonialem; à Daemonibus cognitionem rerum peto, mortaliter pecco. Generaliter est ex sua natura mortale, studere cognitionibus sensitivis, quae sunt contra castitatem; & studere cognitionibus intellectivis, in quibus est periculum proximum gravis damni spiritualis. Atque ita dum poenitens se de curiositate accusat, interrogetur, in quo genere, & circa quae curiosus fuerit.

168. Quæritur. *Quid sit Eurapelia?*  
Resp. Est virtus, quae decorem servat in dicitis, factis, ludicris, jocis, & ludis ad animi quietem, & corporis recreationem. Propterea in eorum usu tria cavenda sunt.

I. Ne delectatio quaratur in operationibus, aut verbis turpibus, nocivis, & mendacibus, prout apud plures est in usu, qui in conversationibus, & recreationibus aut obscenè loquuntur, vel proximo in re gravi detrahunt, aut per mendacia perniciose procedunt.

II. Ne gravitas animi totaliter resolvatur.

III. Ut joci, & ludi congruant dignitati personae, tempori, loco, statui, ætati, &c.

169. Quæritur. *An Eurapelia obliget sub mortali?*

Resp. Negativè, loquendo per se: licet per accidens possit quis contra eam mortaliter peccare, cum nimirum ex aliis capitibus praedicitur charitati; vel, in jo-

cis commiscendo, quæ sunt contra Deum, vel proximum; aut propter jocos Ecclesie præcepta non servando, aut sibi in salute, aut facultatibus grave damnum inferendo, &c. aut ludendo ludis à Principe prohibitis, vel utendo fraudibus.

Quibus in casibus peccat contra Eutrapeliam per excessum: per defectum vero, dum nec ipse jocatur numquam, aut ludit; & honeste jocantibus, ac ludentibus molestus est, durus, asper, & agrestis; & potest esse mortale, si propter tuam crudelitatem occasionem præbeat litigii: excessus semper est magis culpabilis.

170. Quaritur. Titius aperit Confessario se occupari in arte jaculatoris, & histrionis, petit, an in eo peccet mortaliter?

Resp. Peccat mortaliter, si deficiat in prima regula Eutrapelie tradita nu. 168. & si à catholicis, & piis Principibus non sit permissus: vel, si propter tale ministerium, præcepta Dei, & Ecclesie non servat: non jejunat, Missam non audit, & propria saluti nocet: nec absolvi potest, nisi cesset.

171. At petitur. An possit pro officio ludicro, & jocosæ mercedem recipere?

Resp. Moderatim potest: quia non tenetur in eo gratis astantibus famulari, nec suum laborem in eorum recreationem eo tempore dirigere.

§. XX.

Prudentia.

172. Prudentia est habitus intellectualis, quo intellectus inclina-

tur ad cognoscendum, quemadmodum in particulari sunt, vel non opportuna media ad actiones morales elicendas. Dicitur virtus moralis, licet sit habitus intellectus, non voluntatis, quia est proxime directiva actionum moralium, quorum est mensura, & regula proxima. Cum enim voluntas sit potentia cæca, non potest proficisci, quod honestum est, nisi per intellectum hic, & nunc ei præ ostendatur. Atque ita prudentia est necessaria, ut in singulis operationibus, consideratis circumstantiis, mediocritatem, & honestatem dicter, & ostendat: ut hæc ira, iste esus, hæc tristitia, iste sumptus mediocris est, nec major, nec minor, quam oportet, comparatione operantis, hoc loco, hoc tempore, &c. prout D. Thom. cit. g. 147. Quapropter prudentia censetur, veluti forma generalis omnium virtutum moralium. Legantur Layman. ubi supr. Campion. p. 2. instruct. pro Confessario. à cap. 15. ad. 56. Poncius Curs. Theol. disput. 23. aliique. ubi agunt de virtutibus moralibus, quorum notitia est in Confessario necessaria, ut circa peccatorum distinctionem, & speciem discurrat.

1. 3. Ut plenius in actuarius, vide D. Th. 2. 2. ibi examinantem triginta octo virtutum naturam, teste Campion. p. 2. cap. 34. n. 6. Ex quibus nonnullæ de sua natura obligant sub mortali ad suos actus; adeo ut vitia eis opposita sint de sua natura mortalia (quamvis in aliquibus excuset parvitas materia) Virtutes quæ de natura sua sub mortali obligant, numerantur tres virtutes Theologicae: Justitia Commutativa, Distributiva, Vindicativa, & Legalis: Pietas: Religio: Obedientia:

*dientia: Observantia: Temperantia: Castitas, & Humilitas.* Ideo una ex regulis ad cognoscendum, quando peccatum sit de sua natura mortale, erit videre, an alicui ex præfatis virtutibus opponatur.

## CAPUT XVIII.

*Prop. XXV. ab Alex. VII. Sc. Circumstantia peccatorum.*

1. PROP. 25. *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessione præcepto, dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

Contra castitatem plures species luxuriæ pugnant, de quibus lib. 2. cap. 28. unde hic alia sunt aperienda, & in specie agendum de circumstantiis peccatorum de necessitate aperiendis in confessione.

2. *Quæritur, quid per peccatorum circumstantias intelligatur?*

Resp. Intelligitur accidens superveniens actui, jam constituto in aliqua specie mali, ei aliquando afferens malitiam specie distinctam, & aliquando non.

3. *Quæritur, quot sint circumstantie peccatorum?*

Resp. Duplicis sunt generis: alie speciem peccati mutant, & alie peccatum aggravant intra eandem speciem, sed speciem non mutant. Illæ dicuntur, quæ addunt novam malitiam, specie distinctam, actui peccaminoso, vel de una specie in aliam illum transferunt; ver gr. actui, quo furaris in Ecclesia alienam rem, ex circumstantia loci sacri, additur malitia sacrilegii, diversæ speciei à

malitia injustitiæ. Alie verò, quæ novam distinctæ speciei malitiam peccato non addunt, sed intra suam speciem aggravant, & efficiunt, ut actus sit deterior, & malitia gravior: sic furtum centum aureorum est in specie furti gravius, quàm illud unius aurei, non tamen distinctæ speciei, ut communiter DD.

4. *Quæritur, quotuplex sit circumstantia aggravans intra eandem speciem?*

Resp. Duplex, una præcisè aggravans, seu, ut quidam dixerunt, aggravans finito modo, ut furari sex, & decem; alia notabiliter aggravans, seu aggravans, quasi in infinitum, & notabiliter mutans iudicium Confessarii, ut furari decem, & furari mille.

5. *Quæritur, an circumstantie sint in Confessione aperiende?*

Resp. Affirmative; de mortaliter mutantibus speciem, fides docet, sic enim definitur in Trid. ses. 14. cap. 5. can. 7. sine illis enim non confiteretur quis species peccatorum; de illis notabiliter aggravantibus plures dubitant, sed statim

6. *Quæritur, sed quomodo cognoscendam, quando circumstantie mutant speciem, & quando notabiliter aggravant?*

Resp. Dicimus tunc speciem mutare, cum addunt novam speciem malitiam, & hæc additur, quando actus, vel est contra plures virtutes, ut furari in Ecclesia; quia tale furtum nedum opponitur iustitiæ, cujus est suum cuique dare, & non auferre illud ab ullo, sed etiam virtuti Religionis, per quam Deo cultus tribuitur, & Locis sacris reverentia; vel, est contra eandem virtutem, per excessum, aut per defectum, ut prodigalitas, & avartitia, juxta dicta cap. præ. num. 13. vel, contra

tra eandem peromissionem, vel commiffionem, ut hærefis, & omiffio actus fidei, quando urget præceptum credendi; vel, quando diverfæ fpeciei indecentia, & turpitudò apparet, ut patet in peccatis mollitiæ, beftialitatis, & sodomia; quæ, licet fint contra caftitatem, adhuc fpecie differunt, quia in eis diverfæ fpeciei turpitudò, & indecentia moralis relucet.

Tunc autem folùm notabiliter aggravant, cum actus, cui circumftantia advenit, non opponitur diverfis virtutibus, aut præceptis, ut furari fex, & furari centum, utrumque enim eft contra virtutem iuftitiæ; fed dicuntur notabiliter aggravare, feu quafi infinitum, quia circa dandam abfolutionem, vel imponendam pœnitentiam notabiliter mutant iudicium Confelfarii: diverfo enim modo eft tractandus, qui furatus eft mille, quàm, qui teftonem furripit, & ideo confitendæ

Circumftantiæ his comprehenduntur dictionibus. *Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.*

7. Circumftantia quis comprehendit perfonam, & qualitatem perfonæ peccantis, cujus confideratio neceffaria eft, ut cognofcatur fpecies actionis moralis. Circumftantia verò quid quantitatem, & peccatorum qualitatem.

8. Queritur, an peccans contra caftitatem debeat in Confelfione explicare votum, fi eo obftrictus erat, quando peccavit?

Resp. Affirmativè, ratio eft, quia peccans cum tali voto, non folùm peccat contra caftitatem, fed etiam contra Religionem, ideo peccatum illius ex illa

circumftantia voti habet malitiam facili legii, diftinctæ fpeciei ab illa pollutionis, fornicationis, &c. & fi comparis etiam fit voto ligata, eft explicandum, quia funt duo facrilegia.

9. Sed queritur, an qui pluries votum caftitatem, teneatur in Confelfione explicare fe pluries eam voviffe?

Resp. Negativè, quia omnia hæc vota funt eufdem fpeciei, & ex eodem motivo virtutis Religionis; immò pofteriora videntur elle, veluti ratificatio prioris.

10. At dubitatur, an explicanda fit circumftantia voti folemnis, vel fufficit Religiofo dicere, peccavi contra votum caftitatis, non fpecificando, an votum fuerit folemne, vel fimplex?

Resp. Debet explicari; nam, licet votum folemne, & fimplex non differant fpecie phyfica, videntur tamen differre fpecie morali, cum votum folemne caftitatis dirimat matrimonium, quod pofterè contraheretur, fimplex verò non, ut eft communis DD. fententia; propter quod cenferi debent diverfæ fpeciei, adeoque peccatum commiffum contra votum folemne reputandum diverfæ fpeciei à peccato commiffio contra votum fimplex. Deinde, violatio voti fimplicis affert injuriam foli Deo, at illa voti folemnis injuriam Deo, cui fit promiffio, & Ecclefia, à qua promiffio acceptatur; ideo in violatione folemnis duplex peccatum eft, quia duplex injuria. *Campion. par. 2. infl. cap. 33.*

11. Et fi queratur, an, etiam voto fimplici caftitatis obftrictus, facrilegium committat, fi contra votum peccet?

Resp. Affirmativè, quia per tale votum

est

est persona Deo sacrata; habetur ex D. Thom. 2. 2. qu. 90. art. 3. ad 1. *Campion. cit. cap. 37. num. 6.* ponderat, sacrilegium esse peccatum, quo quis violat, seu abutitur re sacra in eo, in quo est sacra, seu pertinens ad Religionem. Sacerdos, ut habens votum castitatis, est aliquid sacerum: si furetur, abutitur se ipso, sed non in eo, in quo est sacer, ideo non committit sacrilegium in furando, sed in violando castitatem. Religiosus vero, etiam in furando, sacrilegium committit, quia etiam in hoc est sacratus Deo per votum paupertatis. Nota non sufficere in Confessione fateri se commisisse sacrilegium, sed debet exprimi in specie, an violaverit votum solemne, aut simplex: an votum paupertatis: an percutiendo Clericum: an male absolvendo, celebrando in peccato, &c.

12. Quæritur, an Sacerdos peccans contra castitatem debeat explicare circumstantiam Sacerdotii?

Resp. Negativè, sed sufficit dicere se esse sacris initiatum, quia, nec specifica, vel notabilis alia differentia, quantum ad hoc, est inter peccatum Sacerdotis, & Diaconi, cum votum annexum cuilibet Ordini sacro, ejusdem rationis essentialis sit, Sum. Leand. *ver. circumst. numer. 5.* & propterea tota obligatio specialis v. g. non fornicandi, tam in Diacono, quam Sacerdote oritur ex præcepto castitatis, & voto ipsius.

13. Sed quid, si Sacerdos, vel Diaconus sit, etiam Religiosus, an possit tacere circumstantiam professionis, & solum aperire se esse obstructum voto solemni castitatis?

Resp. Affirmativè, sed peccat gravius,

quia tenetur duplici titulo. *Poncius disp. 45. qu. 7. num. 5.* & *Campion. ubi supra.* Hinc mulier peccans cum Sacerdote Religioso satisfacit dicendo, peccavi cum Religioso, vel Sacerdote; ratio est, quia vota solemnia castitatis, que emittuntur in professione Religiosa, & in susceptione sacrorum Ordinum, sunt ejusdem speciei.

14. Quæritur, an Sacerdos cognoscens Sororem nuptam, sed nondum à viro cognitam, debeat explicare has circumstantias?

Resp. Affirmativè, nam multiplex peccatum committit 1. sacrilegium, quia est Sacerdos. 2. Incestum, quia soror ipsius est. 3. Adulterium, quia juncta est matrimonio. 4. Stuprum, quia virginem deflorat, cum non dum fuerit à viro cognita.

15. Quæritur, an Sacerdos habens copulam cum muliere Infideli, Turca, Judda, & Heretica, teneatur hujusmodi circumstantiam aperire?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia talis copula addit actui v. g. fornicationis malitiam irreligiositatis, quatenus per illam operatur directè contra reverentiam Christianæ Religionis, in cujus honorem prohibita est ab Ecclesia carnalis conjunctio cum infideli.

16. Quæritur, an Eunuchus, seu castratus, aut frigidus accusans se de fornicatione, debeat aperire circumstantiam suæ impotentia ad generandum?

Resp. Affirmativè, quia fornicatio talis, cum non sit ex natura sua ordinata ad generationem, transfertur ad speciem peccati contra naturam, sicut est pollutio propria, vel aliena procurata voluntariè:



tariè: sed debet etiam explicare copulam juxta decretum Alex.

17. *Quæritur, an peccans contra votum, quod juramento se observaturum firmavit, debeat explicare circumstantiam juramenti?*

Resp. Affirmativè, quia violatio voti est distinctæ speciei à violatione juramenti; prima est contra fidem, quam dedit Deo de observandò votum, altera contra obligationem de non adducendo Deum in testem falsi.

18. *Sed quid, si violas votum Deo factum cum promissione de danda elemosina pauperi, & ab isto acceptata?*

Resp. Non sufficit, si dicat violavi votum in materia gravi, quia præter infidelitatem erga Deum, continet injustitiam erga hominem.

19. *Quæritur, an quando puella mente deflorari appetit, & percipit delectationem morosam, debeat id in Confessione aperire?*

Resp. Affirmativè, quia delectatio, & desiderium in virgine habent malitiam stupri; unde non satisfacit, si dicat, ego copulam desideravi, & intendi, sed debet exprimere, an sit virgo, vel corrupta. Boyvin.

20. *Quæritur, cur assuetus ad aliquod peccatum V. G. jurandum, debeat explicare circumstantiam consuetudinis?*

Resp. Affirmativè, de quo lib. 2. cap. 16. & cap. 37.

21. *Quæritur, an in peccato sodomitico teneatur penitens explicare, an fuerit agens, vel patiens?*

Resp. Affirmativè, nam agens committit pollutionem, non autem patiens, quæ patiens. Tambur. in lib. 2. Meth.

Confess. cap. 7. §. 9. num. 73. & hæc sententia mihi videtur tutior; & ideo absolvi non debet, qui in Confessione nollet id aperire.

22. *Quæritur, an violans jejunium vigilia, cadentis in quatuor temporibus, debeat in Confessione explicare utrumque præceptum, an verò sufficiat dicere, non observavi jejunium, ad quod tenebar?*

Resp. Communis resolutio est non teneri, ratio est, quia unicum committit peccatum, & non duplex; cum solidum contra virtutem abstinentiæ operetur, & utrumque præceptum ex eodem motivo abstinentiæ, ad castigationem scilicet carnis, imponatur; ideòque duplicem malitiam non influit. Ulterior ratio est, quia unum præceptum non imponitur, nisi ex suppositione, quod alterum non sit sufficiens; nam, certè Ecclesia non præciperet jejunium vigilia in quatuor temporibus, si hæc semper in eis veniret; & consequenter ad jejunium ex uno solum titulo tenetur.

23. Verùm mihi probabile est, eum teneri explicare utrumque titulum, quia omittens observare vigiliam præceptam in honorem Sancti, videtur non satisfacere reverentiæ, quam ipsi tenetur exhibere; & omittens observare jejunium quatuor temporum, videtur negligere finem, ad quem jejunium illud ordinatur, quæ sanè duæ malitiæ sunt distinctissimæ speciei, utpote contra duas virtutes, Religionem, & abstinentiam.

Idem proportione servata dicatur de omittente audire sacrum eo die, quo tenebatur ex duplici titulo: Dominicæ, & festi S. Joannis Baptistæ. Poncius hic.

24. Quæritur, an conjugatus peccans cum conjugata, debeat explicare non solum circumstantiam persone suæ, nimirum; quod sit conjugatus, sed etiam alterius?

Resp. Affirmativè, nam duplicem injuriam irrogat, unam uxori suæ utendo aliena, & alteram marito alienæ, utendo ipsa, & cum duæ sint injuriæ, & duæ personæ, quæ injuriantur, duplex peccatum adulterii committit.

25. Sed quid, si non possit manifestari peccatum, nisi etiam manifestetur complex, & Confessarius veniat in notitiam illius, v.g. peccat mulier cum Sacerdote in loco, in quo nullus alius Sacerdos est præter Confessarium, & illum, cum quo peccat; petitur, an illa possit tacere circumstantiam sacrilegii?

Resp. Plures negant, ne complex infamet. Sed nos dicimus, si nullum aliud damnum sequatur præter infamiam complicitis apud Confessarium, debere peccatum cum ea circumstantia aperire. Illung. *trakt 6. disp. 6. q. 4. art. 8. § 1. nu. 134. Rotarij par. 1. cap. 5. nu. 11.* Sum. Leand. *ver. integ. Confess. num. 44.* & Fagnan. *in 5. decretal. ad cap. omnis, de penit. & remiss. annu. 30.* Notans contra Navarrum esse communem sententiam, non tantum Theologorum, sed etiam Canonistarum; ratio est, quia præsumitur rationabiliter, quod Sacerdos peccans cum illa muliere, quam scit, debere integrè sua peccata in Confessione aperire, cesserit juri suo, quoad bonam famam, & æstimationem, quam apud Confessarium habebat.

Confir. Christus, ob bonum integræ Confessionis, & reverentiam Sacramenti *Matthæi Causela Confess.*

ti, ei ex divino præcepto conservandam, & ad gratiam consequendam, obligavit penitentem, ad id, quod difficilius est, nempe, ut integrè confiteatur peccata, etiam si Confessori bene notus sit, & propterea debeat bonam æstimationem apud illum perdere, ergo, etiam obligatur ad complicem manifestandum cum hujus infamia, ad quam ipse per suam cooperationem ad peccatum integrè hic, & nunc explicandum, inevitabilem causam præbuit: propter quod non potest censeri rationabiliter invitus. Vid. *lib. 2. cap. 36. in fin.*

26. Quæritur, an sit explicanda circumstantia persone sanguine conjuncta, contra quam peccatur?

Resp. Affirmativè; ratio est, quia percutere Patrem, aut Matrem est gravius peccatum, & horrorem specialem naturæ adversantem continet, quam percutere fratrem, aut alium consanguineum; licet enim erga omnes præfatos teneamur exercere officia pietatis, eisque exhibere honorem, & obedientiam, ac ex pietate desiderare, & procurare bonum vitæ, salutis, æstimationis, &c. magis tamen tenemur erga patrem, & matrem, à quibus esse recepimus; Tum quia, majorem difficultatem, & pudorem sentit penitens in explicando, se patrem, vel matrem percussisse, eosque odio habuisse, quam, quod percussisset fratrem, eumque oderit; quod certè, ut hic notavit Poncius, arguit peccatum commissum in patrem, si non diversæ speciei moralis, fuisse tamen multò gravius, ac circumstantiam patris notabiliter aggravare.

27. Sed quid, an committens incestum

(X)

cum

*cum consanguinea debeat explicare gradum, in quo fuerit persona, cum qua peccavit?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia formalis, & specifica malitia incestus, consistit in irreverentia, & impietate erga sanguine conjunctos; certum est autem majorem reverentiam deberi matri, quam sorori, & quod specialis horror naturæ sit in copula cum matre, quàm cum sorore, ergo gravior est incestus cum prima, quam cum secunda, (licet utraque sit in primo gradu) quia irreverentia major. Cæterum ei, qui commisit incestum extra secundum gradum fat est confiteri sic: *commisi incestum extra secundum gradum*; quia etiam in secundo gradu, hoc aperire debet; quia, vel, in hoc gradu incestus specie differt ab incestu in 3. gradu; vel, si non differat, est tamen gravior, & notabiliter aggravat. De la Cruz.

28. *Quæritur, an sit explicanda species blasphemia, an sit in Sanctos, vel Deum ipsum, aut B. Virginem?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia una ab alia specie differt, nam illa in Deum opponitur Religioni Latiæ, illa in Sanctos Dulciæ, & illa in B. V. Hyperdulciæ; dubium autem non est hujusmodi cultus specie differre, cum habeant diversæ rationis motiva ex dicendis *ib. 3. cap. 3. ad prop. 6.* adeoque & blasphemias; & sicut, non tantum gravior, sed etiam diversimodè delinqueret, & Regem offenderet, qui in ipsum Regem, quàm, qui in Reginam; & qui in Reginam, quàm, qui in amicum Regis contumeliosus esset, eosque contemneret, sic in casu.

Sed quid, si blasphemia sit simplex, vel hereticalis?

Resp. Debet explicari, quamvis sit; vide dicta supra *cap. 3. num. 10. & lib. 2. cap. 4.*

29. *Quæritur, an, cum quis fuerit odisse proximum, vel ei malum determinatum desiderasse, teneatur explicare malum desideratum?*

Resp. Affirmativè; nam, sicut ipsum lædere per detractionem in bonis fama, & per furtum in bonis fortunæ, ac per homicidium in bonis corporis, sunt peccata specie distincta, in Confessione explicanda: sic diversæ speciei peccata sunt proximum velle in his bonis lædere, seu hæc mala illi desiderare; evidens enim est hujusmodi desideria ab illis malis specificari, & bona corporis esse diversæ estimabilitatis à cæteris enunciatis.

30. *Quæritur, an peccans cum summa mortua teneatur hanc circumstantiam aperire?*

Resp. Affirmativè contra Dianam, nam in ea copula quedam specialis, vel ad minus gravior malitia notabiliter aggravans, & turpitudine reperitur. Deducitur ex quo specialius natura abhorreat à committendis peccatis cum similibus, & majorem pudorem experiatur poenitens ex ejus Confessione: major autem ille pudor est sufficiens iudicium arguendi se gravius peccatum commisisse.

31. *Quæritur, an, si quis ex propositionibus a Sum. Pontif. Alex. VII. Innoc. XI & Alex. VIII. prohibitis, aliquam, vel aliquas privatum, vel publice doceret, is in Confessione deberet explicare propositionem, quam docuisset? vel, an satisfaceret, dicendo: scienter alium, vel*

Vel alios docui propositionem à Summo Aliquo Pontif. prohibitam?

Resp. Est in specie explicanda propositio, ut Confessarius cognoscat, an propositio contineat errorem contra fidem, vel bonos mores, & cui nam virtuti, edocta, & prohibita doctrina opponatur: pluribus enim virtutibus opponi potest.

Circumstantia ubi significat locum sacrum.

32. Quæritur, an, cum quis se illicitè in Ecclesia polluit, debeat confiteri circumstantiam loci?

Resp. Affirmativè: quia pollutioni in casu additur nova species malitiæ: nam, ut pollutio est, habet malitiam peccati contra naturam, oppositam castitati, & prout habita in Ecclesia, malitiam sacrilegii, oppositam Religioni, & reverentiæ loci, Deo specialiter ad suam cultum dicati, etiam si occulta sit, quia malitiam non habet ex publicitate, licet ex ea habeat illam scandali.

33. Sed quæritur, an etiam verba, aspectus, & tactus impudici in Ecclesia contrahant malitiam sacrilegii?

Resp. Affirmativè, quia tactus impudici, utpotè indecentissimi, repugnant sanctitati, & reverentiæ loci, ergo habent ex natura rei malitiam sacrilegii. Dicitur ex natura rei, quia licet consecratio, benedictio, & dedicatio Ecclesiæ sit de jure Ecclesiastico, supposita tamen consecratione, ex jure naturæ prohibentur illi in Ecclesia fieri, quia recta ratio dicat reverentiam deberi locis, Deo dicatis. Idem dicitur de osculis, aspectibus, obscænis sermonibus, blasphemis, &c. maximè cum alios ad scandalum movent; nam tunc ea exercentes, non so-

lùm luxuriosi, blasphemis, &c. apprehenduntur, verum etiam irreligiosi, & in locum sanctum sunt injuriosi; & per accidens erit, quod actu ab ullo non videantur: nam certè Deus, eos esse in locum sibi dicatum injuriosos, & in se irreverentes videt; hinc triplicem malitiam unicus actus continet: alteram V. G. contra castitatem, alteram contra sanctitatem loci, & aliam scandali, in Confessione explicandam.

34. Sed quæritur, an etiam actus interni V. G. turpis cogitatio, desiderium peccandi, &c. habuit in Ecclesia sint sacrilegia?

Resp. Affirmativè, si circumstantia loci sacri comparatur ad actum internum, ut circumstantia, & pars objecti voliti: ut, si quis desideret furari in Ecclesia, vel in ea fornicari; negativè verò, si comparatur, ut circumstantia ipsius personæ, quæ existens in Ecclesia optet peccare, sed non in Ecclesia desiderium implere; nam tunc actus non continet specialem malitiam irreverentiæ in locum sacrum.

35. Quæritur, an furtum commissum in Ecclesia contrahat malitiam sacrilegii necessario, explicandam in Confessione?

Resp. Affirmativè, patet ex cap. quisquis inventus 17. q. 4. ubi textus ait: sacrilegium committi auferendo, sacrum de sacro, vel, non sacrum de sacro, sive, sacrum de non sacro.

36. Sed dubitatur, an furans ex crumena divitis, orantis in loco sacro, aut ibi quomodocumque existentis, committat sacrilegium?

Resp. Affirmativè, quia cap. quisquis loquitur simpliciter, & sine limitatione; maximè, quia res tradita custodiæ Ecclesiæ

clisæ potest dici aliquo modo sacra; & ideo eam furari, est potius furari sacrum de sacro, quàm non sacrum de sacro; hinc, ut verificetur furari non sacrum de sacro, debet intelligi de re, nullo modo pertinente ad Ecclesiam, sed in ea aliquo modo existente.

37. Quæritur, an, qui furaretur rem sacram de loco sacro, debeat confiteri utramque circumstantiam loci sacri, & rei sacra?

Resp. Affirmativè D. D. cum D. Thoma 2. 2. q. 99. art. 3. in corpore quæsit, supponunt tres esse species distinctas sacrilegii: unam circa personas sacras, id est, divino cultui dedicatas: aliam circa res sacras: & tertiam circa loca sacra, ergo malitia contracta ex furto rei sacrae est diversæ speciei moralis à malitia contracta ex eo, quod quis furetur eam in loco sacro.

38. Quæritur, an furans in Ecclesia cum effractione portarum debeat hanc circumstantiam aperire?

Resp. Affirmativè, quia cap. conquesti de sent. excom. deprædantes Ecclesiam cum effractione parietum, aut portarum, vel fenestrarum ipso facto excommunicantur; & post denunciationem excommunicationis à solo Papa sunt absolventi, ut ibi textus: & quia loquitur conjunctivè, ideo furans in Ecclesia, quam effractionem invenit, non est excommunicatus.

39. Circumstantia quibus auxiliis, significat media & instrumenta; quæ quis applicat ad peccandum, ut, si quis ope Dæmonis furetur, aut mediis rebus sacris alium occidat.

40. Quæritur, an exercens sortilegium, de quo supra cap. 4. nu. 12. & cum abusu Sacramentorum, vel Sacramenta-

lium, debeat explicare circumstantiam mediorum, & quod ea sortilegia cum profatorum abusu exercuerit?

Resp. Affirmativè; ratio est, quia fabricans V. G. maleficium amatorium ad allucinandam mulierem ad libidinem, peccat contra castitatem, & quia in eo abatur Sacramentis, vel Sacramentalibus, peccat contra Religionem, & reverentiam rebus sacris debitam, ipsumque Deum graviter contemnit, habens cum ipsis hoste commercium, quæ sunt malitiæ speciei distinctæ.

41. Semper medium, ad peccandum adhibitum debet in confessione explicari, quoties ipsum medium est per se malum, vel applicatio ipsius ad finem peccati est contra aliam virtutem, quàm sit illa, cui opponitur peccatum.

42. Sed petitur, an Sortilegus illis abutens possit ab ordinario Confessario absolvi.

Resp. Negativè, si Sortilegus (super quo est interrogandus à Confessario) habuit errorem in intellectu contra fidem, credendo, vel maleficia, aut Dæmonem posse cogere alicujus viri, vel scemine voluntatem ad amorem inhonestum: vel Dæmonem esse omnipotentem: Deo non subiectum, &c. vel error sit circa Dæmonis damnationem, aut valorem Sacramentorum, & Sacramentalium, aut aliquid simile fidei contrarium; nam verè hæreticus esset, excommunicatus in Bulla Cœnæ: juxta dicta cap. 7. n. 7. & c. 4. an. 19.

43. Si verò contra fidem non erravit, animadvertat, an sortilegium sit reservatum Episcopo loci (ut plurimum enim hæc solent ab Ordinariis locorum reservari, maxime, si fiant cum abusu rerum sacra-

sacrarum) in quo casu est à Superiore obtinenda facultas; quamvis aliquando sit magis expediens, ut pœnitens ad Superiorem pro absolutione dirigatur, ut notat Carena de Offic. Inquisit. p. 2. tit. 2. §. 35. num. 295.

44. In casu autem, quod fortilegium nec reservatum sit, nec Sortilegus modo dicto excommunicatus, potest ab ordinario Confessario absolvi; & tunc diligenter interrogandus erit de qualitate fortilegiorum, abusu rerum sacrarum, & Sacramentorum, de complicibus, de tempore, quo in huiusmodi fortilegiis infortuerit, de scandalo, damnis datus, de qualitate mulierum, ad quarum amorem provocandum facta fuerunt fortilegia, an fuerint nuptæ, an virgines, an Moniales, &c. & an fuerit pactum expellium cum Dæmone.

45. Urgeretamen debet Sortilegum ut Dæmon, & omni pacto cum eo inito abrenuntiet, & damna per maleficia illata refarciat, ac libros fortilegia continentes ad Inquisitores deferat, vel deferri curet.

46. Et prudentissimè ageret, si eum ad Inquisitores, vel Pœnitentarios dimitteret, ut inde reflecteret criminis enormitatem; casu verò, quòd ab ipso absolveretur, juramentum de similia delicta amplius non committendo deberet ante absolutionem exigere, Carena cit. num. 305. ubi eum Suarez lib. 7. de superst. cap. 19. num. 3. notat non esse contra exercentes fortilegia, vel magicas artes latam aliquam excommunicationem, quæ ipso facto incurratur; excipio, nisi sint cum errore in intellectu contra fidem, juxta superius dicta: videantur ipsi.

Circa absolutionem exercentis cultum superstitiosum, procedas juxta dicta n. 41. & interim

47. Pondera. Quod Religioni (quæ dicat de vero cultu vero Deo tribuendo, & Sanctis ejus) opponitur superstitio, in hoc consistens, quod tribuatur Deo cultus, modo, quo non debet: cultus, nimirum, ab Ecclesia per legem, vel consuetudinem prohibitus, vel, quod cultus veri Dei tribuatur Creaturæ.

48. Cultus tributus vero Deo, sed modo indebito, pluribus modis contingit. Primo, cum Deus, vel Christus colitur cæremoniis Judæorum, indicantibus Christum venturum, quasi nondum suscepterit naturam humanam: est peccatum gravissimum in sic colente, qui præsumitur errare contra articulum fidei, Incarnationis Filii Dei; & propterea à Confessario interrogandus, quid sentiat de fide: & non absolvendus, sed remittendus est ad Sanctum Officium.

Secundo. Cum quis admiscet Divino Officio, vel Missæ aliquod obscænum, tamquam ejus partem; & præsumendum est hunc credere sibi licere talem mixtionem, ac proinde Horas Canonicas, & Missam non esse Orationes sacras, & puras ab omni obscænitare, & turpitudine; & ideo tutius est eum S. Tribunali remittere, etiamsi errorem in intellectu contra fidem se non habuisse assermet.

49. Tertio. Cum quis transgreditur Rubricas, & Cæremonas ab Ecclesia præscriptas, eas mutando, addendo, vel detrahendo; aut ponendo cultum in quibusdam circumstantiis loci, temporis, numeri, coloris, &c. ut: si Sacerdos in

Missa faciat tantum duas, aut quatuor Cruces super oblata: si utatur pluribus candelis, quam conveniat: si in ea centies velit genuflectere, &c. estque mortale, si omisso, vel mutatio sit notabilis, vel in contemptum ritus Ecclesiastici, vel ad finem inducendi novas Cæremonias. Immo, quandoque potest inducere suspicionem hæresis; cum nimirum in celebratione Missæ, & confectione Sacramentorum Sacerdos utitur aliquo ritu hæreticorum, ut, si non genuflectat post Consecrationem; nam tunc præsumendum est, eum non credere Christum esse sub illis speciebus, sequendo hæresim negantium Christi præsentiam sub speciebus consecratis. Alia vide apud Bordonum *Op. posth. de sortilegiis.*

50. Cultus verus Dei, qui tribuitur Creaturæ, contingit per Idololatriam, Divinationem, Magiam, Maleficium, & Vanam observantiam.

Idololatria est honor tributus Creaturæ, uti Deo, honorando ipsam genuflexione, incensatione, oratione, &c. Quod si ita honorans credat Creaturam esse Deum, est perfecte Idololatra, ac hæreticus formalis, excommunicatus in Bulla Cœnæ, & non absolvendus ab ordinario Confessore, ex dictis *cap. 3. n. 7.*

Si verò non id credat, sed metu mortis cogatur adorare Idolum, dum illi honorem præstat, gravissime peccat, quia in iis, quæ intrinsecè sunt mala, nec metus mortis excusat, ut DD. communiter.

51. Divinatio est prænunciatio futurorum contingentium, occultorum, indebitis modis, à Divina providentia non constitutis, sed cum auxilio, & ope

Dæmonis: cui divinans se submittit, ac si, ut Deus, sciret certò futura contingentia, quorum tamen cognitionem non habet. De divinatione per Astrologiam diximus *cap. 4. n. 19.* alia vide *cap. 34. n. 25.*

Divinatio per somnia supersticiosa, & Dæmoniaca est, cum quis à Dæmone desiderat per somnium edoceri de loco thesauri, qualem mulierem sit ducturus in uxorem, &c. quæ somnia ab ipsis Dæmonibus proveniunt, ipsis invocatis, vel oratione, vel sacrificiis, vel cultu, &c. Quod est commune in Strigibus, quibus in ipso lecto manentibus, ob unctionem gravi sopore correptis, ea omnia prænunciant, quæ postea se vidisse narrant. Cæteris etiam somniis firmiter credere, tamquam mediis sufficientibus ad aliquid prænunciandum, est etiam supersticiosum. Ideò redarguendi sunt omnes, & maxime mulieres ob facilitatem, quam habent ipsis credendi. Tollendus propterea est talis abusus.

52. Magia supersticiosa est inordinata potestas faciendi res mirabiles, quæ excedunt vires naturæ, ope Dæmonis: ut alportare hominem, vel rem aliam de uno ad alium locum brevissimo tempore, decipere visum adstantium, & similia.

De Maleficio vide supra *cit. capite 4. num. 14.*

53. Vana-observantia est superstium, quæ effectus aliquis speratur ex re, quænes supernaturaliter vim habet, nec naturaliter id præstare potest. Ergo contingit cum Dæmonis invocatione tacita, vel expressa, juxta ibi dicta *num. 11.* Distert à divinatione, quia hæc ordinatur ad cognitionem occultorum, illa verò opus ali-

aliquid etiam intendit, per media improporcionata, & modo illicito.

Unde vana-observantia est, observare certos dies faustos, vel infaustos ad negotia peragenda; qui ex se non dantur juxta Paulum ad Galat. 4. & Carena p. 2. de off. Inquisit. tit. 12. § 13. item redire ad lectum, si, cum quis se calceat, sternutaverit: redire domum, si procedens offendant, timens eo die aliquod infortunium, &c. Legas D. Augustinum relatum cap. illud quod 26. q. 2. ubi tradit similes nugatorias, & vitiosas artes provenire ex pestifera locietate hominum, & Dæmonum.

54. Nota per invocationem, sive expressam, sive tacitam, Dæmonibus cultum tribui, quia invocatio ad aliquod consequendum includit subjectionem, & submissionem invocantis ad eum, à quo beneficium petitur, ergo est actus honoris, & reverentiæ, ergo, qui Dæmonem expressè, vel tacitè invocat, ei honorem, & reverentiam tribuit, ergo gravissimè peccat, cum ei tribuat, quod Deo, & Sanctis, & non Dæmoni, debetur; & propterea, nec parvitas materiæ, aut curiositas excusat. Bordon. cit. cap. 3. sect. 2.

Nota etiam non posse à Malefico peti, ut maleficio maleficium, vel ligaturam tollat quia utrumque est ab intrinseco malum, & nullo potest sine cohonestari.

Circumstantia cur significat finem, illa quomodo modum, quo fit peccatum; & speciem mutant, quando finis, vel modus peccandi sunt specialiter inhonesti.

55. Quæritur. An qui vi, & cum vio-

lencia furatur bona alterius, debeat id exprimere?

Resp. Affirmativè, quia tunc exercet rapinam: vid. lib. 3.

Circumstantia quando, significat tempus, in quo committitur peccatum.

56. Quæritur. An committens adulterium die festo debeat istam circumstantiam explicare?

Resp. Per se loquendo non debet, quia adulterium commissum die festo, non contrahit novam malitiam, per hoc quod fit eo die commissum, ut est communis sententia DD. & patet ex Pœnitentium, & Confessoriorum praxi, id non exigentium, & non explicantium.

Dixi per se loquendo nam per accidens potest obligari, si scilicet peccatum fuit ex intentione profanandi, & contempnendi diem festum; nam tunc Deus graviter contemneretur, & malitiam irreligiositatis contineret.

57. Sunt itaque in Confessione explicandæ circumstantiæ, sive speciem mutant, sive notabiliter aggravent: ut, & gravitas peccatorum aperiatur, & Confessarius possit rectè in judicio procedere; In praxi regula generalis debet esse, ut, licet aliquoties difficile esset assignare, num, & quando speciem mutarent, semper tamen sint confitendæ, si pœnitens difficultatem aliquam majorem in eis explicandis, vel aliquem majorem pudorem ex illarum Confessione sentiat, quia hoc ipsum arguit in opinione ipsius peccatum fuisse multò gravius, seu, quod ratione talis circumstantiæ putarit gravius delinquere.

58. Quæritur. An circumstantia eccu-

ant



dant sub sigillo Confessionis Sacramentalis?

Resp. Affirmativè, patet ex definitione sigilli, quod est obligatio particularis, quam Confessarius habent ad non revelandum ullum peccatum, aut circumstantiam ejus, auditam in Confessione; sub quo cadunt omnia, per quæ reddi potest odiosa Confessio, & per quæ Fideles ab eo possunt retrahi.

59. Sed dubium est, an Confessarius sub sigillo teneatur celare, etiam alia, quæ nulla modo faciunt ad manifestationem peccati, vel circumstantiarum ejus, sed sunt totaliter aliena à culpa, & sibi nota sunt in Confessione ex sola narratione penitentis: quod Titius V. G. sit ducturus Bertam in uxorem: quod Lelius mercator decoxerit: quod quis sit spurcius, eunuchus, &c.

Resp. Hæc quoque, si non per se, sicut peccata, secundario tamen, & per accidens sub obligatione sigilli cadunt, nam ex eorum revelatione potest Confessio reddi odiosa, & molesta; putant enim Penitentes totum, quod in Confessione Confessario aperiunt, cadere sub arctissimo sigillo, ergo, dum audiunt hæc revelari, possunt ex his discurrere ad peccata, & ita averti à Sacramento, ideo ea omnia tenetur Confessarius celare: quæ est sententia in praxi tutior, & magis favet Sacramento, ac juri penitentis, quam tradit Marchant. trib. sacr. t. 1. tr. 4. tit. 6. qn. 6. Append. 2. pet. 8. Ameno de penis tit. 5. §. 6. nu. 10. Quilici Confess. manud. q. 12. art. 2. nu. 8.

## CAPUT XIX.

Prop. XXVI. ab Alex. VII. Sc.  
Judex quoad munera.

1. PROP. 26. Quando litigantia habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius pro alio.

Capite immediatè sequenti examen erit super natura opinionis probabilis, & lib. 2. cap. 2. an valeat Judex sententiam pronunciare juxta opinionem minus probabilem, probabiliore relicta, quare in præsentia alia pro praxi Confessoriorum resolvuntur, quæ rectum aliis titulis Judicis ministerium respiciunt.

2. Quaritur. An Judex pro ferenda sententia possit munus aliquod, vel ipsè à parte exigere, vel ab ea oblatum recipere?

Resp. Negativè, ratio est, quia si sententia ferenda sit justa, ad eam pars jus habet, eique debetur: si debetur, ei vendi ab Judice justè nequit, qui gratis opus tenetur facere; nam à Republica constituitur, ut rectum operetur, à qua propterea justum ei, ac honestum ad sui sustentationem, & laborum mercedem, juxta loci consuetudinem, stipendium taxatur, supra quod nil potest exigere, & casu quo reciperet, deberet omnino restituere, utpotè nullum habens titulum, aut jus recipiendi, vel datum retinendi, DD. communiter.

3. Sed quaritur. An aliquid possit accipere pro ferenda injusta sententia: casus possit sic figurari. Petro aqurd Judicem

sem favet ius contra Paulum, quo stante, est ab Judice causa adjudicanda in favorem Petri, nihilominus, recepta ab eo pecunia summa à Paulo, sententiam contra Petrum, & Paulo favorabilem dicit?

Resp. Negativè, nam illicitè recipit, & recipiendo peccat, cum pro re illicita, & turpi, ac contra legem prohibentem recipiat.

4. Sed dubitatur. An debeat illud restituere?

Resp. Affirmativè, cum De la Cruz, *dir. etl. cons. 7. precept. qu. 7. art. 5. dub. 2. concl. 2.* ratio est, quia in utroque iure irritantur huiusmodi donationes, *cap. Non sane 14. qu. 4.* & ibi relatus Augustinus *Epist. 54. ad Macedonium*, sic loquitur: *qui vero pro iniquo iudicio dedit, vellet quidem repetere, nisi timeret, vel puderet emisse*; ergo censet S. Doctor, litigantem confitentem munus, habere adversus Judicem jus repetendi, ergo is munera oblata ad injustam sententiam ferendam, sua non facit, vide *l. Juris gentium, §. sint maleficia ff. de pactis*. Quæ est tutior sententia, vide *lib. 2. c. 9.*

5. Sed quid dicendum de famulis Judicis?

Resp. Peccant, si aliquibus propter munera accepta faciliorem ad Judicem accessum præbeant, aliis injustè exclusis, & ideo debent parti læsæ restitutionem facere, si fuerint causa damni: super quo in praxi debet Confessarius eos famulos interrogare.

6. Queritur. An peccent, qui tradunt munera Concubinae Judicis, aut aliter ab ea petunt, ut Judicem roget ad effectum, ut pro ipsis sententiam ferat?

*Matthæوسي Cautela Confess.*

Resp. Affirmativè, propter periculum fovendi inhonestum amorem inter Concubinam, & Judicem, & hæc est tutior sententia in praxi. Sanchez apud Bonac. *de peccat. disput. 2. quæst. 4. punct. 2. §. unic. num. 24.*

7. Queritur. An quidquam dari possit, promitti, aut pacisci pro justitia, vel gratia, sive Ecclesiastica, sive temporali obtinenda apud Sedem Apostolicam, & Romanam Curiam?

Resp. Negativè, pro ut expressè legitur prohibitum sub pena excommunicationis, ipso facto incurrendæ, à Bonif. VIII. Greg. XIII. Alex. VII. & Innoc. XII. *const. incip. Sacerdotalem, & Regiam Urbem, tertio Calen. Febr. 1699.* in qua confirmantur, & innovantur præfactorum PP. *const. & pœnæ in eisdem contentæ.* Optimum esset *const. legere.* In qua pœnis submittuntur omnes, sive Clerici, Religiosi, & Laici, sive Judices, Agentes, Procuratores, Advocati, Expeditores, & Negotiorum gestores. In qua etiam conatus prohibetur; & comprehendit quoque dantes auxilium, consilium, vel favorem, prout in ea expressè.

8. Xenia solita, hoc est, munera, quæ hospitibus solent dari (Mouleta, & poculenta) quæ, nimirum, intra proximos dies edi, & potari possunt, juxta Joan. Calvin. *Lexicon. Jurid. & Judicibus, Ministris, & Officialibus Romanæ Curia exhiberi consueverunt, in ea non prohibentur, ut expressè textus §. Xenia*; ubi advertat Confessarius hæc verba solita, & consueverunt. Nec Procuratoribus, Advocatis, &c. merces labori conveniens interdicitur, sed vitentur fraudes.

(Y)

9. Quæ.

9. Quæritur. *Quomodo Confessarius se gerere debeat cum penitente se accusante, pro obtinenda gratia, vel iustitia à Sede Apostolica, munera promississe, dedisse, recepisse, vel accepisse, &c.*

Resp. Si penitens non sit in articulo mortis, absolvi non debet, sed remittendus ad Sedem Apostolicam, cui excommunicatio reservatur ex §. *Dudum*, §. *Cui salubri*, §. *Contravenientes*. Si vero sit in articulo mortis, & ad Papam non possit accedere, nec sit tempus obtinendi facultatem, absolvendus est, sed non prius, quam quantum recepit, pauperibus largiatur; ut expressè §. *Decernimus*, & §. *Cui salubri*, & in casu manifestæ impotentia debet cautionem dare, vel iuramentum præstare de muneribus receptis quamprimum pauperibus erogandis, ac de comparando, cessante impedimento, ad Sedem Apostolicam, & se amplius ea non committurum: cum quo onere, & non aliàs absolvendus est, ex dictis *cap. 2. num. 15.*

10. Quæritur. *An qui, modo per Constitutionem interdicto, recepit Officium, etiam Seculare, ut gubernium, v. g. Castris, Arcis, Locum inter *Arma* armatura milites, &c. possit illud exercere, & stipendia, ex ejus ministerio obvenientia, in conscientia recipere, & recepta retinere?*

Resp. Negativè; nam §. *Decernentes*, & §. *Contravenientes*, iustitia, gratia, decretum, rescriptum, vel sententia, eo modo obtenta, nullius proflus momenti ipso jure declarantur, ac omni effectu, & robore carere statuunt, ergo stipendia sua non facit, & pœnam furti ex alleg. §. *Contravenientes* incurrit; propterea ad re-

stitutionem est obstrictus, & officium resignare debet.

11. Nota, utentes gratia, vel iustitia, ejusmodi modo obtentis, excommunicatione reservata ligari, & ad cæteras pœnas obligari, si eis scienter (hoc est, cum notitia, quod fuerint contra præscriptam constit. obtentæ) utantur, §. *Sed scienter*.

12. Observes etiam, ad incurrendam censuram, & pœnas, requiri, ut quis delinquat cum scientia prohibitionis, & pœnæ; nam *audentes* ligat: *audere* autem sæpè cum præsumere confunditur, pro *cap. sed, ne Cleric. vel Monach.* præsumere autem dicitur, qui cum scientia Legis, contra legem operatur, per *Ameno de pœnis tit. 4. §. 8. num. 23.* Sanctoto de pœnis *c. 6. qu. 2. difficul. 3.* citan. *Bonac. cin. de cens. in com. disp. 1. q. 1. punct. 3.* & 7. unde, qui inadvertenter, aut bona fide aliquid operatur, præsumere non dicitur, *Barb. de dictionib. dicit. 234.*

13. Sed quæritur. *An ad incursum pœnarum requiratur, quod gratia, vel iustitia realiter, & cum effectu obtineatur?*

Resp. Negativè, nam Const. loquitur de dantibus, &c. pro gratia, vel iustitia obtinenda. Et meo videri ex fine, & enunciativa Const. patet; nam Pontifices per eam removere intendunt, quæ possent modo aliquo Romanæ Curia exultationem lædere, & decori officere, eamque per hujusmodi turpe lucrum infamare, constat autem, id sequi, si gratia, aut iustitia, pro qua munus, pecunia, vel pretium recipitur, &c. obtineatur, siue non, modò quis eam recipere, & obtinere conetur, & curet.

## CAPUT XX.

Prop. XXVII. ab Alex. VII. Sc.  
Opinio probabilis, & conscientia.

1. PROP. 27. Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica, tamquam improbabilem.

Propositio duo tangit. Alterum verum, nullam, nimirum, opinionem esse probabilem, cum constet eam ab Ecclesia Catholica fuisse rejectam, sive unius, sive plurium Auctorum fuerit. Alterum, falsum, hoc est, auctoritatem unius moderni Doctoris reddere opinionem probabilem; quod quam sit in materia morum periculosum, non est, qui non videat: nam, cum in moralibus nulla sit opinio, quantumcumque exorbitans, quæ aliquem pro se auctorem non habeat, jam esset cuique liberum, omnem opinionem in moralibus amplecti, & ex quacumque sibi efformare dictamen ad operandum: quæ sententia, ut pote nutritiva peccati, ad innumera crimina in moralibus aditum parat.

Unde occasione propositionis aliqua ad praxim utilia Confessario de natura opinionis probabilis, & conscientia examinantur.

2. Quæritur, Quid sit opinio probabilis? quidve probabilior?

Resp. Probabilis, est assensus, quo intellectus propter alicujus momenti rationem, vel auctoritatem DD. uni parti adheret: vel iudicat aliquid esse licitum, aut illicitum, sed cum formidine de opposito.

Probabilior verò est, quæ pro se habet plures, & majoris ponderis rationes, plurimumque, vel graviorum DD. auctoritatem. Nota, rationes reddere opinionem probabilem ab intrinseco, auctoritates verò eam ab extrinseco probabilem ostendere.

3. Ut opinio sit verè probabilis, requiritur. 1. Quòd ratio, & motivum sit magni momenti, non solum secundum se, sed etiam comparativè ad argumenta in contrarium, ut ab his non enervetur; sicut enervantur fundamenta hereticorum comparativè ad ea, quæ eis à Catholicis opponuntur. 2. Ne sit contra evidentiam sensuum, aut aliam demonstrationem. 3. Ne ex ea ullum manifeste sequatur absurdum. 4. Ne ratio, vel motivum sit contra communiem sensum omnium, qui illam sententiam examinant: 5. Ne Ecclesia aliquid in contrarium definiat.

4. Notandum multitudinem Doctorum, Priorum vestigia, instar ovium sequentium, nulla rationum discussione præmissa, non facere opinionem probabilem; nam, ad id opus est, ut eam, ponderatis rationibus, confirmet, juxta Fagnan. in 1. ad cap. ne imitatis de cons. nu. 4. 6.

5. Notandum etiam, ex opinionibus aliam esse speculativè aliam practicè probabilem; prima est illa, quæ affirmat, vel negat aliquid secundum se, in communi, & in abstracto esse licitum, vel illicitum, præscindendo à circumstantiis in particulari: ex dicendis nu. seq. Secunda verò, quæ prudenter pronunciat aliquam actionem esse licitam, si consideretur non solum secundum suum

(X) 2 objectum,

objectum, sed etiam secundum circumstantias, objecto extrinsecas, & accidentarias, sine quibus non potest moraliter redigi ad praxim.

6. Quæritur. An dari possit opinio speculative probabilis, qua sit improbabilis practice?

Resp. Affirmative; sunt quædam actiones quæ moraliter ad praxim redigi non possunt, propter aliquas pravas circumstantias, reddentes illas illicitas: v. g. est speculative probabile, quod non sit crimen lathale petere ex amore solius justitiæ vindictivæ ab Judice, ut capite plectat eum, qui filium suum proditorie occidit; & tamen est practice improbabile id esse licitum petere, propter periculum gaudendi de vindicta privata, & quod mors occisoris placeat. Generaliter illæ opiniones speculative probabiles, non sunt probabiles practice, quando quis ex ipsarum sequela exponitur probabili periculo peccati, ut in quibusdam contractibus, ex quibus imminet magnum periculum: v. g. simonia, & palliatarum usuratum, Vide Gobat. r. 2. oper. moral. tract. 1. Cyp. Clement. Judic. sect. 1. nu. 15. & sequen.

7. Quæritur. An idem sit opinio tuta, ac probabilis: & tutior, ac probabilior?

Resp. Negative, quia opinio dicitur probabilis, vel probabilior in ordine ad rationes, motiva, ac auctoritates, quibus innititur; tuta vero, & tutior, ex quo aliquo modo, vel securius vitet peccatum: tuta aliquo modo peccatum vitat, tutior vero, seu securior magis, & securius. Potest una opinio esse probabilior, & minus tuta, & alia minus probabilis, & tutior; in quaestione illa, an circumstan-

tia notabiliter aggravantes sint necessaria in Confessione aperiende? opinio negativa est D. Thomæ S. Bonavent. Scoti, Durandi, & aliorum apud Fagnan. c. 11. num. 226. affirmativa vero Alensis, Marfilii, Cajetani, &c. probabiliorum esse sententiam D. Thomæ, dixit Navarro in manuali; sed contraria est tutior; nam, si eam sequens, circumstantias constituit, est certum te, ut sic, nil facturum, quod sit ulla lege veritum; at, si non constituit, subest periculum, ne omittas, quod esset, per se loquendo, ex lege divina, & sub precepto constitendum; & ita, quod saltem materialiter pecces, quamvis non formaliter, quia contra conscientiam non operaris.

8. Quæritur. Quid sit conscientia, & quomplex?

Resp. Conscientia est, dictamen rationis dictans hic, & nunc aliquid esse faciendum, vel omittendum, sequendum, vel fugiendum; distinguitur à Synderesi, quia hæc est judicium, (quod à quibusdam dicitur conscientia speculative) dictans in communi, & in abstracto, bonum esse faciendum, malum fugiendum, elemosinam esse elargiendum, die festo non esse laborandum, &c. dum conscientia est dictamen dictans solum in particulari, (quod practice practicum nominari solet, quia proprie est de praxi, seu actione morali, consideratis omnibus circumstantiis) ex universali propositione concludens, & dictans hic, & nunc, & in hac occasione, & circumstantiis non esse v. g. piscandum, laborandum, &c.

Conscientia alia est recta: alia erronea, sive errans; alia opinativa, scilicet probab-

lis: alia dubia: alia scrupulosa, & alia certa.

9. Conscientia recta est, qua hic, & nunc dicit aliquid esse faciendum, quod revera faciendum est.

10. Erronea, qua dicit aliquid esse faciendum, vel fugiendum, quod a parte rei tale non est.

11. Probabilis, qua propter non leves rationes, vel DD. auctoritatem, absque certitudine, & eum formidine, dicit, actionem aliquam esse bonam, vel malam moraliter.

12. Dubia, qua non habet rationes nec probabiles, nec sufficientes ad iudicandum, quod actio sit bona, vel mala; & ideo intellectus manet suspensus, suspendens iudicium ad utrumque; quod dicitur dubium negativum, & proprium; ad differentiam dubii positivi; consistentis in eo, quod quis uni parti adhaereat, sed cum formidine de opposito: in quo convenit cum conscientia probabilis.

13. Dubium aliud est juris, aliud facti; dubium juris dicitur, cum dubitatur, an talis lex sit lata: an baptismus in aqua rosacea collatus valeat, &c. dubium facti dicitur, cum dubitatur, utrum hoc, vel illud contigerit: an votum sit emissum: an aetas sit completa, & similia.

14. Conscientia scrupulosa est levis credulitas, seu iudicium, aut inanis apprehensio, ex levibus rationibus, & conjecturis orta, ex qua oritur timor, ut peccatum sit, ubi non est.

Differentia inter conscientiam scrupulosam, probabilem, & dubiam est: quod in dubio proprio non fit assensus procedens ex magno ponderis fundamento; in

scrupulosa vero est assensus, sed ex fundamento levi.

15. Certa denique est, qua certo iudicat aliquid esse licitum, vel illicitum, quatenus procedit ex ratione aliqua certa, certitudine morali.

16. Nota, tunc intellectum dici certum moraliter, cum perpenis rationibus, ac bene ponderatis fundamentis, ita res apparet, ut ei prudenter non valeat dissentire, vel metuere falsum subesse; hinc moralis certitudo describi potest: est apparentia convincens prudentem intellectum ad assensum.

17. Queritur, an operans contra conscientiam rectam praecipientem v. g. ieiunium, vel prohibentem mendacium, peccet?

Resp. Affirmative; ratio est, quia ex terminis apparet esse malum, non facere id, quod recte quis iudicat esse faciendum, vel facere, quod non faciendum esse recta ratio dicit; nam, tunc re vera facit contra praecipitum, & obligationem, quam habet se conformandi cum regula proxima suae operationis, & ideo peccat, ut optime DD. super illud Rom. 14. quod non est ex fide, peccatum est: hoc est, quod est contra, & non conforme iudicio practico, seu aetiam conscientiae, peccatum est.

18. Sciat Confessarius, quod duplex datur regula in operando, alia remota, ut lex externa, & alia proxima, ut conscientia. Voluntas est circa, & non potest ex se cognoscere, quid lex externa praecipiat, vel consulat, vel quid bonum sit, vel malum, ergo dirigi debet à recta ratione, seu conscientia, qua dicit hoc esse honestum, vel turpe, hoc esse praecipitum,

(Y) 3

ceptum,

ceptum, vel non; cui si non conformetur, delinquit, operando contra proximam regulam suae operationis.

19. Nota, conscientiam, aliam esse invincibiliter, seu inculpabiliter errantem, & aliam errantem vincibiliter, & culpabiliter; illa dicitur, quae procedit ex ignorantia, seu errore invincibili, qui moraliter vinci non potest: vel, quia numquam mens dubitavit de veritate objecti, quod ignoratur: vel, quia, adveniente dubio, fuit res diligenter examinata, & nunquam potuit error deponi; hic error est in eo, qui sine dubio, & formidine de opposito, falso judicat, v. gr. *hoc die Dominico non esse audendam Missam*, & quia numquam dubitavit de opposito, non potuit moraliter errorem deponere; vel si dubitavit, quaesivit instrui, & invenit aliquos doctos, & prudentes, à quibus sine sua culpa fuit deceptus, asserentes Missam non esse audiendam, quibus acquievit.

20. Altra est, quae procedit ex errore vincibili, qui, scilicet, *adhibita diligentia moralis, vinci potest; quam errans sua culpa omittit*; vel, ad finem, ne laborem in inquirendo seriat: vel, ne propriam obligationem cognoscat, & sic liberior peccet; hic error est in eo, qui, non sine dubio, & formidine de opposito, adeoque cum iudicio implicitè, vel expressè dictante rem esse magis considerandam, judicat v. g. Sancto die Jovis præceptum jejunii non obligare, super quo posset, vel à Doctis, vel librorum lectura instrui, & tamen negligit inquirere.

21. Quæritur, *an judicans ex conscientia invincibiliter errante se posse,*

*& debere ex lege charitatis in iudicio mentiri, ad tuendam vitam proximi, peccet, si, proximi vita periclitanse, non mentiatur?*

Resp. Affirmativè, quia jam à regula proxima deficit, & ita affectus est; ut, quamvis à parte rei in adducto casu daretur præceptum mentiendi, illud non impleteret. In casu præceptum illud, falso existimatum, *per accidens*, hoc est, ratione falsi, & inculpabilis erroris, ad mentiendum obligat, non minus, ac *per se* obstringit præceptum verum, de non furando, certò cognitum.

22. Pondera. Operantem contra conscientiam invincibiliter errantem, contra eam virtutem delinquere, contra quam operando putat peccare; ita si expuendo in Ecclesia, credas sacrilegium committere: vel festucam levando, existimes crimen læthale: si expuas sacrilegium, & mortale crimen, si festucam leves, committis.

23. Sed quid, *si faciat rem, quam putat esse peccaminosam, nec distinguat, utrum moralis, vel venialis sit?*

Dicendum peccare mortaliter propter periculum, cui se exponit, sic peccandi, Boyvin. de Consc. cap. 1. qu. 3.

2. Quæritur, *an, qui ex conscientia culpabiliter erronea putat ex lege charitatis se teneri ad mentiendum pro tuenda vita proximi, peccet, si, mentiatur, si, non mentiatur?*

Resp. Affirmativè; peccat contra veracitatem, si mentiatur; nam error est vincibilis, & in ejus potestate eum deponere, ergo si errorem vult, vult etiam id, quod ad errorem sequitur, adeoque mendacium, à parte rei omnimò prohibitum.

bitum ex dicendis lib. 2. cap. 17. peccat contra charitatem proximi, si non mentiatur; quia facit contra dictamen rationis ostendens non mentiri, esse contra proximi charitatem.

25. Quæritur, quid dicendum in casu, quo quis ita perplexus est, ut sibi utrumque videatur esse peccatum? v. gr. Parochus ad Ecclesiam die Dominico veniens sacrificaturus pro populo, recordatur se jejunium non esse, nec alius tunc Sacerdos vocari potest, neque populo suaderi, ut, inaudita Missa, quiens discedat, quo casu Sacerdos ita discervit: si celebrem, pecco adversus reverentiam Sacramenti, propter legem Ecclesiasticam; si non celebrem, pecco contra legem charitatis propter grave populi scandalum, & causa ero, cur tot de populo Missam præceptam non audiant.

Resp. In casu à Sacerdote est eligendum, quod minus malum hic, & nunc ei apparet; hinc, si putet minus malum esse celebrare, quam populo scandali occasionem præbere, celebrare debet; si autem judicet minus malum esse relinquere populum sine Missa, quam celebrare, à sacrificio absteineat.

26. Sed quid, si ei non appareat, quodnam ex eis sit majus, vel minus malum, nec ad id valeat se propter ignorantiam determinare, nec per alium edoceri?

Respondet Layman. à num. 4. & Boyvin loc. cit. probabile esse, non peccaturum, quamcumque partem eligat; ratio est, quia tunc non adest sufficiens libertas ad peccandum, quia si, vel celebrando, vel omittendo, peccaret, jam necessarîo peccaret necessarîo enim unum, vel alterum eligere debet; nam inter contradictoria

veritatur: ad peccandum autem requiritur libertas, qua in operantis arbitrio sit posse peccare, & posse vitare peccatum: nullus enim peccat in eo, quod vitare non potest, ut cum Augustino DD.

27. Quæritur, an in concursu opinionum, quarum una sit probabilis, & altera probabilior, possit quis, tuta conscientia, sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, seu ea, qua validioribus rationibus, & majoris ponderis fundamentis innititur?

Resp. Negative, cum Fagn. in 1. ad c. ne inmitaris de const. ubi plures, & plures allegat. A quo in praxi non est recedendum: Ratio est; quia, qui eligit opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, prudenter non agit; nam prudenter non agit, qui operatur cum formidine, quod ejus operatio sit honesta; sed, qui sequitur minus probabilem, relicta probabiliori, operatur cum formidine, quod ipsius operatio honesta sit. Sint duæ opiniones; & minus probabilis dicet: est probabile hic, & nunc jejunium non urgere; probabilior autem dicat: probabilius est urgere. Certè, qui non jejunandæ sequitur minus probabilem, operatur cum formidine, quod jejunium sit in præcepto; & sic, quod malè operetur: Nam, cum opinio probabilior habeat fortiora motiva, & urgentiores rationes ad suadendum jejunium urgere, sequitur, quod propter ista, ductus opinione minus probabili (qua semper comparative ad probabiliozem habet annexam formidinem) debeat vacillare, esse fluctuans de honestate suæ operationis, & sic imprudenter agit, & formaliter peccat; quia numquam licet operari cum peri-



periculo peccandi, ut uno ore DD. loquuntur. D. Thom. *Quod lib. 8. art. 13. ait: quicumque committit se discrimini, in his, qua sunt ad salutem, peccat.* Scotus *qu. 2. prol. in fine, §. & si obicias, multa in actibus humanis sunt dubia, utrum sint peccata mortalia, &c.* Respondet, non est dubia via salutis, quia a talibus, tamquam periculosis debet homo sibi cavere, & se custodire, ne, dum exponit se periculo, incidat in peccatum; quod si noluerit quarere salutem, sed non curando exponit se periculo, ubi forte actus de genere suo non est peccatum mortale, tamen peccabit mortaliter, se exponendo tali periculo: nam qui amat periculum, peribit in illo, *Ecclesiast. 3.* Qui autem sequitur minus probabilem, relicta probabiliori, amat periculum peccandi, nec ipsum vitat, quantum potest, ideo in illo perit, & formaliter peccat: nam, licet propter motiva opinionis probabilioris de reſtitutione ſua operationis formidet de oppoſito, videatque periculum peccandi, & quod opinio, quam ſequitur, poſſit eſſe falſa, adhuc vult eam ſequi. Concedimus ſequentem opinionem certam probabilem operari prudenter, modo tamen alia ei non appareat probabilior, quia, dum ſic ei apparet, & verior apud eum eſſe debet: vid. *Clement. de Sum. Trinit.*

28. At petitur; *ſed non ne etiam opinio probabilior poteſt eſſe falſa, & omnem formidinem non excludere?*

Reſp. Utiq; a parte rei, & ſecundum ſe falſa poteſt eſſe; verum, ut actu eſt in intellectu operantis, falſa non iudicatur: nec habentur motiva prudenter formidandi de ipſius veritate, ut ſupponitur.

29. Nota differentiam inter formidinem logicam, ſeu remotam, & formidinem moralem, ſeu prudentiam. Illa paſſitur, ex quo obiectum cognitum, licet ponderatis bene particularibus rationibus intrinſecis, & extrinſecis, ſit moraliter certum, tamen non repugnat, quo minus, attentis quibuſdam rationibus communibus, & remotis (ſecundum quod aliquando in humanis actibus accidere ſolet) poſſit aliter ſe habere: exemplum eſt in ſcriptura Notarii, quae facit pleam fidem, quia, cum ſit Perſona publica, mentiri non praſumitur. *c. quoniam contra de probat. &c. ad Audientiam de praſcript.* & tamen, attenda quadam ratione communi, id eſt, humanitate, poſſibile eſt, ut Tabellio mentiatur, & inſtrumentum ſit falſum; verum, quia id raro contingit, cenſetur omnino per accidens, & non attenditur. Altera, quae eſſentialiter in eſt iudicio opinativo, ſeu probabiliori, occit ex eo, quod intellectus aſſentitur quidem uni parti contradictionis, ſed propter particularia, & urgentia motiva alterius, fluctuat, & formidat, quod pars oppoſita ſit vera. Haec formido deſtruit moralem certitudinem, ſic, ut, qui operatur cum tali formidine, ſeu dubio poſitivo, & formali, in materia morum exponat ſe periculo peccandi, & peccet. Illa vero, ſeu logica, ſi quae remaneat ex poſſibili contingencia de oppoſito, non praſiudicat certitudini morali ad recte operandum requiſita. Ex hac doctrina pluribus caſibus poſſunt aptari reſponſa.

3. Qua propter certum eſt cum *Juvenio Theol. 1.6. p. 7. deſert. 2. q. 7. cap. 3. ar. 2.* cum agitur de praſcriptis, non licere in praxi ſequi opinionem minus probabilem.

lem, quæ favet hominis libertati, hoc est, quæ asserit actum esse licitum, vel hunc contractum non esse usurarium, relicta probabiliori, quæ stat pro præcepto, quæ affirmat illum contractum esse illicitum, & usurarium. Si quidem illa est perversa electio, qua contemnuntur certiores veritatis conjecturæ, & indicia, ut minus certa sequamur. Maxime verò qui minus probabile magis probabiliter anteponit, is à ratione ultrò, & spontè recedit; vult enim à veritate longius abesse: probabilis enim veritati est proximus, ut dixit Duhamel *Theol. moral. t. 2. dissert. 2. cap. 4.*

31. Dicitur, cum agitur de præceptis, quia in materia, quæ sit sub consilio tantum, non est debitum sequendi probabiliorum, & tutiorum; aliàs omnes statum Religiosum, & calibatam, utpotè perfectiorem, & tutiorem statu conjugali, tenerentur assumere, & non assumendo peccarent, quod sine errore affirmari non potest, ut notavit Abellii *Medull. p. 2. tr. 2. cap. 1. sect. 6. §. 3.*

32. Ex hoc sequitur. I. Magistros, & Præceptores in iis præsertim, quæ respiciunt fidem, & mores, debere suos discipulos illis sententiis instruere, quas saniores, & probabiliores existimant; immò & moralem debent adhibere diligentiam, ut pro quanto humana fragilitas patitur, in doctrinis, quas docent, veritatem assequi conentur; alioquin videntur injuriam discipulis irrogare, & bono publico non leve præjudicium asferre, ut per Bresserum *lib. 3. de confes. cap. 8.* aliisque apud d. Abellii.

33. Sequitur. II. Confessarium non debere absolvere penitentem, qui nollet *Matthæucci Cantela Confess.*

in praxi deponere opinionem suam minus probabilem, quæ favet libertati, & quam Confessarius falsam judicat, & in praxi non tutam. Nam Confessarius agit partes medici, & Judicis; ergo sicut medicus non potest ægroto porrigere medicamentum, quod judicat illi noxium fore, quamvis ægrotus illud sibi utile censeat, ductus opinione aliquorum medicorum, qui ægrotum lenocinari solent; Ita nec Confessarius penitentem à peccatis ægrotum non potest curare remediis, quæ grata quidem sunt infirmo, sed noxia ab ipso Confessario judicantur.

34. Sic pariter, quia Judex non debet à reo discere sententiam, quam in eum ferre debet. Ita neque Confessarius sententiam, quam in penitentem est servato juris ordine prolaturus, ab ipso percipere debet.

35. Sequitur. III. Quod quemadmodum in materia præcepti non licet sequi opinionem probabilem, omiſſa probabiliori, ita non licet sequi opinionem probabilem, quæ favet libertati hominis in concursu alterius æquè probabilis, quæ favet præcepto, asserens aliquem actum non esse licitum, permissum, &c. Nam, sicut ibi in rebus ad salutem anime pertinentibus, quis incerta certis præponeret; quod nullus debet juxta August. *lib. 2. de baptis. contra Donatistas cap. 3.* ita in secundo casu sequens opinionem probabilem faventem libertati, concurrente alia æquè probabili, quæ stat pro præcepto, incerta certis anteponeret in rebus ad salutem spectantibus; incertum est, utpotè tantum probabile non esse peccatum in actu, cum sit æquè probabile esse peccatum.

(Z)

Quare

Quare in casu debet partem tutiorem sequi, juxta axioma juris *in dubiis tutior pars est eligenda*, pro ut dicemus n. . .

36. Quod autem dubius sit, ac omnem actum suspendat is, cui occurrunt duae opiniones contrariae aequè probabiles, patet. Nam non est potior ratio, cur intellectus judicet unam potius esse veram, quàm aliam: siquidem aequales pro veritate, & falsitate rationes hinc inde habentur, proinde in suspenso manet inter veritatem, & falsitatem; non minus, ac si nulla ratio ei pro una, vel altera parte proponeretur. Sicut in aequilibrio manent lances in libra, vel, si nullum neutri vel, si aequale utrique pondus imponatur.

37. Dicunt. In eo statu potest voluntas intellectui jubere, ut hunc actum reflexum eliciat: *licitum est sequi opinionem certo probabilem*; & tunc ab omni dubio in praxi se liberat, atque ita potest celebrare contractum, quem licitum esse judicat.

Resp. Si per eam actum reflexum certus quis sit de bonitate sui actus, V. G. licere hunc contractum, de quo est opinio aequalis ponderis, quòd sit illicitus, nullus unquam occurreret casus, in quo teneatur ad praxim redigere illam juris regulam. *In dubiis severitatem debemus eligere tutiorem*. Quoniam quoties propter aequalis ponderis contradictorias rationes, dubium erit, an aliquis actus licitus sit, nec ne? Voluntas poterit cerò illum actum intellectui imperare. Sequela autem non est admittenda; aliàs inutiliter fuisset ea regula à Sacris Canonibus praefinita, quod non est dicendum,

Maximè quia, posito illo actu reflexo, in praxi non occurrit aliqua circumstantia, quae priorem dubietatem minuat, & prudentiam Imperii justificet.

38. Opponunt contra dicta *num. 27. cap. Si vir de cognat. spirit.* ubi interrogatus Alex. III. An separandi essent conjuges, qui filium suum de fonte susceperunt? & referens duas sententias, alteram, quòd debeant separari, & aliam, quòd non debeant, secundam eligit; quamvis sit minus probabilis, juxta textum ibi. *Quidam autem humanius sentientes, aliter statuerunt*; Ergo in concursu opinionis probabilioris potest minus probabilis eligi.

Resp. Negando opinionem, quam secutus est Pontifex, esse minus probabilem. Illud *humanius*, idem est, ac rationabilius, ut dixit Hostiensis, quem secutus est Fagnanus *in 4. ad d. cap. nu. 2.* observans in varietate opinionum amplectendam esse humaniorem, hoc est, rationabiliorem, & aequiorem. Et, si utraque sit rationabilis, sequendum est plurimorum judicium. In foro enim conscientiae, si utrumque sint opiniones aequè probabiles, seu rationabiles, est ex praecepto eligenda tutior ad removendos conscientiae scrupulos.

39. Queritur, *an quis operatur cum conscientia practice dubia, peccet?*

Resp. Affirmativè; & ratio est, quis quod non est ex conscientia dictante aliquid posse fieri, peccatum est. Item, qui dubitat, an hoc in his circumstantiis sit peccatum, vel non, & operatur, dubium non deponens, videtur parum curare, an id, quod agit, sit peccatum, vel non, & ita se exponit peccandi periculis; patet

exca-

exemplo: actionem aliquam erga amicum facis, dubitans, an illa cedat in gravem amici offensam, si eam facis, quantum in te est, offendis amicum, quia periculo ipsum offendendi te committis.

40. Queritur quomodo intelligenda sit regula illa, in dubiis tutior pars est eligenda?

Resp. Sic, ut, dum res propter rationes utrimque probabiles proflus dubia est, & non potest quis dubium depellere, in his, quæ animæ salutem respiciunt, teneatur, non ex consilio, sed ex præcepto, ac ex obligatione, qua quis tenetur vitare periculum peccati, sequi partem tutiorem: Sic Sacri Canonēs, qui utuntur verbis, non simplex consilium, sed obligationem importantibus, ut *semitam debemus eligere tutiorem cap. Audientiam de homicidio, via tutior est eligenda c. illud de Cleric. excom. ministrante, & c. ex vii §. prætereà de verb. signific. & ibi: In his, quæ animæ salutem respiciunt, ad evitandos graves remorsus conscientia, pars tutior est tenenda.*

Advertat Confessarius, Alia esse opera bona, quæ non sunt in præcepto, ut sunt tria consilia Evangelica, quæ, quamvis melius sit ea facere, tamen, qui ea non facit, non peccat: in his regula illa non procedit, nec est in præcepto; Alia vero esse opera bona, quæ sunt in præcepto, quæ, dum ea quis non facit, se exponit periculo peccandi: in his regula de tutiori parte eligenda procedit. Tene itaque, quod in dubiis spectantibus ad salutem animæ, & ubi agitur de peccato vitando, pars tutior est eligenda.

41. Queritur, an dubitans, an die Jo-

vis transacta sit media nox, possit, tuta conscientia, comedere carnes. Et in die Sabbati dubitans pariter, an media nox excesserit, carnes sine peccato edere valeat?

Resp. Affirmant Layman. lib. 1. cap. 5. §. 3. num. 36. Ilfung. Tambur. Rotarius, & alii posse in primo casu, non verò in secundo; discrimen afferunt, quia cum die Jovis unusquisque possideat suam libertatem vescendi carnibus, in dubio manuteneri debet in sua possessione contra diem veneris, seu contra præceptum abstinentiæ, pro quo nulla est possessio, & propterea comedens non peccat; nam in dubio *melior est conditio possidentis*, & quilibet, cum sit in possessione suæ libertatis, in dubio non debet se ea possessione expoliare; in die autem Sabbati, possessio stat pro præcepto; unde peccat, qui carnes comedit, quia spoliatur Sabbatum, seu præceptum sua possessione abstinentiæ a carnibus.

Ad dignoscendum autem, pro quo stet possessio, hanc tradunt regulam: quod ille censetur possessor, pro quo stat præsumptio, & qui transfert in alium onus probandi contrarium; sic Dominus vineæ censetur illius possessor, quia ad alium pertinet probare, quod ille non habeat legitimum titulum possidendi.

42. Negat Fagnanus cit. num. 191. & sequen. citans Valquez, Sayr, Salas, Azorium, & plures Canonistas, resolventes regulam illam: *in dubio melior est conditio possidentis*; procedere solum in foro externo, & judiciali, in quo Judex non cogitur imponere poenam, quæ per sententiam imponenda est, donec in suo foro certus sit de delicto, aliàs se exponit

periculo errandi; quod utrimque imminet; nam si damnet innocentem, peccat contra proximum, quem sine causa graviter offendit: si absolvat criminolam, peccat contra Republicam, cui interest, ne delicta remaneant impunita: ergo in dubio debet servare regulas ab jure praescriptas. Non verò procedit in foro animæ, & pœnitentiæ, in quo regulariter periculum est ex una parte dumtaxat *cap. significasti il. 2. de homicid.* nam reus in eo se judicans culpabilem, nulli periculo se exponit, nec cuiquam infert injuriam, quæ volenti non fit, sed judicans se innocentem, exponit se periculo peccati, & infert injuriam Deo, cujus præceptum contemnit.

43. Itaque absolute resolvas, quod in iis, quæ salutem animæ respiciunt, tutior pars, & ea, quæ vacat omni periculo culpæ, amplectenda sit; nam, sanè nullum periculum offendendi Deum reperitur, si dubius in die Jovis, an media nox excesserit, absteineat à carnibus, & aliquid imminet, si continet comestionem, quia fortè media nox excessit; & hiac comedens peccat, se exponendo periculo peccandi, periculum amant. *Et sic ad ceteros casus, qui possent adduci, ut Layman tradit de eo, qui post diligentem animi discussionem dubius est, an mortaliter peccaverit, ita ut in neutram partem assentiendo inclinare possit; & affirmat teneri sub dubio confiteri peccatum, quia in hoc dubio, in quo de salute animæ agitur, tutior pars amplectenda est; ut, si homo spiritaliter per peccatum mortuus sit, necessaria illi medicina quaratur per pœnitentiæ Sacramentum.*

44. Queritur, an liceat absque pecca-

to operari contra conscientiam scrupulosam?

Resp. Negative, habetur expresse *cap. Inquisitioni de sent. excom.* ubi Innoc. III. resolvit, quod si alter conjugum pro certo sciat impedimentum dirimens matrimonium, non potest sine peccato mortali debitum exigere, vel reddere; & si habeat conscientiam ex credulitate probabili, & discreta, potest reddere, sed non exigere; si verò conscientiam habeat ex credulitate levi, & temeraria, si eam deponat, non modo reddere, sed etiam licitè potest exigere; requirit ergo textus, ut ante copulam conscientia scrupulosa (judicium nimirum, seu credulitas ex levibus conjecturis, ac motibus animi pullantibus, quod matrimonium propter impedimentum dirimens sit nullum) deponatur, aliàs, si quis eorum debitum exigat, siue reddat, juxta Canonum jura mortaliter peccat; juxta *cap. per tuas il. 2. de Simonia*; ubi dicitur esse mortale; operari contra conscientiam scrupulosam, id enim important verba textus, edificat *ad Gibernam*, ut notat Abbas in *cap. Literas de restit. spoliar.* apud Fagnan. *cit. num. 96.* & propterea Cajetanus ab eodem *alleg. num. 88.* dixit scrupulum esse mortem conscientia.

45. Optimum remedium contra scrupulos est, eos parvi pendere, eosque ad consilium, & judicium prudentis Confessarii (cui se humiliter scrupulosus, neglecto proprio judicio, submittere debet) deponere, & sic contra eos depositos, operari licitè potest, cui numquam sine peccato id liceret, retenta, sed in sensu composito cum conscientia scrupulosa.

El.

Eligant itaque in Confessarium, vel animam Directorem Virum piū, prudentem, & doctum, cui se subdant, eique credant, & obediant, ac deposito proprio iudicio, & ratiocinationibus, ea faciant, quae sibi imponit, & iuxta instructionem: cui, si acquiescere non sint parati, & credere nolint, incurabiles iudicentur, & Deo commendentur. Vide Layman. cit.

## CAPUT XXI.

Prop. XXVIII. ab Alex. VII. Sc.  
De legis humanae obligatione.

1. PROP. 28. Populus non peccat, etiam si absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Proscriptam propositionem docuerunt apud Fagnan. in 1. ad cap. ne in iuris sub num. 335. Azorius, Villalobos, alique cum Diana scribentes, ut leges, tam Canonicae, quam Civiles, vim completam obligandi habeant, requiri, ut à populo acceptentur; quorum sententia in ea propositione ab Alex. reprobatur, & nos hic illius occasione aliqua pro praxi de obligatione legum humanarum notamus.

2. Queritur, quid, & quotuplex sit lex?

Resp. Est ordinatio ad bonum commune promulgata ab eo, qui communitatis curam habet, cum voluntate perpetua obligandi. Alia est aeterna: & est actus Divinae Mentis, quo Deus iudicat quasdam regulas practicas, necessarias, & aeternae veritatis esse à creatura rationali observandas, cum voluntate ipsam obligandi: & Deus est colendus, virtus a-

manda, &c. Alia naturalis, & est naturale iudicium rationis, quo per lumen nobis a Deo, tanquam Authore naturae, inditum, & ab aeterna eius lege derivatum, cognoscimus ea esse facienda, quae recta sunt, & iusta, & e contra vitanda esse, quae à iustitia, & rectitudine deflectunt. Alia est positiva, & est ordinatio ad commune bonum, literis consignata, & hominibus ad observandum data. Estque duplex, Divina, & Humana: Divina est illa, quae lata est à Deo, tradente humano generi modum, quo possint homines pervenire ad caelestem beatitudinem. Haec subdividitur, ut alia sit veteris testamenti, quae Christo resurgente, cessavit; & alia novi testamenti, sed Evangelica, quam Christus tulit, & observari mandavit.

3. Humana est, regula quadam praescripta ab homine habente publicam auctoritatem, & à Deo potestatem gubernandi homines, praescribens subditis aliquid faciendum, vel prohibens aliud, lex promulgatur, & statuitur, ut loquitur Greg. IX. in proemio decretalium, ut genus humanum honestè vivat, alterum non laedat, jus suum unicuique tribuat, & humana coerceatur audacia, ac tuta sit inter improbos innocencia, ut ibi Glos. in ver. lex proditur.

4. Humana alia est Ecclesiastica, seu Canonica, & alia Saecularis, seu Civilis: Ecclesiastica est à potestate Ecclesiastica pro Ecclesiae regimine, & ad bonum supernaturale dirigit; Saecularis, seu Civilis à Magistratu, vel Principe Saeculari descendit, & versatur circa temporalia, externum Reipublicae statum, ejusque politicam felicitatem.

(L) 3

5. Item,

5. Item, alia est lex affirmativa, qua aliquid agendum præcipitur; & negativa altera, qua aliquid prohibetur agendum: inter quas hæc est differentia; quod illa certis tantum temporibus, ista, semper obligat: non enim semper actus fidei, spei, & charitatis, qui præcipiuntur, debent elici; semper tamen infidelitas, desperatio, odium Dei, quæ prohibentur, sunt omittere, juxta dicta cap. 1.

6. Quæritur, *An lex humana justa præcipiens obliget in conscientia?*

Resp. Affirmativè, tam de Ecclesiastica, quam Sæculari, seu Civili, nam omnes derivantur à Lege æterna Dei; ex illa enim regula legis æternæ obediendum est Superioribus legitimè præcipientibus vim suam obligandi originaliter ipsæ deducunt, unde dixit Apost. ad Rom. 13. *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt;* & infra: *subditi estote non solum propter iram, hoc est metu pœnarum, sed etiam propter conscientiam: hoc est: ne peccetis: & en obligatio in subditis ad obediendum Legislatoribus, cum damnatio non acquiratur, nisi propter mortale.* Reinffestuel jus can. in procemi. §. 1. num. 18.

7. Sed quæritur, *Quomodo cognoscendum, quando obliget sub mortali, vel sub veniali?*

Resp. Dignoscendum est: cum lex verbis præceptivis, præcipimus, mandamus, prohibemus, interdiciamus, teneantur, vel his æquivalentibus, exprimitur in materia gravi, quæ, vel sit talis in se, vel ratione finis, & in suo effectu, quatenus conducit ad bonum communitatis,

pacem, & disciplinam conservandam, &c.

8. Sed quæritur, *Quid dicendum sit de lege pœnali?*

Resp. Lex pœnalis duplex est: alia pure pœnalis, & alia pœnalis mixta: illa est, dum legislator non intendit ad culpam Theologicam, seu offensam Dei, in conscientia obligare, sed tantum ad pœnam: regulariter evenit, teste Engel. leg. jur. canon. lib. 1. tit. 2. §. 3. num. 41. circa actus, qui non contrariantur juri divino, aut naturali, nec Legislator aliquid prohibet, vel præcipit, neque verbis præceptivis utitur, sed solum pœnam statuit, *si hoc, vel illud fiat;* cujusmodi sunt plura Religiosorum statuta, quæ ad peccatum grave non obligant, sed tantum ad pœnam ob meliorem disciplinæ monasticæ conservationem, verbi grat. *ne Religiosi certo tempore loquantur, ne opus, quamvis honestum, sibi tamen certo tempore non concessum, faciant, &c.* Altera est, quando aliquid præcipitur, vel prohibetur sub culpa, adjecta pœna transgressoribus; quæ ex eodem Engel, ut plurimum accidit in delictis, quæ juri divino, aut naturali adversantur, ut homicidio, furto, fornicatione, &c. in qua proinde duplex est obligatio, una ad culpam, alia ad pœnam.

9. Hinc resolvitur, legem pure pœnalem ad culpam Theologicam non obligare, nec ejus transgressionem peccatum coram Deo inducere, nisi aliud Legislator exprimat: modò non accedat Legislatoris contemptus, aliorum scandalum, & perturbatio in Republica. Secus dicendum de lege pœnali mixta, seu

seu præcipiente, quæ juxta materia gravitatem sub culpa obligat; sub qua etiam obligaret, licet nulla pœna temporalis apponeretur; cui pœna temporalis adjicitur ad ejus obligationem confirmandam, Sanch. apud Illung. tr. 1. disp. 2. art. 2. §. 4. num. 76.

10. Quæritur. *An leges vectigalium, quæ à Principibus imponuntur, obligent in conscientia, & fraudantes vectigalia, vel Gabellas peccent mortaliter, & ad restitutionem teneantur.*

Resp. Affirmativè; nam leges vectigalium obligant in conscientia, & ad solvendum, & ad non solum restituendum, dum vectigalia julle exiguntur, ergo contra justitiam peccat, qui non solvit: pœna imposita aperit gravitatem obligationis; quæ est tutior sententia: Et juxta illud ad Rom. 13. reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, &c. vid. lib. 2. cap. 21.

11. Quæritur. *An Peregrini, & Advena teneantur legibus specialibus locorum, per quæ transeunt, si non ibidem intendant habitare?*

Resp. Affirmativè, ratio est, quia leges immediatè tangunt territorium legislatoris, & ibi existentes afficiunt, eosque obligant, sic ex Suarez, Navarro, Lezana, aliique. & Quilici qu. nn. miscell. à nu. 47. Est sententia tutior; aliàs Vagi, vel nullis legibus particularibus tenerentur, vel ubique extra locum domicilii, ab eis crimina committerentur impune, quod est contra rectam gubernationem.

12. Quæritur. *An Civis Mediolanensis, limina Apostolorum visitans, peccet, si Roma primis quatuor diebus Quadragesimæ non jejunes, sed carnes, & lacticiis a*

*respectivè comedat. Et, an Hispani peccet, si, dum per alias Regiones, Italiam, Germaniam, &c. peregrinatur, die Sabbati interiora animalium comedat?*

Resp. Quoad utrumque affirmativè, ratio est, quia consuetudo Mediolani vescendi carnibus, & lacticiis illis primis quatuor diebus, & in Hispania interioribus animalium diebus Sabbati, est privilegium locale, territorio affixum, quo proinde præfati frui non possunt, dum absentes sunt: similes consuetudines à jure communi exorbitant, ergo non debent facilè extendi, juxta regul. 28. jur. in 6. quæ à jure, &c. sed potius tamquam odiosè restringi, Layman. lib. 1. tractat. 4. cap. 12. num. 4.

13. Quæritur. *An Peregrini teneantur legibus particularibus sua Patriæ dum sunt absentes?*

Resp. Negativè, ratio est, quia statuta particularia, etiam respectu subditorum, non extenduntur extra territorium statuentis cap. ut animarum de const. in 6. ideò non peccabit, qui festum, aut jejunium in sua Patria ab Episcopo statutum, alibi non servat, ubi festum, aut jejunium secundum legem communem Ecclesiæ, non est.

14. Quæritur. *An Peregrinus Mediolani, ubi primis quatuor diebus Quadragesimæ non jejunatur, possit non jejunare?*

Resp. Affirmativè, cum Layman. cap. 11. num. 5. Engel. à num. 34. & Quilici qu. 48. ratio est, quia illa consuetudo est veluti privilegium locale, quo frui possunt, etiam Advena, & Peregrini, quandiu in tali loco morantur, modò in fraudem non accesserint, quia fraus, & dolus nemini patto-



patrocinator. Cap. sedes, cap. ex ienore de rescript.

15. *Quæritur. An discedens à loco, ubi lex jejunii non servatur, possit ibi, anteq. discedat, carnibus vesci; quamvis eodem die perventurus sit ad proprium territorium, ubi jejunium obligat?*

Resp. Affirmativè, quia potest sequi consuetudines loci, in quo reperitur, Sum. Leand. ver. *Abstinencia à carnibus num. 12.*

16. *Sed. An possit carnes manducare, dum vespere pervenerit ad proprium territorium?*

Resp. Negative, ratio est quia præceptum abstinendi à carnibus divisibiliter prohibet carnes comedere pro omnibus diei partibus, sic, ut, licet una diei parte, justa causa, abstinenciam à carnibus non teneas, tenearis alia diei parte abstinere, ubi præceptum obligat.

17. *Sed quid. An discedens à proprio domicilio, ubi carnes prohibentur, possit illas comedere, anteq. discedat, si perventurus sit vespere ad locum, ubi comeduntur.*

Resp. Negative; quia quilibet tenetur legibus loci, in quo est, quam diu in ipso est, Sum. Leandri.

18. *Quæritur. An, qui ex loco, ubi non servatur jejunium, se confert ad locum, ubi jejunium præcipitur, possit in eo repetitam refectioem sumere?*

Resp. In hoc attendenda est circumstantia majoris permanentiæ in uno, quam alio loco, & secundum eam à Confessario judicandum, Layman. cit. cap. 11. num. 7.

19. *Quæritur. An pueri, adeptoratio- nis usque, teneantur legibus Ecclesiasticis?*

Resp. Affirmativè, quia nec ex jure naturali, nec positivo constat, majores septennio (tunc enim communiter præsumitur adesse usus rationis) esse à lege positiva, quoad culpam, exemptos; pro tunc enim sunt capaces præcepti; hinc, cum lex, & mandatum generale sit observandum à tota communitate, etiam peccatos comprehendit: maximè, dum nullum certum tempus determinat, pro ut lex jejunii taxat annum vigesimum primum completum; aut materia, quæ præcipitur, non sit incongrua puerili ætati, specialem iudicii maturitatem, ac discretionem exigens, sicut susceptio Eucharistiæ, juxta dicenda lib. 2. cap. 33. tenentur itaque ad Missam diebus Festis, & in eis ab operibus servilibus abstinere; & diebus prohibitis carnes non comedere, & confiteci semel in anno, &c. De quo Layman. cap. 10.

CAPUT XXII.

Prop. XXIX. XXX. & XXXI. ab Alex. VII. &c.

*Excusati à lege jejunii.*

1. **P**ROP. 29. *In die jejunii, qui sumpsit modicum quid comedit, & si notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

PROP. 30. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.*

PROP. 31. *Excusantur absolutè à præcepto jejunii illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiam si iter neces-*

necessariam non sit, & etiam si iter unius diei conficiant.

Præfenti hoc cap. resolvendi dumtaxat sunt casus, occurrentes super causis excusantibus à lege jejunii; nam ceteri respicientes ipsius obligationem, & naturam sunt à Confessario videndi cap. 16. per totum, & cap. sequenti.

2. Quæritur. *Quinam excusentur ab obligatione jejunii?*

Resp. Omnes, qui annum vigesimum primum non compleverunt, seu non attingentes 22. ratio est, quia ante illud tempus sunt in statu augmenti, & idèd frequentiore, & abundantiore alimento indigent, sed monendi sunt, ut jejuniis, etiam in ea ætate constituti, se assuefaciant.

3. Sed dubitatur. *An excusentur illi quoque, qui ante vigesimum primum annum voverunt se jejunare certis hebdomada, vel anni diebus?*

Resp. Negative, sed jejunare debent, quia propria voluntate ad id se obligaverunt; sic Religiosi professi in nostro Ordine, qui ex lege Ecclesiastica ante completum 21. annum jejunare non tenentur, obligantur ex voto edito ad observanda jejunia Regulæ.

Et si objiciatur, quod votum jejunii obligat instar legis Ecclesiasticæ de jejuniis, & hæc non obligat minores 21. anno, ergo nec votum jejunii.

Resp. Verùm esse votum jejunii obligare instar præcepti Ecclesiastici, quantum ad formam, modum jejunandi, ac refectiois qualitatem, & numerum, sed non quantum ad personas, quarum quædam possunt ex voluntario voto teneri, non ex Ecclesiæ præcepto.

*Marthauci Cantela Confessi.*

4. Sed quid. *Si quis eorum dubitet, an annum 21. compleverit?*

Resp. Debet inquirere veritatem, ut dubium deponat, vel jejunare juxta regulam: *in dubiis tutior pars est eligenda;* eò quòd cum dubio operari non licet.

5. Deindè excusantur Senes, qui ob virium infirmitatem, & humoris, ac caloris defectum frequentiore cibo indigent; & quia, ut plurimum senectus anno ætatis sexagesimo accidit, præfati post annum sexagesimum à lege jejunii liberantur; modò robusti, & sani, ac validi non sunt, quia tunc non excusari tradit Tolet & apud Illung. tract. 4. disput. 1. artic. 3. §. 1. nu. 44. & De la Cruz 3. præcep. de jejun. artic. 4. num. 7. quia de iis revera ad finem exemptionis à lege jejunii non verificatur senectus.

Quamvis sexagenarii robusti, à lege Ecclesiastica jejunii liberarentur (quod non probo) liberi tamen non essent Religiosi sexagenarii, adhuc fortes, & sani, qui voluntario voto se toto tempore vitæ obligaverunt ad jejunia Regulæ.

Denique excusantur Infirmi Convalescentes, & Debiles, Prægnantes, Lactantes, Laborantes, quorum labor non est cum jejunio compatibilis, nec differri potest, & Pauperes, qui necessariis carent ad unicam sufficientem refectioem: vid. *Campion. parte 2. cap. 47. num. 12.*

6. Non excusantur Advocati, Procuratores, Scribæ, Sartores, Barbitonfores, Aromatarii, Pictores, nec Famuli sequentes dominum, (non valdè gravati laborioso officio domestico) & generaliter omnes, quorum labor cum jejunio est moraliter compossibilis.

(Aa)

7. Quæ-

6. *Quæritur. An Concionatores excusentur à lege jejunii?*

Resp. Negativè, si sermo sit de Concione, qui unam, vel alteram Concionem in hebdomada habet, ut DD. communiter apud Illung. *num. 46.* asserentes functiones Concionatorum, Confessariorum, & Magistrorum, per se loquendo nullam legis immunitatem conferre; nam labor unius, vel alterius Concionis per hebdomadam cum jejuniis optimè compatitur.

Si verò sermo sit de Concione, qui per totam Quadragesimam continuò prædicat, distinguendum cum Sylvestro *ver. jejun. quest. 9. num. 2.* aut Concionator ex officio, & obedientia Superioris prædicat, ejusque Concio propter imperitiam aliorum ad idem ministerium, est populo utilis, & necessaria, & tunc ab jejuniis excusatur, maximè, dum manifestata sua impotentia ad jejunandum Superiori, adhuc à Superiore ex rationabili, & justa causa ad prædicandum mittitur: jejunium enim alia opera pietatis, cum eo impossibilia, non impedit; aut voluntariè prædicat, & non missus; aut idèo missus, quia vult, & mitti quærit; aut sua prædicatio non est ita necessaria, quin alii sint, qui æquè benè, vel melius supplere possint, & tunc quia ministerium est voluntarium, non excusatur; idèo, si non jejunet, peccat, cum in fraudem jejunii se exponat ad prædicandum, reddens se impotentem ad præceptum Ecclesiæ servandum; quæ est opinio in praxi tutior, magis pia, & rationi consentanea? idem, proportionè servata, dicitur de Confessario, & Magistro.

8. *Quæritur. An dubitans utrum habeat justam causam jejunandi, teneatur jejunare?*

Resp. Affirmativè, nisi dubium deponat; nam possessio stat pro jejuniis, Boyvin; & in occasione dubia recurri debet ad Episcopum, vel Parochum, aut Confessarium.

9. *Quæritur. An fatigatus ex labore suscepto ob recreationem, ut ex ludo pila, excusetur ab jejuniis, & non jejunando peccet?*

Resp. Vel ille prævidit, aut prævidere debuit, ex impedimento à se voluntariè posito, se non posse jejunare, & tunc non jejunando peccat mortaliter in sua causa; vel non prævidit, nec expertus est ex illo impedimento sequi impotentiam jejunandi, & tunc non peccat peccat, nec in se, nec in sua causa. De la Cruz.

10. *Quæritur. An excusati à lege jejunii, consentantur etiam liberi ab abstinentia à carnibus?*

Resp. Negativè, (excipiuntur infirmi) nam aliud est præceptum jejunii & aliud prohibens carnes; & cum sint diversa, non potest de uno ad aliud discurre, quia à diversis non fit illatio per Sperellum *dec. 138. num. 73. vid. cap. 16. num. 6. & cap. prat. num. ult.*

11. *Quæritur. An Coqui Religiosorum peccent, parando Religiosis cibos sufficientes ad fructum actionem jejunii?*

Resp. Affirmativè, quia ex suo officio tenentur solum eos ministrare ad præscriptum Regule; & Superiori, secus præcipienti, obedire non tenentur: utpote res contra animam præcepti.

12. *Quæritur. An Campanis, & Tabernaculis...*

bernarii, vendentes, vel ministrantes cibos, teneantur interrogare hospites, an habeant causamj. s. am non jejunandi?

Resp. Negativè, sed debent præsumere quemlibet esse memorem suæ salutis, & obligationis, adeoque eos habere justam causam cœnandi, vel, quod alibi non se refecerint: semper præsumendum est benede proximo suo, nisi de opposito quis sit moraliter certus; ideò, si eis cibos ministrant, non cooperantur commestioni, quatenus est solutiva jejunii, quia sic procedit à mala voluntate non jejunantis, sed ei cooperantur, quatenus deserviens nutritioni naturali, & sustentationi necessariæ; vel, actui comedendi inserviunt, ut est actus hominis, non vitii.

13. Quæritur. An possint licitè apponere cibum, vel invitare eos ad cœnandum in suo hospitio, quos sciunt jejunium frasturos?

Resp. Negativè cum Boyvino de actibus hum. de jejun. apud quem dicuntur Caupones peccare, qui alteram refectio-nem apponunt illis, quos evidenter sciunt ad jejunium obligari: solum à peccato excusarentur, si rationabiliter timerent ex tali negatione sibi obyenturum notabile damnum, vel si prudenter crederent, quod negando, gravius Deum offenderent, evomendo blasphemias, & convicia: quæ sententia est in praxi tutior: si enim nullus reperiretur, qui ad frangendum jejunium paratis, cœnam apponeret, vellent, nollent, deberent jejunium servare.

Ex quibus possunt erui interrogationes, faciendæ à Confessariis Tabernariis. An cibo vetitos in die jejunii obligatis

ad jejunandum apposuerint? an scientes eos se refecisse in prandio, cœnam paraverint? an id effecerint in contemptum legis, & an cum scandalo, & maxime infidelium, &c.

## CAPUT XXIII.

Prop. XXXII. ab Alex. VII. Sc.  
Jejunium Quadragesimæ.

1. PROP. 32. Non est evidens, quòd consuetudo non comedendi ova, & lacticia in Quadragesimæ obliget.

Jejunio Quadragesimali communia videantur cap. præterito, & cap. 10.

2. Quæritur. An in Quadragesimæ interdicitur sic usus ovorum, & lacticiorum?

Resp. Affirmativè; prohibentur sub mortali, tum ab jure cap. Deniq. dist. 4. tum ex vi consuetudinis, quæ vim obligandi habet, ut ex decreto Alex. patet; & ideò, quamvis verba legis non essent præceptiva, adhuc tamen, quia consuetudo de his non comedendis, obligans est mortaliter peccat, qui tunc lacticiis utitur, vide D. Thom. 2. 2. quæst. 147. art. ult. ad 3.

3. Sed quæritur. An ovorum, & lacticiorum usus interdicitur sit, etiam in Dominicis, occurrentibus intra Quadragesimam.

Resp. Affirmativè, tum ex vi consuetudinis legitimè præscriptæ, tum ratione præcepti ex cit. cap. Deniq. in quo teste Bonac. præcipitur, etiam in Dominicis Quadragesimæ abstinentia à lacticiis, quamvis in illis non extet præceptum jejunandi, & dixit Fagnan. in 3. ad caput  
(Aa) 2 Expli.

Explicari, de observat. jejunii num. 46. cum Glof. ad allegat. cap. deniq. in ver. venia, & ver. consuetudine.

4. Sed quaeritur. An in illis Dominicis liceat jejunare?

Resp. Per se loquen. licet, cap. utinam dist. 76. quia jejunio colitur Deus, & dies Dominica in honorem Dei fuit instituta; per accidens autem illicitum esse potest, ut ratione scandalum sit, si quis aliis diebus hebdomadae se ingurgitet, & Dominicam ad jejunandum eligat; vel ratione finis mali, & superstitioni, vel contemptus religionis Catholicae. Ad vitandum errorem Manichaeorum, & Priscillianitarum (qui in contemptum Resurrectionis Christi, quasi vera non esset, jejunium die Dominico praecipiebant) Sacri Canonibus cap. ne quis jejunes dist. 3. de consecrat. & alibi, jejunium die Dominico interdixerunt, Layman. lib. 4. capit.

8. cap. 2. num. 9.

5. Quaeritur. An pueri capaces usus rationis, vel alii existentes infra 21. annum, ceterique, qui aliqua de causa excusantur ab jejunio possint tempore Quadragesima comedere lactinia?

Resp. Negative, vid. cap. praterito.

6. Quaeritur. An licentiam in Quadragesima ad comedenda lactinia, possit carnibus vesci?

Resp. Negative, nam facilius obtinetur dispensatio ab abstinentia à lactiniis, quam ab abstinentia à carnibus; ad quas obligatio, adhuc illa sublata, manet; & quia sunt praecpta divisibilia, & diversa; & quia ova, & lactinia minus sunt contra finem jejunii, quam caro, majorem habens virtutem nutriendi, & delestandi gulam.

7. Quaeritur. An Catholicis existens in Haeeticorum, & Turcarum locis possit licite in diebus Quadragesima carnis, & lactinia comedere?

Resp. Negative, si comestio illa, data opera, proponeretur ad cognoscendum, quis esset Catholicus, & quis infidelis, aut in contemptum Ecclesiae, vel ex ea sequeretur grave scandalum; bene verò, si non ad hunc finem proponeretur, & aliàs grave malum sibi ex non comestione immineret; verùm, si nil mali timeretur, & alii cibi non deessent, nec in secreto posset ea comedere, quia nullus excusatur ab observatione legis Ecclesiasticae, praecisè, quia est inter infideles, cum leges communes Ecclesiae sequantur non locum, sed personam.

8. Quaeritur. An licentiam ad carnes in Quadragesima possit extra conscientia illis uti in diebus Veneris, Sabbati, & quatuor temporum?

Resp. Negative, sed eget expressa licentia, specificante illos dies, cum specialis ratio sit pro illis diebus, quae in aliis non habetur; nam duplici titulo tenetur quis in eis à carnibus abstinere, & quia sunt dies Quadragesimae, & quia quatuor temporum, vel dies Veneris, & Sabbati; hinc major causa ad dispensandum est necessaria; unde consuetudo, & praxis obtinuit apud viros timoratae conscientiae, licentias ad comedendas carnes diebus prohibitis Quadragesimae ad praefatos non extendere.

9. Sed qu. ii. An possit ad minus in diebus Veneris, & Sabbati comedere ova, & lactinia?

Resp. Negative contra Peyrinum de subditio qu. 4. cap. 6. qu. 8. quod est iustius, & con-

& consuetudine receptum. Medicos instrue, ut ad concedendas licentias non procedant, nisi causis bene ponderatis, & videndo, an, quæ sufficiunt ad dispensandum, ut in aliis diebus caro, vel lacticia comedantur, sint ita graves, ut propterea possint facultatem extendere ad diem Veneris, & Sabbati: vide cap. 16. in fine decretum, editum de mandato Clem. XI.

10. Quæritur, an qui per totam Quadragesimam non jejunat, unicum, vel plura peccata committat?

Resp. Tot committit, quot diebus non jejunat, quia jejunium est onus singulis diebus annexum, vel cuiuscumque diei servitius; quare impotens jejunare, vel omittens uno die Quadragesimæ jejunium, potest, & debet alio die jejunare, in quo non sit impotens. Sylvester ver. jejun. q. 8. num. 4.

11. Sed dubitatur, an proponens in principio Quadragesimæ per totam Quadragesimam non jejunare, unum, vel plura peccata committat?

Resp. Tot committit, quot sunt dies, in quibus sit jejunandum; ratio est, quia actus ille tot æquivalet, quot haberet, qui quolibet die idem proponeret, estque in Confessione aperiendum.

12. Quæritur, an in principio Quadragesimæ habens expressam voluntatem comedendi singulis diebus carnes in parva quantitate, peccet mortaliter?

Resp. Leander q. 15. negat, sed solum venialiter dixit peccare, nam quælibet comestio est solum venialis, ergo & omnes, cum non uniantur inter se, quælibet enim transacto die, transit; sed tutius videtur mortaliter peccare, ratio-

ne pravæ intentionis; nam, etsi non quolibet die Quadragesimæ notabilem quantitatem comedat, intendit tamen in collectione dierum ad eam accedere. Comestiones, utique in effectu non conjunguntur, sed in affectu, & intentione comedendi moraliter uniri resolvas.

CAPUT XXIV.

Prop. XXXIII. ab Alex. VII. &c.  
Remissivè ad cap. 14.

I. PROP. 33. Restitutio fructus ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque elemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus suis Beneficii fecerit.

Vide ibi dicta. Et quia per Priorem gratuitam liberalitatem, vel elemosynarum elargitionem, posteriores fructus, omissioni horarum correspondentes Beneficiarius suos non facit, ideò hos adhuc, tamquam non suos, restituere tenetur; nec per eas prius factas à restitutionis debito excusatur; quemadmodum non liberatur, qui rem alienam detinet, qui debeat ipsam restituere proprio Domino, quamvis uberes prius elemosynas donaverit.

CAPUT XXV.

Prop. XXXIV. & XXXV. ab Alex. VII. &c.  
Hora Canonica.

I. PROP. 34. In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit precepto.

(Aa) 3

PROP.

PROP. 35. *Unico Officio potest quis satisfacere duplici precepto presens, & crastino.*

Hoc capite in examen veniunt, quæ tangunt obligationem recitandi horas canonicas, remisso alio ad *lib. 2. cap. 32. de causis excusantibus à debito legendi Breviarium.*

2. *Quæritur, quot persona sub culpa mortali teneantur ad horas Canonicas recitandas?*

Resp. I. Clerici omnes, majoribus ordinibus initiati, *cap. Presbyter, & cap. Dolentes de celebr. Missarum, & ibi DD.* etiam si sint excommunicati, suspensi, depositi, vel degradati, *Layman. lib. 4. tr. 1. cap. 4. num. 4.*

II. Clerici beneficiati, licet in minoribus constituti, vide dicta *cap. 14.*

III. Religiosi professi omnes, & singuli (exceptis Novitiis, & Laicis convertis) idque, vel ex vi Regula. ut Fratres Minores S. Francisci; vel, vi generalis consuetudinis, quæ per Layman. in omnibus Religionibus, Choro addictis, recepta est.

Ad horas recitandas tenetur Religiosus fugitivus, damnatus ad terrena, & Clericus à Religione expulsus (licet non esset in sacris) quia ex sua improbitate non debet commodum, vel levamen reportare, *Layman. cit. & ego ipse Offic. Cur. to. 2. c. 5. nu. 45.*

IV. Moniales Choristæ, seu ad Chorum deputatæ, ex antiqua, & recepta consuetudine, sub gravi obligatione Chori; in toto corpore Monasterii existente: sumitur ex *Clement. Gravi de celebrat. Missar. Dixit Roderico resolut. 24. num. 11. Pelizarius de Monial. cap. 6. nu.*

12. & apud ipsum Miranda. *De la Cruz cit. aliisque in d. cap. cit. vid. lib. 2. c. 32.*

3. *Quæritur, quando in presens obligatio incipiat?*

Resp. In Beneficiatis incipit à die pacifice possessionis beneficii; in Subdiaconis, & Professis à die, quo promoventur, vel professionem emittunt, sic, ut teneantur illa die recitare, vel omnes omnino horas, vel partem residuo die respondentem, quæ post promotionem, vel professionem solent juxta consuetudinem Ecclesie recitari. *Illung. tract. 5. disput. 1. quest. 1. artic. 1. in fine Gobat. tract. 5. casu 23. sect. 1. numero 161.*

4. *Quæritur, an recitans Divinum Officium cum distractione voluntaria satisfaciat precepto Ecclesie, quod est idem, ac querere, an precepto satisfaciatur, qui horas canonicas legit sine attentione interna?*

Resp. Sed notabis, attentionem esse actum intellectus cum advertentia ad id, quod ore profertur. Intentionem vero, actum voluntatis, quo quis vult, & proponit aliquid agere; quæ, teste *Suarez to. 2. de Relig. lib. 4. de hor. can. c. 26. num. 5.* debet præcedere, tamquam fundamentum attentionis.

5. Item attentionem aliam esse externam, internam aliam; externa est negatio, & exclusio actionum externarum, qua possunt internam devotionem, & attentionem impedire; Idem, si quis vellet, dum Officium recitat, v. g. confabulari, pingere, scribere, historias legere, negocia tractare, & similia facere, externam attentionem non haberet. Interna est interna mentis advertentia, seu applicatio ad divinum Officium.

6. Deu-

6. Deinde attentio interna triplex est ex D. Thom. 2.2. qu. 83. art. 13. in corpore *Superficialis, Literalis, & Spiritualis.*

7. *Superficialis* est ad materialia verba, ne quis in eis erret, confundendo, sincopando, seu mutilando, transponendo, omittendo, & integrè non profereendo.

8. *Literalis* est ad sensum literalem verborum, sic, ut quis mente veterum verborum sensum, & quid significant, percipiat; quam habere non possunt feminæ Choro addictæ, ignorantibus linguam latinam.

9. *Spiritualis* est; qua attenditur ad Deum, vel ad finem in oratione propositum, seu ad res divinas, passionem Christi contemplandam, &c. & sufficit ad satisfaciendum attentio ad unum, vel alterum Suarez, & Bonaccina: modo.

Quæsitio aliqui dixerunt internam attentionem ad horas canonicas recitandas non esse in præcepto, sed sufficere externam, ut scilicet, dum quis actu recitat, se non occupet in aliquo negotio externo incompatibili cum attentione interna, ut in scribendo, confabulando, pingendo, & simili.

Ex opposito Suarez, Layman, Bonacc. & apud eos alii plures cum Fagnano ad alleg. cap. *Dolentes*, negant internam attentionem ab Ecclesia non præcipi. Cum istis negatur eum satisfacere præcepto Ecclesiæ, qui dum recitat, voluntariè distrahitur, & hæc est sententia vera: nam, si non attendit internè, perinde se habet, ac si non recitaret, vel dormiendo legeret.

Totum colligitur ex alleg. cap. *Dolen-*

*tes*, nam ibi. 1. prohibetur in divinis Officiis intermisceri fabulas, commellationes, & alia exteriora, quæ devotionem impediunt, & consequenter præcipitur externa devotio, quantum ad compositionem, & humiliationem corporis II. præcipitur, ut divinum Officium celebretur *studiosè*, quantum ad pronuntiationem, distinctè scilicet, & sine sincopa. III. præcipitur, ut celebretur *devotè*, & ne hoc superflue dicatur apponi, intelligi debet de interna attentione: legas Glos. ad illud cap.

Et probatur ex Trid. cap. 12. sess. 24. de *ref.* omnes verò, &c. in Choro ad psallendum *instans, hymnis, & canticis, Dei nomen reverenter, distinctè, devotè, & laudare*: dicitur *reverenter*, quantum ad humiliationem, & compositionem corporis: *distinctè*, quantum ad oris pronuntiationem; & *devotè*, quantum ad mentis elevationem, & internam attentionem.

10. Quæritur, an attentio debeat esse *actualis, vel virtualis?*

Resp. Actualis non est necessaria, ut semper duret, sed sufficit virtualis, ut DD. communiter. Fagnan. cit. num. 49. dixit, præcipitur attentio in Officio, quantum ad substantiam actus, quia tenetur quis ad Officium accedere cum intentione *solvendi pensum, vel Deum colendi, seu Officium recitandi*, sed non præcipitur, ut hæc intentio, consequenter attentio actualis, semper duret, nam hoc est impossibile, propter evagationem humanæ mentis, sed præcipitur, ut maneat ad minus virtualiter, hoc est, in prosecutione recitationis inceptæ cum actuali attentione.

11. Pon-



11. Pondera, quod attentio triplex est, actualis una, & illa est, qua quis actu advertit ad id, quod operatur. Virtualis alia: & habetur, cum quis initio operis habuit attentionem actualem, postea tamen involuntarie distrahitur; quam nec expressè revocavit per contrarium actum, quo velit non recitare, nec tacite; quod fit, cum quis advertens se verba proferre sine actuali attentione, non revocat mentem ad ipsam. Et tertia habitualis, in eo existens qui ex habitu, vel usu aliquid facit, non advertens ad id, quod operatur, nec ad id faciendum, ex aliqua præcedenti advertentia à principio procedit: prima est optima, & consulenda: secunda sufficit: tertia ab omnibus reprobatur. Vid. lib. 3. ad prop. 28. divisionem, & intentionis naturam.

12. Quæritur, an, ut quis impleat præceptum de horis canonicis recitandis debeat de necessitate habere expressam intentionem satisfaciendi præcepto?

Resp. Negative, cum Suarez tom. 4. de relig. cap. 26. num. 6. Bonacc. de legib. disp. 1. qu. 1. Layman lib. 1. tr. 4. cap. 1. num. 9. ratio est, quia, licet lex præcipiat opus fieri, non tamen præcipit, ut fiat cum expressa intentione adimplendi præceptum; sic Ecclesia præcipit auditionem Missæ in die festo, sed non, ut habeatur expressa intentio satisfaciendi præcepto per auditionem; alioquin plures præceptum non impleant, quia plures habent intentionem audiendi, & attentè audiunt, quin habeant eam reflexam intentionem; sic dicendum de recitante Breviarium, in quo tamen reperitur intentio interpretativa satisfaciendi, quia ad

interrogationem responderet, se recitare, ut præcepto satisfaciatur. Hæc duo distinguas: intentio faciendi opus præceptum, & intentio per opus præceptum adimplendi præceptum, quæ sunt notanda, & diversa, & primum semper est necessarium, ut expressè præcedat.

13. Quæritur, an peccet mortaliter, qui omittit partem notabilem divini Officii?

Resp. Affirmativè, sic DD. communiter, ratio est, quia violans præceptum in re gravi peccat mortaliter, sed omittens partem notabilem divini Officii, violat præceptum in re gravi, pertinente ad virtutem Religionis, & colendum Deum.

14. Sed quæritur, quam dicenda sit quantitas notabilis, ex cujus voluntaria omissione quis mortaliter peccet?

Resp. DD. non conveniunt; quidam dixerunt unam integram horam esse quantitatem notabilem: sed hi, ex Rotario, nimis laxè loquuntur: quidam verò unum Psalmum, etiam minimum parvæ horæ: quorum sententia nimis dura videtur. Integer itaque Psalmus unius horæ parvæ, si sit longus, quantitas notabilis est: in matutino duo psalmi, non tamen ex longioribus, vel unicus longus, ut in matutino Dominicæ, *Cogitabor tibi, vel diligam te, Domine*. De la Cruz; vel, tres lectiones cum suis responsoriis, quia defectu hujus quantitatis moraliter censetur non salvari essentia totius. Omittens in Sabbato Sancto Vesperas mortaliter peccat: & omisso unius horæ integræ, etiam parvæ, iudicio prudentum notabilis reputatur. Sum-Leand. ver. hora canon. num. 27. Videndus

aus Gavant. *sect. 1. cap. 5. de hor. canonic.*  
*tit. 1. num. 4. Rotarius Theol. par. 3. cap. 8.*  
*sect. 2. num. 5. & Suarez cap. 25. num. 16.*

15. Sed quid, si quis in singulis horis modicum quid omittet, quod simul sumptum integraret quantitas notabilem?

Resp. Peccaret mortaliter, quia secundum se pars notabilis est, & respectu totius Officii pars notabilis deficeret, licet respectivè ad singulas horas defectus notabilis non reputaretur.

16. Quæritur, an obligatus ad Officium peccet mortaliter, si non recitet Officium B. M. V. Psalmos penitenciales, graduales, & Officium Defunctorum, quando eorum recitatio in Quadragesima à rubrica præscribitur?

Resp. Negativè, ratio est, quia illa sunt obligationes Chori, non Personæ, ut ex Rubricis Breviarii, suis locis videndis; hinc Choro adstrictus, si tunc non adsit, non tenetur sub lethali privatione recitare, ut habetur ex Bulla Pii V. appositæ in principio Breviarii; ex opposito tenetur ad Litanias in die S. Marci, & Rogationum, ac ad Officium Defunctorum in die commemorationis, si processioni non interfit, vel Choro, ratio est, quia sunt pars obligationis illius diei, ut colligitur ex rubrica eam exprimens verbis præceptivis, dicant, & non hortativis, monemus, vel facultativis, possunt. Gavant. *cit. cap. 16. num. 3. Suarez cap. 19. num. 9.*

17. Quæritur, an omittens integrum unius diei officium, unicum, vel plura numero peccata committat?

Resp. Tabiena, & Lessius alleg. à Bonac. *disp. 1. q. 5. p. 1. prop. 3. in 6.* affirmant *Matthæi Cautela Confess.*

tot numero peccata committit, quot sunt horæ omittit; ratio est, quia omittens singulas horas, omittit septem opera distincta. Bonac. *cit. prop. 3. num. 1.* apud quem plures, & Gavant. *ut. 1. cap. 5. num. 2.* dixerunt omittentem uno die totum officium, unum peccatum committere; ratio est, quia transgreditur unum præceptum, habens pro objecto totum officium, quod ex septem horis Canonicis, tamquam ex partibus, integratur: utraque sententia est probabilis, secunda videtur communior.

18. Verùm in utraque sententia id est certum, quod omittens totum officium unius diei, non satisfacit, si in Confessione dicat, peccavi graviter contra obligationem recitandi officium, sed oportet, ut exprimat se septem horas omisisse, quia ad minus gravius peccat, quam, si unicam omitteret.

19. Quæritur, an mortaliter peccet, & præceptum recitandi officium impleat, qui spontè, & advertenter horas canonicas permutat, recitando V. G. de Sancto, dum est recitandum de feria, vel de uno Sancto, cum recitandum est de alio, aut Dominica? quod est idem ac querere, an sit in præcepto servare formam Breviarii, ut applicatam ad tale tempus, vel diem? id est, an sit in præcepto in Adventu officium Adventus legere, & in Quadragesima, illud Quadragesima?

Resp. cum communi DD. apud alleg. Bonac. & Suarez *qu. 22. num. 17.* mutantem officium unius diei in officium alterius, mortaliter peccare, & præcepto non satisfacere, ratio est, quia non implet præceptum, quoad substantiam; nam, licet substantia præcepti in genere sit

(Bb)

sit

fit de septem horis in genere, substantia tamen præcepti in particulari, & in individuo, est de septem horis talibus, & quoad talem substantiam in individuo, hoc est, quod constet ex his psalmis, & ex his lectionibus ergo, si juxta distributionem, diei accomodatam, non recitetur, præceptum non impletur.

20. Sed quid, si quis involuntariè unum officium pro alio recitet?

Resp. debet, dum ad mutationem, vel errorem adverterit, priusquam sic elapsus dies, omnia supplere, alleg. Bonac. Suarez num. 15. & Layman. lib. 4. tract. 1. cap. 3. num. 5.

21. Quæritur, an recitans privatim cum socio, satisfaciat præcepto recitandi?

Resp. Affirmativè cum Bonac. Suarez sum. Leand. cit. num. 29. Gavant. cit. cap. 5. num. 3. nam est modus similis ei, quo in choro recitatur; qui autem in choro alternatim recitant, præceptum implent;

Nota alternatim recitantes debere clara voce officium dicere, ut quisque alium audiat, aliàs obligationi non satisfaciunt: nam sic recitantes suppleant audiendo, quod omittunt recitando.

22. Sed quæritur, an, qui ex officio, vel mandato Superioris occupantur in pulsandis organis, transferendis libris ex una ad aliam partem, vel in thure deferendo, teneantur eam partem recitare, quæ ab aliis tunc temporis persolvitur?

Resp. Affirmativè, quia non dicitur recitare divinum officium, qui verba divini officii non præfert, vel ad illa attentè non attendit.

23. Quæritur, an Beneficiatus attentè audiens in choro socios canentes suam

partem, & ipse, submissa voce suam partem recitans, satisfaciat obligationi recitandi horas Canonicas.

Resp. Affirmativè, ratio est, quia ipse suam partem revera recitat, & communicat in parte sociorum, qui ei suam partem communicant, dum alta voce psallunt; quamvis ipse submissè recitans non communicet suam partem ipsis.

Verùm non satisfaciunt debito servitio Chori, nec potest distributiones percipere; ratio est, quia, qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet: Canonicis, & Beneficiatis dantur redditus Ecclesiastici specialiter, ut Choro inserviant, sed, si non canant, non serviunt, nec implent officium suum; idè contra justitiam peccant, atque adèd ex genere suo mortaliter. Non conducitur operarius ad vineam, ut ibi assistat, sed, ut ibi laboret: nec Parocho datur Cura, ut sua Ecclesia sit præsens, sed, ut in ea ministret, & onera Parochialia exerceat.

24. Quæritur, an, ut impleatur præceptum, hora canonica sint voce recitanda, vel solum mente?

Resp. Sensibili voce recitari debent; quia obligatio est de oratione vocali. Considera, in cap. dolentes illud studisse: at sufficit, si te ipsum percipias; neque hoc requiritur, si sis Surdaster.

25. Quæritur, an mortaliter peccet, qui horas canonicas statutis horis non recitat, ut, si manè recitet vespertas, vel post vespertas differat matutinum, primam, tertiam, &c.

Resp. Negativè, ratio est, quia implet præceptum, quoad substantiam, modo intra eundem diem naturalem, qui est tempus pro toto officio determinatum, sed

## CAPUT XXVI.

*Prop. XXXVI. ab Alex. VII. &c.  
Privilegia Regularium.*

1. **PROP.** 36. *Regulares possunt in foro conscientia uti privilegiis suis, qua sunt expresse revocata per Conc. Trid.*

Præfatam propositionem docuerunt Henriquez, & Saachez apud Fagnan. in 1. decretal. ad caput ne imitatis de const. sub num. 335. Virginus Alviset, cit. ab Hsung. Theol. tract. 1. disp. 3. art. 10. num. 65. laboravit in stabilienda probabilitate propositionis sequentis: nullum privilegium Regularium est sufficienter revocatum, ad hoc, ut ab illo abstinere teneantur. Simile quid dixit Bruno Cassaign. Quorum doctrina, utpote à parte rei falsa, ad praxim non est deducenda; nec pro foro externo, in quo ex ipsius sequela multum pax læderetur, & inter Episcopos, & Religiosos non minora orirentur litigia; nec pro interno, & conscientia; nam, omisso, lites non posse tam de facili inter eos enasci, non est dubium ex ea fideles damnium spirituale reportaturos, quippe sæpè absolutionem à peccatis recipere ab iis, qui à locorum Ordinariis approbati non forent, & sic invalide. Hinc est evidens, privilegia Regularium à Trident. revocata, tam pro foro externo, quam interno revocari.

Quæ autem privilegia Trid. expresse revocaverit, enumerat alleg. De la Cruz num. 9. Hsung. num. 8. & ego ipse Offic. Cur. tom. 1. cap. 24. num. 8. legatur Trid.

(Bb) 2 &c

seu habile ad ipsum implendum, integrum officium recitet; si absque justa causa notabiliter tempus horarum invertat, venialiter peccat, Bonac. cit. q. 3. pun. 3. num. 4. & DD. communitet.

26. Quæritur, an recitans horas canonicas, dum Missam die festo audit, utriusque præcepto satisfaciat?

Resp. Affirmative, Bonaec. cit. pun. 2. num. 14. ratio est, quia recitatio, & auditio ad unum finem diriguntur, & attentio divini officii non est impossibilis cum auditione Missæ; id tamen sine justa, & rationabili causa non est consulendum, de quo lib. 5. cap. cit.

27. Quæritur, an sicut post vespertas diei, V. G. Dominica, potest recitari matutinum cum laudibus diei Luna, possint, etiam tunc, recitari ceteræ horæ?

Resp. Negative, & si quis recitet, teneatur sub mortali die Luna horas repetere, juxta generalem consuetudinem, praxim Ecclesiæ, & sensum DD. assentium privilegium potestativum, seu habilitativum ad recitandum matutinum diei sequentis, non extendi ad ceteras horas.

28. Quæritur, quomodo se gerere debeat Confessarius cum accusante se officium non recitasse?

Resp. interroget, an totum, vel partem omiserit? an teneatur, etiam ratione beneficii? & quatenus assermet, eum juxta quantitatem omissionis ad restitutionem fructuum beneficii obliget, quoties omiserit, & an fuerit causa, ut ceteri non recitarent, & quot fuerint, &c.

& praefertim *sess. 25. de regul. per 22. capitula.*

3. Jam prius Trid. ad pacem, & quietem conservandam inter Ecclesiam Praelatos, & Religiosos fuerunt privilegia Regularibus data, moderata à Leone X. *const. dum intra, edita in Concil. Lateranen.* Post Conc. verò, Greg. XIII. *const. incip. In tanta sub die 21. Martii 1573.* ad terminos juris veteris, & Conc. Trid. rediit dispositiones *Const. B. Pii V. in quibus plura Mendicantibus, & Religiosis Ordinibus privilegia dedit, etiam in Trid. revocata. Vide Quaranta Bullar. ver. privul. regular. & De la Cruz numer. 10.*

Post Greg. verò exemptorum privilegia, quoad animarum, & Monialium curam, Verbi divini predicationem, & Sacramentorum administrationem, restreperunt, & respectivè limitarunt *Greg. XV. const. infertabilis; & Clemen. X. const. Superna, legendis in Bullar. Cherub.*

4. Quæritur, quando censentur privilegia à Concilio expressè revocari?

Resp. Cum revocantur, adjecta clausula derogatoria, non obstantibus privilegiis, vel consuetudinibus: quam immemorabilibus, aut simili.

5. Sed quæritur, an per privilegiorum confirmationes, sine ulla exceptione, renoventur, instaurentur, & reviviscant, etiam à Trid. revocata?

Resp. Negativè, propter clausulam litteris adjectam: *modò Sacris Canonibus, & decretis Sacri Conc. Trident. non adversentur.*

6. Sed quid, si hac clausula non apponatur?

Resp. Nec tunc reviviscunt, quia privi-

legia, à quovis Concilio Generali revocata, in confirmatione privilegiorum semper excipiuntur tacitè, vel expressè: expressè, cum ea adjectur clausula: tacitè, cum Pontifices privilegia confirmant, sed non addunt se confirmare velle, etiam à Concilio revocata. Ideò observandum, quòd, cum expressè excipiunt privilegia revocata à Trid. intendunt significare, privilegia à Conc. revocata, non amplius tacitè, sed expressè excipiuntur. *circ. à num. 66.*

7. Sed quid, cum privilegia confirmantur, & innovantur hac clausula, non obstantibus quibuscumque Constitutionibus Apostolicis, Provincialibus, & Generalibus?

Resp. Nec tunc à Concilio revocata confirmantur; ratio est, quia particula *Generalibus*, non ponitur ad significandas constitutiones Conciliorum Generalium, sed Constitutiones à Summis Pontificibus, non pro solis particularibus Provinciis, sed pro tota Ecclesia editis: certè aliud est Constitutio Generalis, & aliud Constitutio facta à Conc. Generali: hæc posset, etiam esse pro unica Provincia.

8. Quæritur, an ad minus renoventur privilegia, qua sunt Concilio contraria, licet in eo non expressè revocata per clausulam derogatoriam non obstantibus, &c.

Resp. DD. cum Roderico *resolus. 116. num. 14.* inter decreta Trid. contraria privilegiis Regularium numerant, aliqua cum clausula derogatoria non obstantibus, & alia sine illa clausula; exemplum est in *sess. 23. cap. 8. de ref.* ubi duo definiuntur, unum absolute sine expressa derogatione privilegiorum, ut, quòd Sacri ordinis

lines statutis ab jure temporibus, & non extra tempora conferantur, nec apponitur clausula derogatoria; propterea plures docent adhuc post Trid. posse Regulares extra tempora ordinari; eo quia, quoad hoc, privilegia non sunt expressè revocata; iterum, ut unusquisque à proprio Episcopo ordinetur, cum expressa derogatione privilegiorum in contrarium: quo notato

Dicimus, neque ea innovari, quia, licet per clausulam derogatoriam, expressè non revocentur, tacite tamen revocantur per contrariam legem, & decretum à Trid. editum; consequenter decretis Trid. sunt contraria: quæ autem iisdem adversantur non intendunt Pontifices sub confirmatione comprehendere, ut ex dictis patet.

9. Propterea *off. Cur. Ecclesiast. cap. 35.* dixi Regulares non posse in vim privilegiorum, prius Trid. obtentorum, extra tempora ordinari. lege *ibid.*

10. Quæritur. *An in locis, in quibus non sunt receptæ Trid. vel Bullæ revocatoria, possint Regulares suis uti privilegiis, per præfata revocatis; & an per communicationem privilegiorum valeant iisdem gaudere Religiosi existentes, ubi Conc. & Bullæ vim habent?*

Resp. Negative, ratio est, quia ad valorem revocationis non exigitur consensus privilegiati, vel, quod revocatio ab eo acceptetur: nam privilegia ex mera voluntate Principis conceduntur, ergo ex eadem voluntate sine ordine ad acceptationem possunt in toto, vel in parte revocari. De la Cruz *cit. cap. v. dub. 3. num. 51.* Quare communiter asseritur: privilegia in vitis non solent dari,

benè verò ab eis auferri; idèò, tamen Trid. & Bullæ non sint ubique receptæ, nihilominus valet ubique revocatio privilegiorum in illis revocatorum; quia, ut directè, & immediatè tollatur usus privilegii, sat est, ut per publicationem hic Romæ, more consueto factam constet de voluntate Concilii, vel Pontificis, revocantis privilegia; quibus quisque illicitè utitur, statim a mortali revocationis acquirit. Tanta enim est efficacia clausulæ adjectæ *cap. 22. sess. 25. de regul. non obstantibus eorum omnium, & singulorum privilegii sub quibuscumque formulis verborum conceptis, &c.* ut, cum privilegiis directè concessis, privilegio etiam detoget communicationis. Layman. *lib. 1. tract. 4. cap. 23. in fine Ilung. cit. num. 64.*

11. In praxi itaque Confessarius Regularis advertat I, quod Sæcularium Confessiones audire non potest, nisi ab Ordinario loci approbetur. *Trid. sess. 23. cap. 15. de ref. Greg. XV. const. Inscrutabili, & Clem. X. const. Superna.*

II. Quòd approbatus pro Sæcularibus, Monialium Confessiones excipere non valet, sed eget speciali approbatione. *Greg. & Clem. ibid.*

III. Quòd approbatus pro uno Monasterio, non potest Monialium alterius Monasterii Confessiones audire. *ibidem Clem.*

IV. Quòd Confessarius extraordinarius Monialium, approbatus pro unica vice, iterùm est approbandus, *ibid. Clem.*

V. Quòd non potest absolvere à casibus, & censuris Episcopo reservatis sine licentia speciali Episcopi, *ibid. Clem.*

(Bb) 3

VI. Quod

VI. Quod non potest absolvere à censuris ab homine latis. Leo X. *Const. dum intra*, nec à contentis in Bulla *Cœna*, aliisque Constitutionibus Apostolicis.

Alia plura in præfatis constit. referuntur, & in alia Innoc. X. incip. *Cum sic ut*, edita die 14. Maji 1648. super controversiis vertentibus inter Episc. Angelopolitanum, & P.P. Societatis, ut in Bullar. *Cherub. & tom. offic. Cur. cap. 24. num. 22.*

## CAPUT XXVII.

Prop. XXXVII. ab Alex. VII. Sc.  
*Indulgentia, & jubileum.*

1. PROP. 37. *Indulgentia concessa Regularibus, & revocata à Paulo V. hodie sunt revalidata.*

Paulus V. revocavit omnes, & singulas Indulgentias directè, & principaliter personis regularibus, quarumcumque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, & Monialium, à suis Prædecessoribus concessas, adjecta clausula derogatoria omnium derogatoriarum, & privilegiorum. *Sub quarumcumque formula concessorum*, aliaque loco ipsarum est enlargitus, ut exprèsè *Const.*

2. Et quoniam quidam, inter quos Roderico *resolut. 77. num. 45.* existimant Indulgentias à præfato Paulo revocatas, revalidatas esse; propterea Alex. VII. enunciata proscrispsit prop. & post Alex. Innoc. XI. in decreto *de aprocriphis Indulgentiis*, incip. *Delata edito die 7. Martii 1678.* & publicato die 12. ejusdem mensis, & anni: *Sc. ac demum declarat omnes Indulgentias concessas ante Breve*

*Pauli V. incip. Romanus Pontifex, & editum die 23. Maji 1606 personis Regularibus, quarumcumque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, Sc. si fuerint deinde Romani Pontificis, auctoritate innovata, aut confirmata nullum esse roboris, & momenti.*

Hinc constat, per generalem confirmationem privilegiorum, Indultorum & gratiarum sine expressione, & speciali mentione Indulgentiarum, non innovari, nec confirmari Indulgentias revocatas; ratio est, quia juxta *reg. § 1. in § 6. in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter concessurus*, sub generali autem concessione privilegiorum, indultorum, & gratiarum non continetur concessio Indulgentiarum; nam Pontifices in Bullis, cum Indulgentias concedunt, eas proprio nomine, tamquam membrum à præfatis distinctum, exprimunt, ergo nec sub generali privilegiorum confirmatione venire debent, per Gobat. *tom. 2. de Indulgentiis, tract. 4. cap. 2. num. 22.* In similibus tenore rescripti, & mens Pontificis, non verò speculantium consequentiæ, & illationes attenduntur.

Quæ omnia adnotanda duxi, ut Confessarius dubiis super revalidatione Indulgentiarum excitationis respondeat, cui pro praxi aliqua Indulgentiarum, & Jubilei communia exhibeo.

3. Queritur. *Quid sit Indulgentia Resp. Est relaxatio, seu remissio pœnæ temporalis debita pro peccatis æternalibus, jam dimissis, facta à Præfate Ecclesie, existentibus in gratia, per applicationem Thesauri Ecclesiastici.*

Pro notitia notabis, quod pœna morientis

rientis in Republica sine hæredibus applicantur æratio publico, & Princeps, ut administrator, cum causa potest illa educere in subsidium reliquorum subditorum; ita in Ecclesia Christi satisfactiones Christi, B. M. V. ac illæ, quæ Sanctis ipsis superabundant, reponuntur in Theſauro Ecclesiæ, & Summus Pontifex, cuius curæ commissa sunt Claves, potest applicare cum causa satisfactiones illas aliis Christianis; & hæc sunt Indulgentiæ: sed pondera, principaliter Theſaurum Ecclesiæ constare ex satisfactionibus Christi. *Lege extravag. Unigenitus de pœnit. & remiss. int. comm.*

4. *Quæritur. Quinam sit effectus Indulgentiæ?*

*Resp.* Remissio pœnæ temporalis, de qua peccatis remissis. Ubi notandum, quod, condonato peccato, pœna æterna, quæ ipsi debebatur, commutatur in temporalem: duplex autem pœna temporalis debetur peccatis dimissis, una in foro Dei, luenda in Purgatorio, altera in foro Sacramentali, ex præcepto Confessoris subeunda in hoc mundo: utraque per Indulgentias remitti potest: in toto, si Indulgentia sit plenaria; & in parte, si plenaria non sit. *cap. Unigenit.*

5. Advertas, quod secundum Sacros Canones gravioribus criminibus olim pœnitentia imponebatur, unius, quinque, vel septem, aut decem annorum, pro ut referunt Canones pœnit. *ad finem decret. Gratiani.*

6. Item nota, quod, *quadragesima*, vel *quarantena* dicebatur pœnitentia, consistens in jejunio quadraginta dierum, quod communi modo fit, Gobat. *tom. 2. oper. moral. tract. 4. cap. 4. nu. 294.*

quæ quadragesima, cum acius jejunium, in pane nimirum, & aqua præscribatur, *carena* fuit dicta, hoc est, carentia aliorum ciborum per 40. dies. *Gloſ. ad cap. Accusasti de accusat. in verb. carena.*

Doctores resolvunt per Indulgentiam unius anni remitti tantam Purgatorii pœnam, quanta deleteretur per pœnitentiam unius anni, quæ imponeretur à Confessario, juxta Canonum pœnitentialium dispositionem; idem, proportionem servata, dicendum, dum conceditur Indulgentia v. g. unius quadragesimæ: nam per Marchant. ibidem significatur remissio tantæ pœnæ, quanta fuisset deleta, si quis 40. continuis diebus in jejuniis, aliisque laboriosis operibus pœnitentiam egisset.

7. *Sed. Quid significatur, cum conceditur Indulgentia mille annorum?*

*Resp.* Remitti tantam pœnam Purgatorii, quanta deleteretur per pœnitentiam mille annorum, si quis mille annis vivens, tot annis ad præscriptum Sacrorum Canonum pœnitentiam egisset.

8. *Quæritur, quid indicat. Illud vulgatum: Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.*

*Resp.* Indicat r. quod non valent plusquam sonent; idè, si centum dies dentur, non plus Indulgentia confert, quam centum dies; Cum in tenore Indulgentiæ additur *de pœnitentiis injunctis*, est sensus, voluntatem Prælati esse, per huiusmodi Indulgentiam tantam Pœnam Purgatorii remitti, quanta exiarietur per impletionem pœnitentiæ à Confessario impostæ, contra Gobat. *cit.* Nec est Indulgentia, sub ea verborum formula concessa, extendenda ad pœnitentias, et



iam injungendas; nam, si Papa id intendisset, expressisset. Dum in concessione non sit restricta, ut relaxentur poenitentia in iuncta, extenditur etiam ad non in iunctas, ut dixit de la Cruz; nam beneficium Principis, dum ab eo non limitatur, late est interpretandum, juxta cap. quia circa de privil.

9. Queritur. Quia significet clausula: Indulgentiam, & remissionem peccatorum concedimus?

Resp. Significat per Indulgentiam concedi remissionem peccatorum, quoad reatum poenae temporalis, non quoad reatum culpa; quia quoad hunc supponit peccata remissa; in alleg. extravag. Unigenitus sit mentio remissionis poenae temporalis pro peccatis debita: ideo peccatum ibi sumitur pro poena peccati, juxta illud 1. Machab. ut a peccatis solvantur; ut communiter DD. Ergo lucraturus Indulgentiam, & remissionem poenae peccatis remissis debita debet esse in statu gratiae, & per gratiam unitus aliis membris, quorum satisfactionibus solvit. In corpore naturali manus abscissa non participat aliorum membrorum influxum, ergo nec poena per Indulgentiam existenti in peccato remittitur: nam, qui inimicus est Dei, indignus est tali remissione, & favore. Propterea Pontifices dum Indulgentias concedunt, verè poenitentibus, & confessis elargiuntur, tex. expressus in alleg. extravag.

10. Queritur. An, qui lucratur Indulgentiam plenariam, sit liber ab implenda poenitentia sibi à Confessario imposta?

Resp. Affirmat Sum. Leand. ver. Indulg. num. 78. Gobat. tract. 3. 170. & se-

quen. loquendo de poenitentia vindicativa, punitiva, & satisfactiva, non verò de praeservativa, & medicinali ad futura evenda.

11. Sed contraria sententia in praxi sequenda est. Nam saepe incertum est, an Indulgentiam lucrati simus, vel saltem, an ita plenè, ut pro omni poena satisfecerimus; deinde, implenda est ad obediendum Confessario, & non privandum Sacramentum Poenitentiae sua parte integrali.

12. Queritur. In quo differant Indulgentia plenaria, & Jubileum?

Resp. In hoc, quod Jubileum ultra Indulgentiam plenariam, facultatem continet absolventi à reservatis, commutandi vota, & eligendi Confessarium, et Palao Gobat tract. 3. cap. 1. nu. 4. Item, quodlibet Jubileum est Indulgentia plenaria, sed non è contra; quia in quavis plenaria Indulgentia illa facultas non conceditur; ut in literis concessionis quisque videre potest. Quas debet Confessarius prius diligenter inspicere, ut videat, quid erga poenitentes sibi concedatur.

13. Queritur. An ad lucrandum Jubileum, vel Indulgentiam necessarium sit actualiter contritio?

Resp. Si Indulgentia sit concessa verè contritis, seu verè poenitentibus, & confessis, requiritur actualis mortalium Confessio Sacramentalis, nec sufficit sola contritio, quamvis perfecta; ratio est, quia verba sunt clara, à quibus in dubio recedendum non est; nam Indulgentia tantum valent, quantum sonant. Nota cum Confessione sufficere attritionem super naturalem.

14. Sed quid, si quis non habeat conscientiam peccati mortalis, & sit in statu gratiæ?

Resp. Tutiore sententia apud Nicol. Flof. ver. Jubil. num. 2. est opinio, affirmans, esse præmittendam Confessionem, utpotè magis congruens cum verbis Bullæ exigentis Confessionem absolutè, & non distinguens, an debeat esse mortali, an veniali. Sanchez, & Lezana apud Gobat. cap. 23. num. 158 & Sum. Leand. num. 58. Rationem affert Poncius disp. 46. qu. 15. conc. 5. quia Confessio, non obstante statu gratiæ, est bona, ergo æquè benè potest requiri, ac alia bona opera præscripta.

15. Advertendum Confessionem exigi interdum, ut opus injunctum: interdum, ut meram dispositionem: exigitur, ut opus injunctum, quando in formula Indulgentiæ ponitur expressè & specificè: Confessione præmissa: vel, verè penitentibus, & Confessis: nam tunc Pontifex vult eam absolutè, & secundum se esse faciendam: nec contritio sufficit; & licèt Gobat. cap. 24. tract. 3. num. 167. restringat ad solos existentes in mortali: tamen, cum Pontifex absolutè loquatur, absolutè intelligendus est, nec nos distinguere debemus, ubi ipse non distinguit. Propter eà Bonac. de Jubil. qu. 1. disp. 6. punct. 5. num. 6. dixit in praxi, eis etiam, esse consulendam Confessionem, ne quis se exponat periculo non lucrandi Indulgentiam; exigitur verò, ut dispositio, quando in Bulla non sit expressa Confessionis mentio, sed sit mentio solius Communionis, & tunc existens in mortali debet se per Confessionem disponere, ut dignè Eucharistiàm suscipiat, & Indulgentiam

Matthæucci Cautela Confess.

consequatur; nec sufficit contritio, si habeatur copia Confessoris. Layman. cap. 4. an. num. 6.

16. Queritur, An, qui, intra tempus ab Jubilæo præscriptum confitetur, sed ante hebdomadæ finem incidit in mortale, teneatur iterum confiteri?

Resp. Affirmativè, quia Pontifex intendit concedere Indulgentiam, verè contritis, & confessis: talis est praxis fidelium & via securior ad Indulgentiam lucrandam.

17. Queritur, An, quando in Jubilæo præscribuntur duæ hebdomadæ, qui in prima jejuna, visitat Ecclesiam, & tribuit elemosynam, in alia vero confitetur, & communicat, lucretur Jubilæum?

Resp. Negativè; duæ hebdomadæ assignantur, non, ut opera in eis dividantur, sed, ut duo tempora disjuncta, in commodum fidelium, ut, quibus prima hebdomada commodum non fuit Indulgentiam lucrari, lucretur in secunda. In praxi id teneas, & una, ac eadem hebdomada omnia opera præsta. Sum. Leand. num. 66.

18. Queritur, An necesse sit ad Indulgentiam lucranda, ut omnia opera præscripta fiant in statu gratiæ?

Resp. DD. requirunt, ut saltem ultimum opus, quo completo, Indulgentia acquiritur, fiat in gratia; ratio est, quia Indulgentia est relaxatio pænæ, pænâ autem non remittitur, nisi remissa culpa; securius tamen est, ut omnia in gratia fiant.

19. Queritur, An, si quis ex oblivione, ignorantia, vel impotentia, aut negligentiâ

(Cc)

*negligentia aliquod opus omittat; Indulgentiam obtineat?*

Resp. Negativè; ratio est, quia Indulgentia conceditur sub conditione implendi omnia opera præscripta, nisi à Confessario commutetur, non impleta autem conditione, non consequitur, quod sub conditione datur: conditionalis enim, nisi conditio verificetur, nil ponit in esse.

20. Sed queritur. *An ad lucrandum jubileum sufficiat opera præscripta per alium perficere?*

Resp. Negativè, loquendo de jejuniis, Oratione, Visitatione, Confessione, & Communione, quæ verè sunt actiones personales, ad quas electa est industria personæ, Layman & Bonaccin. facere enim, quòd alius jejundet, non est jejunare, Sum. Leandr. num. 38. Eleemosyna autem potest per famulum dari, quam si non conferret, Dominus committens Indulgentiam non lucraretur; quia revera pauperes eleemosynam non accipissent.

21. Queritur. *An qui loco Sabbati jejunat feria 5. lucratur jubileum?*

Resp. Negativè, quia opera perficienda sunt juxta formam præscriptam, sic, ut nullius sit propria authoritate opera præscripta mutare, etiam in melius; & omnia una, & eadem hebdomada impleri debent juxta d. nu. 17.

22. Queritur. *An, adolescens, qui annum 21. atatis non expleverit. Et ideo non obligatus ad jejunia Ecclesie, teneatur jejunare, si velit lucrari jubileum?*

Resp. Affirmativè, cum Layman, Gobat, Bonacc, nam hæc est voluntas Ponti-

ficis. Idem dicitur de senibus (non infirmis) & pauperibus ac Mechanicis, si labor sit cum jejuniis compatibilis, aliis Confessarius commutet in aliud opus.

23. Queritur. *An ad lucrandum jubileum sufficiat jejunium, ad quod alia obligatione voti, vel præcepti tenetur?*

Resp. Affirmativè, Layman. cap. 8. n. 13. Marchant. lect. 4. prop. 2. ratio determinatur ex utroque Pontificum, & praxi promulgandi Jubilei, etiam in Quadragesima, & in quatuor temporibus, in quibus jejunium est sub præcepto; & in quibus illo jejunio, quo impletur præceptum, facit Indulgentiam; nil enim prohibet, quin unico actu pluribus obligationibus satisfiat, modò natura talium obligationum id patiat, & intentio obligantis non repugnet.

24. Queritur. *An pro consequenda Indulgentia Jubilei, sit facienda eleemosyna?*

Resp. Affirmativè, si id in Bullis exprimitur; & advertendum, quòd si eleemosyna præscriberetur, pro cuiusque facultate, major eleemosyna esset faciendæ à divite, quàm ab egeno.

25. Sed quid dicendum de pauperibus, aliisque, qui non possunt eleemosynam dare.

Resp. Debet à Confessario ejus loco aliud opus imponi, v. g. oratio, vel visitatio loci pii, vel aliud opus misericordie; cui, ut plurimum, ad id facultas datur per adjectam clausulam: Confessarius, ex approbatione, possit iis qui opera injuncta prestare nequeunt, commutare in alia pietatis opera, vel in aliud tempus proximum prorogare.

26. Idem dicitur de Regularibus, & Monialibus, pro quibus debet Superior ex bonis communibus Monasterii elemosynam prescriptam dare (quod ego praticavi in Jubileo, promulgato à Clemente XI. occasione terremotus 1703.) Quod si Superior nollet pro subditis elemosynam largiri non possent isti aliquid de bonis Monasterii, in seio Superiore, in elemosynam dare; quidquid dixerit Diana, sed deberent commutationem petere. Idem dicas de uxoribus, & filiis familias.

27. Quæritur. *Quanam facultas commutatur Confessario approbato per Bullam Jubilei electo?*

Resp. Ea dependet ex dispositione Bullarum; & solet concedi potestas absolvendi à censuris, & peccatis reservatis: commutandi vota: commutandi opera prescripta, & prorogandi opera in aliud proximum tempus.

28. Quæritur. *An cum in Bulla datur facultas absolvendi à censuris, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, detur potestas absolvendi à casibus Bullæ Cæne, si istud non exprimat?*

Resp. Negativè Gobat. cap. 33. ratio est quia censuræ in Bulla Cæne continentur propter suam speciem rationem, gravitatem, & reservationem non censentur in generali concessione contineri, nisi exprimentur; de absolutione ab hæresi diximus. cap. 3. num. 7.

29. Quæritur. *Quot peccata committit & censuras incurrit, qui sine facultate absolvit à casibus Bullæ Cæne.*

Resp. Tot, quot personas absolvit, ita Quilibet Confes. *manud. qu. 2. art. 2. nu. 3.* Et, cum gult absolvi à censuris, debet

exprimere numerum personarum absolutarum, aliis, si unam nominet, aliis omissis, ab una liberatur, sed aliis adhuc ligabitur.

30. Quæritur. *An peccata reservata, in Confessione omissa ex oblivione, tempore Jubilei, possint transacto Jubileo, absolvi à quovis Confessario approbato ab Episcopo?*

Resp. Affirmativè; nisi Confessio fuerit invalida, quia tunc nec à Confessis directè, nec ab oblitis indirectè absolvi- tur, ergo sublata non est reservatio. De quare diximus cap. 8. num. 14.

31. Sed quid. *Si culpabiliter quis omitteret opera ad Jubileum lucrandum?*

Resp. Non possit, transacto Jubileo, absolvi à Confessario, non habente facultatem super reservata, ratio est, quia talis culpa videtur ipsum reddere indignum gratia Jubilei.

32. Sed. *Quid etiam, si Confessus est animo lucrandi Jubileum, & postea non facit opera ad lucrandum necessaria?*

Resp. Tunc etiam, transacto Jubileo, non potest à reservatis oblitis absolvi; nisi à prædito facultate, quia ex sua culpa, non debet committendum reportare; ergo, dato etiam fuisse reservationem sublata, adhuc est obligatus ad ea directè exponere apud habentem facultatem.

33. Quæritur. *An, qui omnia fecit ad lucrandum Jubileum, & oblitus est petere commutationem voti, possit, transacto Jubileo, illius commutationem exigere, à quovis Sacerdote approbato?*

Resp. Negativè cum Layman. num. 9. & Mar-

& Marchant. ratio est, quia nullum votum fuit Confessario detectum, & super nullo posita commutatio; propterea non potest dici, oblita esse indirectè commutata. Addo, propterea, Jubileo transacto, potest simplex Confessarius approbatus absolvere à reservatis, oblitis in Confessione, facta tempore Jubilei, quia pœnitens fuit ab illis indirectè absolutus, & sublata reservatio, sed nullum votum fuit commutatum ergo. Nota ex Bonaccina tempore Jubilei non posse extra Confessionem commutari, idque, ut tutius recipitur, etiam ex verbis *Bulle, & insuper vota, &c.*

34. *Quæritur. An, cum Bulla negat facultatem commutandi votum castitatis, intelligitur de voto castitatis emisso ad tempus, v.g. biennium?*

*Resp.* Negativè, nam per votum castitatis, quod, nec vi facultatis Jubilei commutari potest, intelligitur votum castitatis perfectæ, de cujus essentia est, quod sit perpetua, & solet describi, *est abstinentia in futurum ab omni voluntaria delectatione venerea, tam extra, quam intra conjugium, tam interna, quam externa.* DD. communiter *lib. 2. capit. 28. & lib. 3. capit. ult.*

35. Hinc virtute Jubilei potest Confessarius commutare votum non fornicandi, & non committendi peccatum mollietiei: quia nullum istorum est votum perfectæ castitatis, sed partis, contra, quæ non peccatur ineundo matrimonium.

36. Est commutabile votum non nubendi, quia non est votum totius castitatis, sed partis, cum per fornicationem non violetur, tamen contra castitatem fornicando delinquatur.

37. Item votum, quo conjuges voverent se numquam reddituros, vel petitoros debitum, quia non est promissa perfectæ castitas: nam contra votum non peccarent, si se voluntariè polluerent, vel adulterium committerent, licet aliis gravissimè peccarent.

38. Item, votum suscipiendi sacros ordines, quia id non est votum castitatis: nec ipsa castitas in se promittitur, sed tantum status, cui votum castitatis tacitè annexum est. *De la Cruz de voto, & Layman. Theol. moral. lib. 4. tract. 4. cap. 8. num. 8.*

39. Regula generalis est, quod quoties materia voti, deficit à materia integra voti castitatis, possit vigore Jubilei commutari, quia est votum partialis castitatis.

40. Sed quid. *Si quis diceret, voti me ad centum annos castitate servare?*

*Resp.* Non posset virtute Jubilei commutari, quia votum censetur perpetuum, cum vita hominis tanto tempore durare non præsumatur.

41. Sed. *An Bulla intelligenda sit, tam de voto simplici, quam solemniter castitatis?*

*Resp.* Affirmativè, quia utroque vovemus castitatem perfectam, licet uno cum solemnitate per emissionem professionis in aliqua Religione approbata, aut susceptionem Sacri Ordinis, & alio privatum sine tali solemnitate.

42. *Quæritur. An vigore Jubilei possit quis absolvi ab heresi, quæ non sit pure interna?*

*Resp.* Negativè. Nisi expressè, & nominatim facultas concedatur, juxta decretum Alexi. VII. quod refert infra cap.

34. nu. 29. Et resolutio intelligitur etiam de Apostasia à Fide, & Schismate includente hæresim.

An autem possint vigore Jubilei absolvi violatores Immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Greg. XIV. Cum aliis. Videndum supra cap. 8. nu. 34.

43. Sed queritur, an vigore Jubilei possit absolvi denunciatus excommunicatus, non satisfacta parte?

Resp. Negativè, propter clausulam, quæ in literis apponi solet: *Intendimus, &c. neque etiam, easdem presentes iis, qui à Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prelato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interditi, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum annorum hebdomadarum satisfecerint, aut eum partibus concordaverint, nullo modo suffragari posse, aut debere: per satisfactionem intelligitur restitutio honoris, famæ, honorum, &c. ob quorum læsionem fuit quis excommunicatus.*

44. Cæterùm, si pœnitens non potest satisfacere ante absolutionem, & absolutio ne queat diù differri, poterit Confessarius illam validè, & licitè impertiri, sed non nisi juxta dicta cap. 2. nu. 15.

45. Queritur, quomodo se gerere debeat Confessarius cum pœnitente, qui secunda hebdomada omnia opera fecit, sed die Dominico inadvertenter bibit, ut non possit communicare?

Resp. Potest communionem prorogare in aliud proximum tempus, aut commutare in aliud opus pium, quia revera adesset impedimentum communicandi: nisi in Bulla limitetur facultas.

46. Sed quid, si quis sua malicia nil 1. aut 2. hebdomada fecerit, & ultima Dominica dolens de sua negligentia, accedat ad lucrandum jubileum, & petat opera ommissa commutari, vel prorogari?

Resp. Potest Confessarius ea commutare: ratio est, quia tunc pœnitens est verè impotens ad ea faciendâ intra statutum tempus, nec spirat facultas in Confessario.

47. Queritur, quomodo se gerere debeat cum pœnitente, qui, omnibus reliquis peractis, venit ultimo Sabbato ad Confessionem, Confessarius autem putat probabiliter, quod, si eum absolvat, sit permansurus in occasione proxima peccandi?

Resp. Debet Confessionem, & Communionem prorogare per aliquas hebdomadas, prout ipse magis expediens judicaverit, ut ipsum eruat ab occasione peccandi, & postea illum absolvat ab omnibus, etiam reservatis. Idem dicitur, quando, ipso tempore Jubilei, non potest Confessio propter casus intricatos integrè absolvi, & absolutio ex causa justa differtur, Gobat. cit. nu. 114.

48. Sed queritur, à quibus, transacto jubileo, potest Confessarius eum absolvere?

Resp. Ab omnibus peccatis, censuris, & votis, à quibus poterat durante Jubileo DD. communiter apud cit. cap. 32. nu. 243. ratio est, quia, cepta causa apud Judicem delegatum, durat hujus potestas, donec finiatur judicium cap. *neni de officio legat.*

49. Sed dubitatur, an possit absolvi à peccatis, & censuris reservatis, quæ commisit, etiam post jubileum?

Resp. Negativè, ratio est, quia per

dilationem Confessionis, non acquirit Confessarius maiorem jurisdictionem, quam antea haberat, sed tempore Jubilei non poterat absolvere à censuris, & peccatis reservatis post Jubileum committendis; ergo neque ab admisis post illud. Gobat. cap. 74. num. 68.

50. Sed quaeritur, quid significet illa clausula: *Indulgentia potest applicari per modum suffragii pro animabus Purgatorii?*

Resp. Significat, aliter vivis, aliter mortuis Indulgentias à Pontifice concedi. Vivis conceduntur per modum iuridicæ absolutionis, quia Pontifex habet in illos jurisdictionem, ejusque iudicio sunt subiecti, & ideo potest eos absolvere à pœnis debitæ: animabus verò Purgatorii per modum suffragii, seu auxilii satisfactorii: nam Pontifex eas non absolvit à pœnis per modum iuridicæ absolutionis, quia, cum sint extra forum ipsius, in eas jurisdictionem non habet. Layman. cap. 7. num. 3. sed cum habeat jurisdictionem in Thesaurum Indulgentiarum, ipse de Thesaurò Ecclesiæ offert Deo portionem satisfactionis, ut à pœnis liberentur, quam Deus acceptat, easque liberat, & eis debitum pœnæ remittit, in totum, vel in partem juxta qualitatem Indulgentiæ concessæ.

Nota, quod lucrari Indulgentiam pro tali defuncto, vel ei Indulgentiam applicare, est, ipso designato, facere opera præscripta in Literis, quæ defunctus, si viveret, deberet facere, ut Indulgentiam lucraretur; quo posito, Pontifex autoritative offert Deo partem satisfactionis de Thesaurò, ut Deus ipsum à pœnis liberet. Gobat. tract. 4. de Indulg. p.

2. cap. 22. nu. 490. Bonac. de Indulg. disp. 7. qu. 1. punct. 7. Prop. 11. Marchant. De la Cruz, & alii.

51. Quaeritur, an Indulgentia pro defunctis concessa profuit eis infallibiliter?

Resp. Negat cum aliis Layman. cit. nu. 3. affirmat Gobat. cap. 22. num. 484 Marchant. Hort. past. 1. act. 5. de Indulg. lect. 5. prop. 2. & istis adhaeremus; deducitur ex Epistola Leonis X. à Card. Cajetanus de Indulg. in qua pari modo loquitur de Indulgentiis, rationabili causa, tam vivis, quam defunctis concessis; sed vivis datæ infallibiliter profunt, si opera præscripta impleantur, & causa sit proportionata, ergo, sic dicendum de datis pro defunctis, quibus certò, & infallibiliter profunt, vel aliqua ex parte, si sit Indulgentia non plenaria, vel integre, si sit plenaria, habeatque conditiones necessarias.

52. Sed dubitatur, an determinatè liberetur ea anima, pro qua celebratur in Altari privilegiato?

Resp. Affirmative, ita videtur significari in formula Indulgentiæ, quam pro defunctis solet Pontifex concedere Altaribus privilegiatis, ut ex Brevi Gregorii XIII. (quod ad manus habeo) quo concessit Indulgentiam Altari privilegiato hujus Ecclesiæ Sancti Bartholomæi, ubi: Greg. &c. auctoritate nobis à Vermino tradita concedimus, ut, quoties Missa defunctorum ad dictum Altare celebrabitur pro anima cujusque fidelis, qua Deo Charitate conjuncta migraverit ab hac luce, ipse de thesauro Ecclesiæ Indulgentiam consequatur: quatenus, D. N. Jesu Christi, & Beat. Virginis Mariæ, Beat. Apostolorum Petri, & Pauli,

Pauli, aliorumque Sanctorum omnium, meritis suffragantibus, à Purgatorii penis liberetur. Si illa sit beata, & suffragiis non egeat, applicabitur à Deo, cum ipse voluerit.

§ 3. Sed cur, si res ita se habet, solet sapius pro una, & eadem anima, vel Indulgentia plenaria applicari, vel pro ea in Altari privilegiato sacrificari?

Resp. Quia non constat, an, & quomodo prior Sacerdos applicaverit suam intentionem; nec scitur, an omnes conditiones impletae sint. Tum quia, sententia opposita est etiam probabilis. Vide Doctores.

Nota, quod celebrans in Altari privilegiato pro aliqua anima, non solum debet applicare indulgentiam, sed etiam, pro ea celebrare; ut indulgentiam suam habeat effectum. Ratio est, quia petens Missam in Altari privilegiato, utrumque petit: & Pontifex non concedit indulgentiam in tali Altari ad animam liberandam per modum suffragii, nisi mediante celebratione Missae. Quae autem Missa sit celebranda diximus c. 6. n. 20.

§ 4. Quæritur, an possit quis sapius Jubileum obtinere, si sapius perficiat opera præscripta?

Resp. Negativè, cum Filiucio, qui apud Gobat. tract. 3. num. 92. sic loquitur: hoc Mense Majo anno 1620. declaravit S. Cong. Concilii, tantum semel acquiri indulgentiam per Jubileum; & semel tantum à casibus quæpiam absolvi posse, quare huic declarationi standum est. Pondera in literis clausulam, alterius ex præfatis hebdomadis; unde, si, prima hebdomada omnia requisita perfecisti, & Jubileum obtinisti, non

potes iterum eo potiri secunda hebdomada, nec absolvi à reservatis, commissis post primam hebdomadam; ratio est, quia facultas absolvendi à reservatis conceditur per ordinem ad Jubileum obtinendum; Jubileum autem jam factum obtentum, & sortitum est effectum, & casus reservatus fuit admissus, obtento Jubileo; quod Confessarius virtute Jubilei electus debet notare.

§ 5. Idem dicitur de Indulgentia plenaria assuetudine diei determinata, ex decreto Innoc. XI. cit. supr. num. 2. ubi hæc sunt: semel autem dumtaxat in die plenariam Indulgentiam, in certis diebus Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud piis opus peragentibus, lucrifieri.

§ 6. Hinc constat Indulgentiam Portiunculæ, cum sit plenaria, non nisi, semel in die posse acquiri; nec aliud crederim posse colligi ex responso Sac. Congreg. Conc. quæ ad dubia, an toties, quoties, eadem die secunda Augusti, visitantes Ecclesias FF. Min. Indulgentiam lucrentur, die 17. Julii 1700. respondit, servandum esse solitum. Crederem tamen, semel pro se ipso acquiri, & semel pro animabus Purgatorii, quibus per modum suffragii potest applicari, Innoc. XI. cons. Alias Felice, record. 22. Januar. 1687.

§ 7. Cum Indulgentia Altaris privilegiati sit ea, quam Pontifex concedit pro liberandis defunctis fidelibus per modum suffragii mediante celebratione Missæ, & circa hujusmodi fuerint à S. Congr. C. quibusdam dubiis responsa reddita, maxime super numero missarum celebrandarum in Ecclesia, in qua est

AL



Altare privilegiatum, idèd hìc ea refero.  
Petebatur itaque

Primò: *An absentibus Religiosis, ex causa prædicationis, tempore Quadragesime, & Adventus, vel, quando occasione Festivitatum, vel funerum, aut similibus, à Superioribus ad celebrandum alibi transmittuntur, Indulgentia concessa, cum certo numero Missarum, qui ob dictas causas adimpleri non potest, prorsus cessent, vel pro eò tempore, quo dictus numerus Missarum non fuerit adimpletus, sint suspensa, vel potius remaneant in suo robore?*

Secundò; *An idem sit statuendum, deficiente præfixo numero Missarum, ob infirmitatem Sacerdotum, tam Regularium, quàm Secularium?*

Tertiò, *An pariter idem sit statuendum, deficiente prædicto numero Missarum, ob absentiam ab Ecclesiis Secularibus Canonicorum, & Sacerdotum per aliquot dies, & menses?*

Horum dubiorum resolutionem Summus Pontifex remisit Sacræ Congregationi Concilii, quæ anno 1701. 30. Julii respondit.

Ad primùm. *Quoad primam partem, pro tempore Adventus, & Quadragesime remanere suspensas, non autem in reliquis, dummodo raro contingat.*

Ad secundùm: *Non remanere suspensas.*

Ad tertium: *Provisum in primo.*

## CAPUT XXVIII.

Prop. XXXVIII. & XXXIX.  
ab Alex. VII. &c.

Dispositio Sacrificantis.

1. PROP. 38. *Mandatum Trid. factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate, cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.*

PROP. 39. *Illæ particula quamprimum intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.*

Est certum, solos Sacerdotes posse sacrificare; verùm, ut licitè sacrificium offerant, necesse est, ut immunes sint ab omni culpa mortali; sicut enim Confessio Sacramentalis, est Communioni præmittenda ab iis, qui peccati mortalis se eos agnoscant, quævis sibi contriti videantur, ita à fortiori debet à Sacerdotibus celebrationi præmitti, si se mortaliter deliquisse cognoverint, ut expressè Trid. sess. 13. cap. 7. de Eurb.

Et quia plures negarunt Concilio esse præceptum, ut confiteatur quamprimum, qui, urgente necessitate, non habens copiam Confessoris, inconfessus celebrat, Alex. præfatas prop. damnavit; occasione quarum brevi calamo quosdam casus referam super dispositione, ex parte animæ requisita in Sacerdote Sacrificante.

2. Quæritur, an præceptum de præmittenda Confessione, Sacrificio, & Communioni sit divinum, an Ecclesiasticum.

Resp. Divinum, idque DD. colligunt ex textu Trid. loco cit. Ecclesiastica consuecundo

suetudo declarat probationem necessariam esse, &c. ut nullus sibi confusus mortalis peccati, quantumvis contritus videatur, absque praemissa Sacramentali Confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere debeat; ubi non refundit praecipuum in consuetudinem Ecclesiasticam, tamquam in causam, sed ex illa consuetudine arguit praecipuum, aliàs positum: nec aliud potius, quàm divinum: hinc gravatus mortali, priusquam celebret, per se tenetur confiteri; dicitur per se, quia per accidens, si copiam confessoris non habet, & debet de necessitate celebrare, poterit, praetermissa confessione, celebrare, praemissa tamen contritione perfecta, & cum onere quamprimum confitendi, ut ibid. Trid.

3. Quæritur, quando Sacerdos censeatur habere necessitatem celebrandi?

Resp. Cùm ei ex officio celebrare incumbit, ut Parocho, diebus festis, & Dominicis, si alium nequeat de facili substituere, & ex non celebratione aliquod grave scandalum, damnum, aut infamiae periculum, arbitrio prudentis viri, imminet.

4. Quæritur, quando ex necessitate celebrandi censeatur deesse copia Confessoris?

Resp. eùm nullus est praesens Sacerdos approbatus cum jurisdictione; item, eùm est praesens, sed non vult eum absolvere; item, eùm est tantùm distans, ut ad eum non possit accedere sine magna difficultate salutis, & incommodo honoris, & famæ: in quo consideranda est qualitas, & circumstantia itineris, personæ, & temporis: super quo nullus in iudicio sit laxus.

Matthæucci Cautela Confessi.

5. Quæritur, an, urgente necessitate celebrandi, Sacerdos, qui occulta excommunicatione reservata est ligatus, debeat confiteri, si Confessarius careat facultate absolvendi à prefata censura?

Resp. Affirmativè, Poncius Theol. disp. 45. qu. 14. num. 112. Bonac. de poenit. disp. 5. qu. 7. punc. 5. § 3. num. 8. ratio est, quia verè habet conscientiam peccati mortalis, ergo debet implere praecipuum de praemittenda Confessione celebrationi, & confiteri peccata illi Sacerdoti, ut ab eis, quibus est annexa censura, indirectam absolutionem, & ab aliis directam obtineat; cum onere postea presentandi se Superiori, ut directè à peccatis, & censura absolvatur, vide Champion. cap. 21. num. 3. instr. par. prima, & nos lib. 2. cap. 36.

6. Sed quæritur, an celebrando fiat irregularis?

Resp. Negativè, ratio est, quia, licet ligatus majori excommunicatione, suspensione ab Ordine, aut interdictione, etiam si occultus sit, & toleratus, irregularitatem incurrat, si actum Ordinis sacri exerceat, ut constat ex cap. cum æterni, de sent. & re iudicata, & cap. 15. cui de sen. excom. in 6., tamen DD apud Layman. de censur. lib. 1. tract. 1. par. 5. cap. 3. num. 4. & Bonac. ibid. disp. 7. quæst. 3. punc. 5. proposit. 1. num. 1. ad hanc irregularitatem exigunt, ut Clericus exercendo ministerium mortaliter peccet. Irregularitas enim ex delicto, cum gravis pœna sit, non nisi ob grave peccatum incurritur; propterea cap. Apostolica de Cleric. excom. ministran. excusatur, nec irregularis efficitur, qui celebrat, & inculpabiliter ignorat se esse excommunicatum,

(D d)

catum,

catum, vel suspensum, quia ratione ignorantie ministrando non peccat; idem propter ipsam rationem dicendum de celebrante, urgente necessitate, sive celebret confessus, sive tantum contritus, dum Confessoris copia deest; nam excommunicatus privatur celebratione, & sumptione Sacramentorum ex præcepto Ecclesie, quæ in eo casu non videtur obligare cum tanto incommodo, ibidem Bonac. disp. 4. punc. 6. qu. ult. num. 8.

7. *Queritur, quomodo intelligendum est illud, quamprimum à Concilio præceptum?*

Resp. Sic, ut valde citò Sacerdos, finita Missa, si opportunè, & sine notabili incommodo possit, quærat Confessarium, & confiteatur; hoc est *quamprimum confiteri*, juxta significatum illius apud Calvinum Lexicon. Ex quo notabis, quod valde citò non dicitur confiteri, qui non vult confiteri ad minus infra duos, vel tres dies. *Campion. par. 2. cap. 34. num. 5.*

8. *Queritur, an, qui celebrat, vel suscipit Eucharistiam, non præmissa Confessione, dum Confessoris copiam habet, unum, aut duplex peccatum mortale committat?*

Resp. Si præceptum Confessionis tunc temporis per se obliget, tria peccata committit, alterum omissionis ex non impleto præcepto Confessionis, & duo commissionis, unum per indignam Eucharistie sumptionem, & aliud per sacrilegam celebrationem; si verò per accidens, & in ordinem solum ad Communionem, & celebrationem, duo posteriora solum committit; ratio est, quia, ubi unum est propter aliud, unum mor-

tale est, ex Bonac. de Eucharistia, disp. 4. qu. 6. punc. 1. nu. 33. & cap. 1. num. 3.

9. *Sed quid, si celebret ligatus majori excommunicatione?*

Resp. Tria committit, unum contra reverentiam debitam Eucharistie, aliud contra excellentiam ministerii, & alterum contra obedientiam Ecclesie; quæ excommunicatos repellit à participatione Sacramentorum: obligationes sunt distinctæ rationis, idè circumstantia in Confessione exprimenda. Bonac. ibid.

10. *Queritur, an sit mortale celebrare Missam, matutino non recitatio?*

Resp. Negativè. Suarez to. 2. de Relig. lib. 4. cap. 24. num. 6 & Bonac. de hoc. canon. disp. 1. qu. 3. punc. 4. prop. 2. num. 11. Sum. Leand. ver. hoc. can. num. 44. ratio est, quia Matutinum nullam connexionem habet cum Missa, nec recitatio matutini est dispositio per se animæ requisita ad Missam; nec mutatio res gravis, magis quàm recitare Primam ante Matutinum, & tamen recitans Primam ante Matutinum mortaliter non peccat, ut ibid. Bonac. & Suarez; ergo, nec mortaliter peccat, qui ante Matutinum Missam celebrat. Verùm, si id faciat sine justa causa, peccat venialiter, & si ex contemptu, mortaliter.

Nec ex Rubrica colligitur præceptum, quia, vel Rubrica solum admonet, quid sit faciendum, vel non est recepta cum tanta obligatione, unde, sicut ibi Rubrica consulit ante Missam esse aliquantulum orandum: sic consulit Matutinum esse celebrationi præmittendum; ut optime Suarez ibid. nu. 7. affirmans sententiam oppositam esse valde communem, & melius practicè esse illam sequi, verum

erum nostram securam, & in rigore veram esse ait.

11. Nota, Sacerdotem celebrantem sine notitia Rubricarum peccare mortaliter, quia exponit se periculo errandi in materia gravi. Inter quas distinguas, alias esse directivas simul, & præceptivas, & alias purè directivas, & sub consilio; illæ sunt, quæ notant, & præscribunt aliquid, quòd aliàs ex jure divino, vel Ecclesiastico, aut legitima consuetudine sub gravi obligatione præcipitur: ut sunt, quæ disponunt de integritate Sacrificii: quòd sit consecrandum in panetrico (qui inter Latinos azymus esse debet) in vino de vite: quòd aqua est vino miscenda: quòd cum debita intentione est proferenda forma consecrationis: quòd à Sacerdote jejuno celebrandum est, tali hora, cum lumine, Ara consecrata, cum Ministro, Missali, Calice, Patena, Corporali, Palla: de Canone integrè, & secretò celebrando: aliisque, de quibus in Rubricis Missalis. Istitis se non conformare, nisi inculpabilis inadvertentia, vel in quibusdam parvitas materiæ excuset, semper est mortale. Secus de purè directivis, & sub consilio, quæ præscribunt esse orandum ante, vel post Missam, ordinem Orationum, &c. Verùm, & istas cum scandalo, vel contemptu negligere, vel eis non uti, animo inducendi novum ritum, est mortale. *Lege Trid. sess. 22. in decret. de observ. in celebrat. Miss.*

## CAPUT XXIX.

*Prop. XL. ab Alex. VII. &c.  
Oscula, & tactus impudici.*

1. **P**ROP. 40. *Est probabilis opinio, qua dicit esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, qua ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterius, & pollutionis.*

2. Distinguunt DD. cum Bonac. de matrimonio qu. 4 punct. 10. num. 4 & Gobat. de matrim. tract. 10. cas. 17. num. 672. duplicem delectationem percipi posse ex osculis, & tactibus; unam, quæ dimanat in partibus honestis, labiis, & genis ex mollitie, temperamento, & proportione partium, quæ tanguntur osculando; alia, quæ oritur in partibus generationi destinatis cum commotione carnis titillantis adveneream turpitudinem, quando oscula exercentur inter personas diversi, & aliquando ejusdem sexus.

Hinc difficultas oritur, an Alex. utramque delectationem in suo decreto comprehendit?

Resp. Affirmativè, utraque enim sensibilis est, & carnalis, cum in carne, & in sensu per osculum excitetur; immò utraque ad pollutionem disponit: secunda magis propinquè, & proximè, quam natura instituit, ut medium ordinatum ad generationem, & copulam; prima autem remotiùs, & tamquam disponens ad secundam, formaliter libidinofam, & veneream; & ideo utraque est peccatum mortale, *vid. lib. 2. cap. 30. nu. 5.*

(D d) 2

In

In examine eorum, quæ in hac re possunt occurrere, temperato calamo procedam, ne Lectores offendam, & species excitem incongruas: in re verez timendum periculum: natura satis est ad malum proclivis; consule DD. & vide, ne imprudenter interrogos penitentes, ne scandalum patiantur, & ex te peccare discant.

3. Quæritur, *an mortaliter peccet puella, qua se præbet conspiciendam adolescenti, a quo credit turpiter concupisci?*

Resp. Affirmativè, quando, data opera, ejus aspectui se offert absque necessitate, non ignorans illius turpem amorem, etiamsi ad finem nubendi; nam cooperatur alieno peccato; & peccat peccato, etiam scandalum præbens proximo occasione ruina spiritualis; secus, si aliqua necessitate, vel utilitate id agat, ne scilicet privetur libertate adeundi ad Ecclesiam, exeundi à domo ad invisendos vicinos, &c. tunc potius foret scandalum acceptum ex malitia Juvenis, quam datum à puella, utente suo jure. Sicut scandalum acceptum censetur, cum femina se ornantes juxta propriam conditionem, & morem Patriæ prævident fore, ut turpiter amentur ab aliis, modò hoc non faciant intentione provocandi eos ad libidinem, & modò forma vestimentorum non sit de se provocativa ad libidinem, ut V.G. quia nimis denudant pectus, vel, pudenda veste transparente cooperiunt; nam, ad hujusmodi vestitum inhonestum nullum habet jus honesta femina, & ex eo occasionem ruina spiritualis proximo præbet.

4. Sed quæritur, *an puella sine peccato*

*possit habere amatorem, & sinere se ab illo videri, & cum illo discurrere?*

Resp. Affirmant plures, quando id fit ad finem nubendi, ad quem possunt parentes concedere, maxime si sint paræ conditionis. Verum tutior est sententia opposita, ne in se, vel in parte permittat delectationes carnales de præfenti: difficile enim est, quod videns, quem diligis, & facialiter discurras, & non commovearis; propter periculum igitur, ne in se, vel amante delectationes, & impuræ cogitationes excitentur, amatorem sine peccato retinere non potest, & parentes permittendo peccant.

5. Quæritur, *an turpia loqui, & turpia canere sit peccatum mortale?*

Resp. Affirmativè, si id quis faciat animo excitandi se, vel alios ad turpia, vel cum periculo delectationis libidinosa circa objecta narrata; immò, etiam isto periculo remoto, potest mortale esse ex circumstantia scandalum audientium, ut, cum non sunt probatæ virtutis, & verba, aut cantiones sunt multum lascivæ, & inhonestæ: tunc est prudenter præsumendum scandalum inde suboriri.

6. Hinc sequitur, eum, qui exhibet turpes comædias, & inhonestas picturas facit, cantiones obscenas componit, mortaliter peccare: in similibus videtur semper esse connexa moralis certitudo præbendi proximo occasionem ruina spiritualis.

7. Quæritur, *an sponsi liciti sint tactus, oscula, & amplexus?*

Resp. Negativè; sub mortali eis vetiti sunt, ac si sponsi non essent; ideò cavendi: utpotè ad copulam conducen-  
tes: hæc est eis illicita, ergo etiam  
quid-

quidquid ad eam conducit. Unde peccant mortaliter parentes, vel tutores, & custodes sponsæ, qui eam solam relinquunt cum sponso propter periculum, ut inter se ad turpia procedant.

## CAPUT XXX.

Prop. XLI. ab Alex. VII. &c.  
Concubinatus.

1. PROP. 41. non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarium, vulgo regalo, dum deficiente illo, nimis agre ageret vitam, & alia epula radio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficile inveniretur.

Propositionem docuit Joannes Sancius in select. disp. 20. num. 20. apud Fagnan. in decretal. ad cap. ne inuitatis de const. à num. 336. contra quem, etiam ante Alex. decretum scripserit DD. ejusdem doctrinam vocante scandalosam, improbabilem, & indignam viro catholico; occasione cujus nos hic Confessario aliqua pro praxi de concubinato subnotamus; plura distuti lib. 2. cap. 38. agentes de occasione proxima peccandi.

2. Quæritur, quid sit concubinatus?

Resp. Est status, in quo quis cum certa aliqua femina, soluta, aut alteri maritali, sive intra, sive extra propriam domum assiduam libidinem exercet. Engel. colleg. jur. can. lib. 5. tit. 16. §. 3. num. 21. ad concubinatum igitur requiritur consuetudo peccandi, & cubandi cum aliena muliere. Barbosa. in Trid. ad sess. 25. cap. 14. de ref. Hinc concubinarius censetur

habens consuetudinem peccandi cum eadem femina.

3. Quæritur, quid sit concubina, & in quo à meretrice differat?

Resp. Concubina est femina, qua quis ex consuetudine abutitur ad luxuriam, arg. ex cap. si quis post. dist. 33. Sylvester sum. ver. concubinarius; vel, mulier semper disposita, & parata eidem viro circa copulam, & venerea obtemperare; meretrix autem est mulier, quæ multorum libidini est exposita, cap. vidua dist. 34. seu, cujus turpitudine publicè venalis est, ut ibi Glos. in ver. meretrix, & cap. meretrices 32. qu. 4. hinc differentia est: quod meretrix plures admittit, concubina autem ex consuetudine semper cum eodem carnaliter commiscetur.

4. Quæritur, an possit absolvi concubinarius, usque dum expellat, & relinquat concubinam?

Resp. Negativè, contra aliquos afferentes posse absolvi bis, ter, vel quater, modo habeat propositum relinquendi, & expellendi; quorum sententia est omnino improbabilis, & falsa, nam præceptum non retinendi concubinam, quam quis potest dimittere, est negativum, per hæc explicatum, ne retineas, sed præceptum negativum obligat semper, & pro semper, ergo, etiam pro tempore, quo facit examen conscientie, & confitetur, sed tunc non implet, ergo non implet, dum est implendum, ergo eo ipso tempore, quo conscientiam discutit, & confitetur, actualiter violat præceptum, & sacrilegè confitetur, ac invalide absolvitur propter defectum veri doloris, & propositi, quia, si istud haberet, dimitteret de præfenti, dum potest,

(D d) 3

test,

test, & in periculo proximo peccandi voluntariè non perseveraret.

5. Sed quæritur, an possit absolvi concubinaris, qui prima vice se accusavit de occasione proxima concubina, ignorans eam occasionem esse impedimentum absolutionis?

Resp. Filguera in exposit. prop. 61. ab Innoc. XI. damnatè affirmavit; sed, nec in hoc casu absolvendus est, donec expellat, ut optime Cardenas dissert. 40. cap. 5. a. 2. ad prop. 61. ab eodem Pontif. damnat. nu. 95. licet enim ignoraverit obligationem expellendi, tamen, cum à Confessario de ea monetur, instat præceptum negativum, ne retineas, quod obligat semper, & pro semper: nullus se liberat à periculo mortis corporis, per hoc, quod proponat fugere de futuro à periculo, quod imminet de præsentì, sed debet statim fugere, cum potest, ergo, nec à periculo mortis animæ; nec sufficit pro dispositione pœnitentis habere propositum de futuro, sed est necessaria voluntas non permanendi in periculo infringendi propositum: ergo, &c. Quid prodest homini, si, dum confitetur, auferat nummos à Confessario, quod habeat propositum non furandi in futuro?

6. Sed quid, si concubinaris paratus esset jurare: ego faciam, quod hactenus non feci: jurabo P. V. per Deum vivum me revera quamprimum illam dimissurum?

Resp. Gobat. tract. 7. casu 16. nu. 534. admittit juramentum, & idèò eum absolvetur, non tamen, si postea rediret, etiam reus perjurii. Choninch verò disp. 8. de pœnit. dub. 17. nu. 13. dixit, eos, qui vivunt in concubinato, non esse absol-

vendos, antequam de facto separentur; etiam si parati sint jurare, se in posterum castè victuros; quale juramentum Sacerdos nec exigere, nec admittere debet, sed jubere eos ante absolutionem separari; & id in praxi sequere.

7. Quæritur an possit absolvi concubinaris, qui concubinam non in propria Domo, sed in aliena, & propriis expensis eam alit, & tantum semel in mense ad ipsam accedit, & cum ea peccat?

Resp. Negativè, quia censetur non habere propositum abstinendi, alias eam non retineret, & sic indispositus est pro beneficio absolutionis; & verificatur, etiam si cum ea amplius non peccaret, modo scandalum præberet, vid. lib. 1. cap. 37.

8. Quæritur, an possit absolvi filius familias, qui in domo patris retinet concubinam, cum qua solet peccare, illam tamen expellere non potest, quia est servus patris?

Resp. In casu opus est magna prudentia in Confessario, ne absolutionem impendat indigno: idèò debet prius interrogare pœnitentem, an ipse possit operari, quod ancilla removeatur: & si affirmet, ante absolutionem debet id exequi: si neget, est interrogandus, an aliis aliis Confessariis super hoc confessus sit; & quatepus affirmet; videat, an impleverit, quæ ei fuerunt ab illis in juncta ad vitandum peccatum: si omisisse reperiat, sine absolutione dimittat, sed admonitus de periculoso statu suæ salutis, & quod tenetur ea implere, si absolutionem desideret; si impleverit, & à peccato abstinuit, absolvi potest; verùm credere multum proficere, si dirigeretur ad pro-

rem Confessarium, qui eum curare ince-  
pit.

Si respondeat se de illo numquam fuisse confessum, quia peccare cepit ab ultima Confessione, à tribus mensibus facta, interrogandus est, an, si illo mane non communicat, revera immineat periculum scandali: si affirmet, quia ad sunt parentes, qui volunt videre ipsi ad sacram Mensam accedere, tunc ad vitandum scandalum potest absolvi, imposito tamen onere, & per eum suscepto, implendi necessaria ad extenuandum periculum proximum, si asserat, scandalum ex omissione Communionis non suboriri, absolutionem differat, & ipsum admoneat, teneri suis actibus ad extenuandum, & superandum periculum proximum peccandi; & propterea ex parte sua debere adhibere omnem diligentiam, quæ ad id conducere potest: ut, non conversari, & loqui cum illa in ullo solitario loco, in quo haberet occasionem proximam tactuum illicitorum, & similibus: numquam hilari facie se illi præbere: frequenter Deum orare: actum contritionis elicere, sæpius confiteri, & alia, de quibus lib. 2. cap. 38.

9. Sed quid dicendum, si talis filius iterum relabatur in peccatum cum ancilla.

Resp. Videndum, an impleverit injuncta: si non impleverit, non absolvatur; & quamvis adducat sibi periculum scandali imminere, non est admittenda excusatio, & sibi id imputet; alias semper deberet absolvi, quia semper tale periculum affert, & sic numquam tolleretur occasio. Deinde consideretur, an lapsus potius ex fragilitate, & repentino casu

fuerit, quam ex voluntaria expositione periculo peccandi, & tunc posset in casu scandali absolvi, sed Confessarius deberet se difficilem ostendere ad absolutionem impendendam, eique significare nullum damnum æquiparari posse damno animæ, & nil magis infame, quam esse turpem coram Deo.

10. Sed, si iterum relabatur, videtur non absolvendus, quia spes emendationis non apparet.

11. Queritur, an absolvi possit concubinarius, qui in articulo mortis existens, non potest tunc concubinam expellere?

Resp. Bonac. nu. 13. affirmat, modo habeat firmum propositum eam ejiciendi, quam primum poterit; hac in re non est ita facilis, cum non videam, quid in tam periculoso statu possit impedire, & retardare, quin concubinam statim expellat; scandalum datum est certum, sicut ipsum periculum peccandi probabilissimum, si non copula, ad minus cogitatione, & desiderio: hæc tenetur vitare, ergo & ipsam expellere; legatur March. Hort. past. Candelabr. Myst. tract. 5. lect. 9. prop. 3. referens lacrymabilem concubinarium de hac luce exitum.

12. Sed quid, si infirmus adducat. Pater à viginti annis habitus in hac Parochia cum hac femina, quæ ex me hos duos filios concepit, & ab omnibus creditur mea Uxor legitima, ideò eam non possum expellere sine gravi, & notabili ejusdem, & mea infamia in loco; quid agendum?

Resp. In casu Confessarius debet eos matrimonio conjungere, modo sit Parochus, alias vocandus, vel ab eo, aut Episcopo licentia obtinenda est, ex Trid.

sess.



sess. 24. cap. 1. de ref. matrim. ita necessaria est presentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de ipsius, aut Episcopi licentia, ut, etiam si coram toto populo, ipso absente, contraheretur, nullum, & irritum foret, ut ibid. textus.

13. Etiam duo testes debent esse presentes, ex eodem Trid. ibid. ubi irritat contractum aliter celebratum, & matrimonium sine ipsis contractum, Clandestinum appellat, hoc est, clam, secreto, & furtive factum, quod expressè prohibet.

Sed quid: si, vel Parochus, vel testes non possent haberi?

Resp. Quamvis casus videatur Metaphysicus; dicendum, si infirmus serè affirmet, quod cum ea de presenti matrimonium celebraret, si prefati non deessent, & jurata promissione spondeat se id facturum statim ac haberi poterunt, ac proponat nunquam peccaturum cum ea, nec eam pro tunc ad suam presentiam admissurum, posset absolvi. In proposito casu debet Confessarius cavere, ne vocando testes frangat sigillum; ideò optimam esset petere à penitente licentiam vocandi eos. De auditis enim in Confessione loqui extra non licet, sed potest de expresso penitentis consensu in ipsius penitentis bonum. De la Cruz q. 6. de sigillo Quillici q. 10. ar. 1. nn. 5. & alii.

14. Sed quid, si dum Confessarius accedit, reperiat infirmum sensibus destitutum, ut non valeat ad interrogationes respondere nec Confessarius de ejusdem proposito certificari?

Resp. Vel adstantes testantur Confessarium petiisse, vel non, si primum absolutio non negetur, saltem sub conditione,

si es dispositus, quia supponi debet cum vero proposito non peccandi, & expellendi feminam Confessarium optasse: si de eo non possunt testari, nec nutibus, & signis ipse dolorem, & propositum confitendi ostendit, commendetur divinæ Misericordiæ. Vid. lib. 2. cap. 39.

15. Sed quid dicendum, si infirmus posset solum signa doloris ostendere, & femina, quæ ipsi ministraret, esset occulta ejus concubina, nota Confessario, ex hoc solum, quod dum scilicet domus ascenderet, id ab homine fide digno, & zelante salutem spiritualem infirmi, secreti servit?

Resp. In casu utique in praxi non impossibili, prudentia est utilis; ceterum esse admonendam mulierem de periculo damnationis æternæ, quod infirmo propter ipsam imminet, & proinde necessarium, ut à domo discedat; si acquiescit, jam aliquid in favorem absolutionis, Confessarius obtinuit; si verò pertinax resistat, acriter reprehendatur, & interim ab infirmo quarat signa doloris peccatorum; ipsum interroget, si peccandi occasionem cum ulla muliere habeat: an hæc mulier sit in sua domo? & dum stringendo manum affirmet, petat, an velit, ut ipsa à domo expellatur, quam ipse expelleret, si posset, nolitque amplius eam presentem habere, & doleat de peccatis commissis? & quatenus item affirmet dispositum putarem pro absolutione. Si femina non vult egredi, curet Confessarius, ne cubiculum intret, & ipse ministret, si alius non sit: neque hic utitur scientia Confessionis, quia id aliunde scit.

16. Quaritur. An possit absolvi puel-

la, qua parentibus orbata, & omni humana spe destituta, ne fame periret, mansit per aliquod tempus in honesto servitio Domini, postea vero cum eo concubinatum exercuit; deinde stimulis conscientie lacerata, accedit ad Confessarium, cui sic loquitur; Pater, à tribus annis sum concubina Domini mei, agnosco statum meæ damnationis, vellem ad illum gratiæ redire; verum, si à domo, & Domino discessero, certè fame peribo, nam consanguineos non habeo, laborare non valeo: si mendicem, sum in periculo lapsus cum multis, nam multi me insequuntur. Unde Confessarius agnoscens necessitatem moralem persistendi in ea domo, eam hortatur, eique precipit, ut in domo resstat luxuria Domini, & adhibeat remedia de quibus supra à n. 3. verum ipsi ipsa respondet; id mihi est impossibile, quia si resistam, de domo certè expellar, quo facto, præ fame peribo, & enarrata incommoda sequentur, &c. petitur, quid faciendum cum ea habente impossibilitatem moralem relinquendi occasionem proximam, & impossibilitatem moralem extenuandi periculum proximum, per propositum efficax non peccandi, &c.?

Resp. Non est absolvenda, & tenetur ad egrediendum de domo, etiam si fame sit peritura; nam homo tenetur peccatura mortale vitare etiam cum periculo vitæ.

Sed quid, si ipsa respondeat: promitto resistere libidini heri, sed prævideo certissimè, quod expellar, si resistero?

Resp. Non est absolvenda ante egressum; nam, cum, posita resistentia, prævideat expulsionem, & spontè nolit egredi, *Matthæucci Cantela Confess.*

est signum evidens, quod vult persistere in domo, & concubinatu.

17. Quæritur, an Confessarius possit absolvere meretricem, & concubinam, dum advertit ipsam nescire meretricium esse prohibitum, adeo ut propter ignorantiam excusetur à peccato?

Resp. Negative; quia verè peccavit cognoscendo carnaliter ad se accedentes; nec ignorantia excusatur, nam in re adeo clara lege naturæ, & divina prohibita, ignorantia non potest allegari.

18. Sed quæritur, an liceat locare domum meretrici?

Resp. Affirmativè, Quilici qu. 7. art. 4. num. 29. Joan. de la Cruz 6. præcept. art. 1. dub. 3. num. 7. quia locatio non est proxime ordinata ad fornicationem, sed indifferens; sed non cum intentione, ut in ea peccet, sed, ut ibi habitet. Verum, si domus, quæ locatur, ex se majorem præberet commoditatem peccandi, seu fornicandi, putà, quia plures habet portas secretas, vel esset in loco tuto, tunc non liceret eam meretrici locare.

19. Quæritur, super quo sint concubina, meretrices, & concubinarius interrogandi?

Resp. Vide supra cap. 10. num. 18.

### CAPUT XXXI.

*Prop. XLII. ab Alex. VII. Sc. Usura.*

1. **P**ROP. 42. Licitum est mutuantibus aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

Præsens caput occasione propositionis  
(Ee) Con-

Confessario exhibet quosdam casus ex principalioribus, quos solent DD. excitare tractantes de usuris, & quia hac de re fermo redibit *lib. 2. cap. 24.* de illis breviter.

2. Quæritur. *Quid sit usura?*

Resp. Est lucrum proveniens immediate ex mutuo, ratione mutui; seu, est contractus, quo ultra sortem, id est, summam capitalem, aliquid temporale pretio estimabile, tanquam debitum ex iustitia, vel gratitudine, aut benevolentia exigitur, aut speratur. Per lucrum intelligitur omne temporale pretio estimabile, sive sit pecunia, sive obsequium, sive munus, sive aliquod aliud. Per illud proveniens ex mutuo excluditur quodcumque lucrum, quod non sit ex mutuo; & ita injustum pretium, quo venditur aliquid plus iusto; quia, quantumvis lucrum sit injustum, tamen non est usura, cum non sit ex mutuo, sed ex iniqua venditione. Additur ratione mutui, ad excludendum lucrum, quod provenit ex alio titulo, ut in recompensationem damni certo emergentis, & lucri cessantis. Ponitur temporale, quia, si mutuans paciscatur cum mutuuario, ut, præter restitutionem pecunie, vel frumenti, vini, olei, &c. mutuati, proficere, sacrificet, conferat beneficium, vel quid simile, usura simul, & simonia dici debet. Ponc. *disput. 55. qu. 3. conc. 2. num. 9.*

Hinc usura reus est, qui ultra sortem mutuata à mutuuario recipendam, eidem aliam obligationem ex vi mutationis imponit, quæcumque illa sit, ex qua doctrina plures casus solvi possunt.

3. Quæritur. *Quotuplex sit usura?*

Resp. Multiplex, aperta, palliata, vel virtualis, realis, & mentalis. *Aperta est*, quando in mutuo expressè exigitur lucrum supra sortem, ut do. *ibi centum scuta, ut post annum reddas mihi centum, & quinque.* *Palliata est*, dum sub aliquo alio contractu emptionis, &c. veluti sub pallio occultatur contractus mutui, & aliquid ultra sortem exigitur: ut, cum quis vendit carius ob dilatam solutionem, & emit vilius ob solutionem anticipatam. *Realis est*, quando intercedit pactum explicitum, vel implicitum de lucro dando, vel recipiendo propter mutuū supra sortem: (& convenit cum usura, aperta, & manifesta.) *Pactum implicitum*, sufficienter intentionis usurariæ significativum, reputatur esse, dum mutuans solet pecunias, vel alias res mutuo dare, sed cum aliquo fructu semper ad se eas vult reverti; vel, cum quis scit pecuniam mutuo aliter obtinere non posse, nisi liberaliter donet aliquid mutuanti; tales donationes in effectu parum differunt à pactis propriè usurariis, quia lucrum ex mutuo, non voluntate libera datur, sed necessitate recipiendæ pecunie. *Mentalis est*, quando nullum pactum externum intercedit, sed mutuans eo animo dat ut lucrum ex mutuo recipiat, aliàs non daturus. Hinc, qui dat mutuo decem cum spe, quod mutuatus venturus sit ad emendandam suam officinam, usuram mentalem committit; cuius item reus est, qui mutuat decem cum spe, & proposito recipiendi ex eo lucrum, etiam si minus principaliter id speret; nam, non licet sperare, quod non licet accipere.

4. Quæritur. *An ratione lucri cessantis*

is, vel damni emergentis possit aliquid à mutuante supra sortem à mutuataris exigi?

Resp. Affirmativè, sic DD. communiter; ratio est, quia lucrum non provenit ex vi mutui, nec est fructus pecuniæ mutuatæ, sed ex alio titulo, ad compensandum nimirum, & satisfaciendum pro damno emergente, & lucro cessante.

4. Explico, de lucro cessante, quod est utilitas, quæ cessat ob mutuum: habet Mercator centum scuta, quæ revera vult negotiationi exponere, ex qua, deductis expensis, sperat lucrari 10. accedit Paulus, petit à Mercatore, ut sibi illa centum det mutuo; Mercator respondet se non posse, ne illo lucro privetur; instat Paulus: cui Mercator, dabo, modo, exacto anno, ultra sortem, des quoque decem, Paulus consentit, & idè tenetur ad centum, & decem. Quod si mutuans à principio nil in pactum deduxit, tamen si postea ex mutuatione damnum incurrat sine culpa mutuataris, nullam compensationem postulare potest.

5. Sed quid, si Mercator alias pecunias haberet præter eas, quas vult negotiationi exponere?

Resp. Si non decrevit eas servare in alios usus, non potest pacisci de lucro cessante, quia verè tunc lucrum non cessaret, cum posset alias lucro exponere. Joan. de la Cruz 7. præcept. qu. 5. de usura, licet oppositum dicat Layman. lib. 3. tract. 5. cap. 16. à num. 8. sed prima opinio est tutior, & ad palliatas usuras viam occludit.

6. Sed quaeritur, an ratione mutui liceat exigere totum lucrum cessans?

Resp. Negativè, sed debent deduci

expensæ, & pericula; ponderandum est, quod lucrum est in potentia, & in spe, lucrum autem in potentia minoris æstimatur, quam res in actu, & idè non debet accipi, quantum lucrum speratum valeret, sed debet aliquid detrahi ratione expensarum, incertitudinis, & periculi.

7. Sed quaeritur, an mutuans, qui convenit cum mutuataris de pretio lucri cessantis, possit, quod recepturus est, anno exacto, à principio recipere?

Resp. Negativè; si quis mutuaret centum pro decem, si statim illa decem acciperet, non centum, sed nonaginta solum daret, & existit solum lucrum cessaret, non verò ex illis.

8. Explico de damno emergente, quod est detrimentum, quod quis propter mutuum patitur in rebus, quas habet; habes pecuniam ad emendum vinum mense Octobris, si cogaris mense Maji carius emere, dicetis pati damnum in illo majori pretio: nunc, si Petrus mutuo vult eam pecuniam, & tu significes, te non posse eam dare, ne in Majo tale damnum cogaris pati, & ipse instet, ut accipiat, & in se onus compensandi damnum suscipiat, ad tale damnum, pecunia recepta, tenetur; nullus enim tenetur beneficium alteri præstare cum suo damno.

9. Verum, ut licitè, tam lucrum cessans, quam damnum emergens, à mutuante in pactum deducatur, tria sunt necessaria: 1. ut mutuum sit vera causa damni, 2. ut mutuataris moneatur de illo damno, alias non posset innotescere, an fecisset illum contractum cum conditione, adeò onerosa. 3. ut in sua potestate

state relinquatur ad talem contractum celebrandum.

10. Nota, dum mutuatarius est in mora restituendi ultra tempus præfixum, & potest restituere, tenetur ad damnum ex dilata solutione proveniens.

Notes item lucrum cessans esse de bonis acquirendis; & damnum emergens de bonis acquisitis.

11. Quæritur, an liceat mutuanti, accipienti pignus in assecurationem mutui, accipere fructus pignoris? quod est idem ac quære, an contractus, qui dicitur *Antichryseos*: descriptus, pactum inter creditorem, & debitorem, ut creditor tandem pignore sui, & eius fructus lucrari possit, usque dum pecunia, mutuo data, à debitore restituatur?

Resp. Contractus est usurarius, nec fructus pignoris possunt accipi, & si accipiantur, sunt computandi in sortem principalem cit. De la Cruz dub. 4. Engel. §. 2. num. 27. & DD. communiter; ratio est, quia in pignore non transfertur dominium pignoris in eum, qui pignus accipit, & ideo remanet in dominio ipsius mutuatarii, ergo ipsi fructificat; ergo mutuans eos fructus sibi applicare non potest, sed debet reddere mutuatario, vel computare in sortem, vel in partem solutionis debiti.

12. Sed quid, si pro pignore daretur vestis?

Resp. Non posset uti veste, quia usus vestis est pretio aestimabilis; immò cum vestis per usum atteratur, jam novum onus imponitur mutuatario; nam præter integrum mutuum suo tempore reddendum, pateretur damnum ex usu vestis; secus De La Cruz putat de pigno-

re, cuius usus solet gratis concedi, ut est liber. Verùm, & hic cautè procedatur, ne deducatur in pactum pro assecuratione mutui liber, quo mutuans egeat, quia sic certe onus imponeretur mutuatario ad tale pignus.

13. Sed quid, Marito à parentibus non datur dos pro alenda uxore, sed pignus fructiferum, an liceat ei fructibus uti?

Resp. Affirmativè, non computando eos in sortem cap. salubriter de usuris; ratio est, quia maritus tenetur alere uxorem ex dote, ergo, dum hæc non datur, potest ex fructibus pignoris illi provide- re; etiam si uxor, & maritus habeant alia, quo vivant, quia non ex hoc, sed ex dote debet vir uxori alimenta; verùm, si fructus pignoris excederent fructus dotis, non posset maritus excedentes accipere, sed solum adæquantes dotis fructus.

14. Sed quæritur, an in contractu mutui, liceat apponi hoc pactum: si mutuatarius, præfixo tempore, mutuum non reddat, pignus, quod est in manu mutuantis, intelligatur esse venditum ipsi mutuanti pro suo mutuo? quod solet vocari pactum legis commissoriae?

Resp. Negativè, ratio est, quia obligatio ad illam venditionem est pretio aestimabilis, & gravamen mutuatarii, præsumiturque fieri ad luerum creditoris, ergo non potest poni in contractu mutui sine usura. In pœnam autem moræ licitè apponi tradit Balleus; sed nec tunc admitterem, nisi in casu damni veri; & neque tunc, si notabilis detrimentum mutuatarius subire deberet; immò

immo pactum deberet esse, quod alteri vendatur pro pretio iusto, reddito excessu ipsi mutuatario, si quis sit, ut usurae suspicio evitaretur. Gonzalez in Bullar. titul.

15. Quæritur, an usurarius sit contractus, quo quis rustico mutuat pecuniam cum pacto, ut teneatur eam solvere tempore messis, in frumento, oleo, vino, &c. aliisque fructibus, pretio iusto, quo tunc fructus valebunt?

Resp. Affirmativè, quia additur gravamen rustico; nam mutuum pecuniæ exigit, ut reddatur pecunia, & tu obligas ad frumentum. Tamburinus.

16. Quæritur, an liceat aliquid, ultra sortem exigere pro periculo, & metu, que rationabiliter timentur in recuperando mutuo?

Resp. Negativè, videtur expressum cap. Naviganti de usur. ubi dicitur, usurarium esse, qui recipit aliud ultra sortem ex eo, quod suscipit in se periculum mutui; nam, cum periculum, & metus mutuantis non sint quid separatum à mutuo, gratis sunt præstanda cum mutuo, & inde nil debet sperari, ut observat ibid. Glof. in ver. periculum, & juxta illud Lucæ relatam cap. consuluit eodem tit. dare mutuum, nihil inde sperantes, vid. lib. & cap. eit. non nego posse mutuantem deducere in pactum expensas faciendas ad debitum recuperandum.

17. Quæritur, an sit usura vendere carius ob expectatam solutionem, aut emere vilius ob solutionem anticipatam?

Resp. Affirmativè, sic D. Thomas 2. 2. q. 75. artic. 2. ad 7. nam vendere rem, valentem centum, pro centum, & decem expectatis, idem est, ac mutuare

centum, pro centum, & decem solvendis; ubi illa expectatio pretii solvendis videtur mutuari pro decem; sic in solutione rei valentis centum, dando anticipatè nonaginta, illa anticipatio solutionis videtur mutuari pro decem, dum virtute ipsius diminuitur aliquod de iusto pretio rei emptæ.

18. Sed quid de mercatore, qui V. G. servat mille mensuras frumenti in Majum, quo plus valet, an in Octobri possit illas vendere pretio corrente in Majo?

Resp. Affirmativè, si verè erat illud frumentum servaturus usque ad Majum, verum debet de hoc emptor moneri, ut sic sciat, se esse causam moralem, ut modo frumentum in ejus commodum vendatur. De pretio tamen debent deduci expensæ faciendæ, pro conservando tritico, usque ad Majum, & pericula, si quæ verisimiliter timentur in ejus conservatione; deinde debet attendi pretium, quo in Majo frumentum æstimabitur, si usque tunc servaretur; nam certè, si mille mensuræ frumenti in Majo serventur, ex copia pretium possit viloscere.

Si non erat servaturus, videndum est, an dubium sit, quod in Majo possit plus, aut minus valere; tunc enim potest licitè vendi, ea lege, ut pretium solvatur secundum, quod valebit in Majo, quia uterque contrahentium æquali fortunæ se subdit, ut, quod plus, vel minus alter det, & alter recipiat; cum autem probabilius sit, quod plus valebit, eo pacto vendi prohibetur. Layman. num. 14.

19. Nota, usuram esse, si venditor sub prætextu lucris cessantis paciscatur, ut solvatur ipsi frumentum pretio summo,

quo valebit ab Octobri usque ad Majum, id enim videtur esse ad tutum lucrum venditoris, qui potuit non vendere frumentum pro eo pretio; vel, quia aliis prapeditus negociis, vel, quia expectans se majori pretio vendere, interim decrevit. Divisionem pretii habes lib. 2. cap. 23. num. 2.

20. Quæritur, an usurarius sit contractus, quo in Majo V. G. emitur frumentum, quod erit in Augusto consignandum pro pretio, quo in Augusto valebit?

Resp. Negative; nam ibi non datur mutuo pecunia, ut loco ipsius detur frumentum, sed solvitur in pretium frumenti, quod quis vendit consignandum suo tempore.

21. Quæritur, an liceat emere lanas anticipatè viliori pretio, quam quo aestimantur tempore traditionis?

Resp. Negative, aliàs liceret emere vilius ob solutionem anticipatam, quod supra negatum est; si igitur, anticipata solutione, lanæ vendantur, debent vendi eo pretio, quo valebunt tempore traditionis: nam tunc solum consummatur venditio, ergo justum pretium erit illud, quo aestimantur tempore, quo traduntur: valor enim rei aestimandus est juxta valorem, quæsi habet, quando traditur emptori. De la Cruz dub. 7.

22. Quæritur, an mutuare cum pacto, ut mutuarius tempore messis, vel vindemia vendat mutuanti triticum, vel vinum pretio tunc currenti, sit usura?

Resp. Affirmativè, & quia gravatur mutuarius, qui fortè tunc non esset venditurus; & quia, ut plurimum tunc segetes vili venduntur pretio.

23. Quæritur, an sit usura mutuare

hic Romæ vinum Albanum, cum pacto, ut tibi restituatur Luca; ubi equaliter valet, sed tu debes illuc transportare?

Resp. Affirmativè, quia imponitur mutuatario gravamen transportationis. Tamburino.

24. Quæritur, cur ex usu domus locata, & equi conducti potest aliquod lucrum accipi, & non ex usu pecunie mutuatæ?

Resp. Propter differentiam, quæ est inter mutuum, commodatum, & locatum, quæ communiter assignatur: Quod in mutuo transfertur dominium rei, quæ mutuatur in eum, cui mutuo datur; & idè mutuum dictum, quasi ex meo facio tuum; in commodato autem, & locato dominium non transfertur; & idè is, cui res datur mutuo, potest eam alienare, & consumere, quia est Dominus ejus, cum onere tamen restituendi tempore præfixo, aut cum potest rationabiliter repeti; is autem, cui Dominus locatur, vel equus accommodatur, nec unum, vel alterum alienare potest, quia Dominus non est, sed solum usufructarius.

25. Et hinc sequitur, quod cum mutuatans non sit Dominus pecunie mutuatæ, non possit aliquid pro ea recipere: cum autem locator, & accommodans sit Dominus rei locatæ, potest pro usu ipsius lucrum sumere ab eo, cui rem accommodat, & locat.

26. Item, Regulariter mutuum fit in eis, quæ usu consumuntur, ut pecunia, vino, oleo, frumento, & similibus: vinum enim consumimus eo utendo ad potum, triticum ad cibum, & pecuniam expendendo, ex D. Thoma cit. artic. 1. in corpore, idè materia mutui in illis rebus reperitur, quarum usus est earum consum-

sumptio; in quibus propterea res, & usus ejus seorsim non computantur, quasi essent separata, sed cui conceditur unum, conceditur aliud. Commodatum autem, & locatum fit in rebus immobilibus, & in rebus, quarum usus non est ipsa rei consumptio; sic usus domus est inhabitatio, non autem dissipatio, & uti equo, est ipso ad cursum uti, quod non est ipsum consumere; ideo in istis potest concedi usus, non concessio dominio, & pro usu aliquid iuste peti, sibi reservato dominio, ibid. S. Doctor.

27. Propterea DD. communiter resolvunt, recipientem pecuniam mutuo, & equum commodatum, si utroque a latrone spoliatur, teneri ad restitutionem pecuniae, non equi, quia res dominus perit; quod, si equus pereat culpa illius, cui commodatur, tenetur damnnum resarcire, sed vide lib. 2. cap. 23.

§ 24.

28. Item, mutuum debet restitui in eadem specie, ut oleum pro oleo, visum pro vino: in pecunia vero non attenditur ad speciem materialem, sed ad moralem; ideo, qui accipit mutuo decem nummos argenteos, satisfacit reddendo tantum in pecunia auri, quantum aequivaleret: nisi in pacto exprimitur, quod restitutio fiat in eadem specie Physica, ut de reddendo v. g. aurum hispanicum, pro auro hispanico; locatum autem, & commodatum idem numero redditur, ut idem equus, eadem domus, &c.

29. Quæritur, an usurarius teneatur ex iustitia restituere lucrum usurarium?

Resp. Affirmative, nam iustitia commutativa obligat ad dandum alteri, quod suum est, tale autem lucrum est mutuata-

rii, ex cuius voluntate mutuans non habet ejus dominium; nam ei ab illo non datur voluntarie, sed coacte, non potens aliud facere, si velit pecuniam, qua indiget; ipsi itaque, vel hæredibus, & in horum defectum, pauperibus, aut locis piis restituatur cap. Super de usur.

30. Sed quæritur, an teneatur restituere fructum, seu lucrum ex usura?

Resp. Affirmative, loquendo de lucro ex usura fructifera: ut optime D. Thomas est. ar. 3. in corpore; ubi, considerat, aliquas res esse, quarum usus est ipsarum consumptio, & quæ proinde non habent usum fructum, ut sunt ex dictis pecunia, vinum, &c. ideo, si fuerint per usuram extorta, non tenetur quis ad restituendum, nisi id, quod accepit, non vero fructus, quia tales non sunt fructus pecuniae, vel vini, sed industria, & personæ usurariæ, in quos, non vero in pecuniam usurariam dominium habet: aliquas vero esse, quarum usus non est earum consumptio, & talia habent usum fructum, ut est domus, ager, equus, &c. & ideo, si quis domum alterius per usuram extorsisset (quatenus noluit mutuo dare mille, nisi post annum reciperet ea, & domum) teneretur restituere non modo domum, verum etiam fructus inde perceptos, quia sunt fructus rei, cujus dominus est mutuarius, ideo ei debentur, nam res Domino fructificat.

31. Sed quid, si mutuarius ex sua negligentia eos fructus, quos usurarius percipit, non esset percepturus, quia agrum non coleret, domum non locaret, equum non commodaret, &c.

Resp. Etiam illos fructus, deductis expensis,



penſis, quæ fecit in cultura, debet uſurarius reſtituere, utpoſtè fructus rei, quæ eſt mutuatarii, nam res Domino fructificat. Tambur. *lib. 9. de contract. tr. 1. cap. 7. num. 12. & cap. 9. num. 1. Vide lib. 3. cap. 22.*

32. Sed quid, ſi uſura conſiſteret in tritico, quod ſeruaſti ad tempus, in quo pluris vendidiſti, ad quod a mutuatario non erat ſeruaandum?

Reſp. Debes reſtituere totum pretium, quo triticum tunc vendidiſti, demptis expenſis factis pro ejus conſervatione: ratio eſt, quia pretium eſt idem cum ipſa re, & ſic ejuſdem Domini.

33. Quæritur, an hæredes teneantur reſtituere uſuras defuncti, eis relictas?

Reſp. Affirmativè, ex bonis hæreditariis; ratio eſt, quia onera defuncti cum hæreditate deſcendunt ad hæredes, qui in locum defuncti ſuccedunt, & una eademque perſona reputantur; propterea, ad exonerationem conſcientiæ defuncti tenentur, pro viribus hæreditariis, ſatisfacere omnibus illis, quibus defunctus damnum intulit, licèt ex illo damno hæreditas aucta non ſit *cap. Parochiano de ſepult.* Si quis eorum rem ipſam in ſpecie apud ſe haberet, in ſolidum deberet eam reſtituere, nam hæc tota debetur Domino, & ſemper pro Domino clamat.

Adverte; ex bonis uſurarii, prius ſunt ſolvendæ uſuræ, deinde danda legitima hæredibus, & quod remanet, distribuendum inter legatarios, ſi uſurarius legata reliquit. Tambur. *cap. 5. §. 3. nu. 7.*

34. Sed quid, dicendum de uſurario, qui in ſtatum honorificum aſcendit propter lucrum uſurarium?

Reſp. Tenetur ad reſtitutionem, etiã

cùm diminutione ſtatus, injuſtè acquiſiti, quia hoc non eſt cadere, ſed redire ad ſuum. Vide *d. loc. cit. lib. 2.*

35. Quæritur, uſurarius ex pecunia uſuraria domos, vel prædia emit, petitur, an mutuatarius, vel ejus hæres, hæc, tamquam ſua, acquiſita mirum, propria pecunia, poſſit petere, ſicut potuiſſet ipſam pecuniam uſurariam?

Reſp. Si mutuans non habeat aliam pecuniam ad ſatisfaciendum debitori propter uſuras, debet talia bona vel in ſolutionem dare, vel vendere, & de pretio uſuras male acceptas compenſare *cap. Cum tu de uſur. & ex his ad dubium vid. cit. num. 30.*

36. Sed quid, ſi ager ab uſurario pecunia uſuraria emptus, tertio vendatur, vel donetur?

Reſp. Si venditio, & donatio agri fuerit facta in fraudem mutuatarii, quatenus uſurarius ſciebat ſe aliunde debitori, per uſuras læſo, ſatisfacere non poſſe, ager venditus revocabitur, ſecundum ea, quæ habentur toto *tit. ff. qua in fraud. credit. & poſſet mutuatarius agrum ab emptore repetere, & ipſe redere teneretur, res enim ſuccedit loco pretii, cap. Cum tu de uſur. ſi verò uſurarius poſſet ſolvere cum pretio agri, vel alterius rei, apud eumentem remanebit, Sylveſt. *ver. uſur. 6. nu. 11.**

37. Sed quæritur, an cùm uſurarius pecunia uſuraria emit agrum, poſſit venditor illas pecunias retinere?

Reſpond. Affirmativè, quia, eſt uſurarius non acquirit dominium ipſarum, non tenetur reſtituere eandem numero, & ideo ſat eſt, quod aliis ſatisfaciat;

faciat; quod si non habeat, revendet agrum pecunia usuraria emptum, & restituat.

38. Quæritur, an ministri usurarii teneantur restituere usuras, usurario non restituente?

Resp. Affirmativè, loquendo de Ministris ad usuras formaliter concurrentibus, ut sunt Fautores, Proxenetæ, seu Mediatores, & quærentes mutuatariorum usurario: Servi scribentes debita usuraria, maximè si non sit alia scriptura, qua mutuatarius solvere cogatur, quia talis scriptura excitat memoriam usurarii, & ut causa moralis concurrat ad exigendas usuras, & cogendum mutuatarium, ut juret, an ita se obligaverit. Idem dicitur de Judice, cogente solvere usuras, ac de Procuratore, Advocato, & Testibus, & de Notario palliante usuram in favorem usurarii; possunt tamen aliqui excusari, si invincibiliter ignorent aliquem contractum esse usurarium.

39. Quæritur, an pauperes recipientes eleemosynam ab usurario, teneantur eam restituere, si ipse ex eo fiat impositus ad restituendum usuras?

Resp. Affirmativè, quia quæ accipiunt, sunt mutuatarii; immò, si accipiunt in specie, quæ usurarius usura acquisivit, ut v. g. vestem, debent restituere, etiam si usurarius esset potens. Quia res pro Domino clamat. Sylvester cit. usura 8. nu. 13.

40. Quæritur, an peccet, qui mutuum accepit sub usura?

Resp. Negativè; si, qui dat mutuum, paratus sit ex sua malitia illud sub usuris dare, & petens indigeat, aliter non petiturus; nam nec complacet in peccato  
*Matthæi Cantela Confess.*

to alterius, aut inducit, vel peccatum approbat, sed solum ex justa, & rationabili causa, petit id, quod alter potest licitè dare, nimirum, mutuum.

Dices, non licet petere ab alio, quod non potest praestari sine peccato, sed mutuare sub usuris est peccatum, & intrinsicè malum, ut fornicatio, blasphemia, maleficium, &c. quæ, nec à paratis ad ea, peti possunt, ergo.

Resp. Quod mutuare sub usuris duo distincta dicit: alterum mutuae, & alterum sub usuris: primum est bonum, quod à mutuatario directè petitur, cui mutans ex sua malitia addit secundum, quod est malum, & à mutuatario non petitur, sed ad summum permittitur; immò sibi displicet, eam sentiat se gravari ex usura danda, quam non intendit, sed proprium commodum; aliàs peccaret etiam, qui, ne à latronibus occidatur, eisdem manifestat sua bona, quæ ipsi peccando surripiunt; quod falsum est ex D. Thoma cit. exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Ithael, *noli occidere nos, quia thesauros habemus in agro Jer. 41.* nam ibi petitur vita propria, quod non est illicitum, cui latrones ex sua malitia addunt peccatum furti; excusatur itaque mutuatarius à peccato, quia mutuum de se bonum est, & ipse non est causa usuræ, neque illas petit, sed permittit, ideò mutuamentum in peccatum non inducit. Suarez 10. 1. de relig. lib. 2. cap. 18. num. 4.

41. Et hinc patet discrimen à fornicatione: tota fornicatio est mala, nec ulla via honestatur ejus petitio, nec ab ea malitia est separabilis, ideò, qui eam petit, ipsum actum malum petit, & consequen-

(FF)

sequen-

sequenter peccat: idem dicitur de peccante à malefico parato maleficium, quia totum opus malum est à malitia inseparabile, & propterea qui tale opus petit, etiam à parato, ad totum opus, & malitiam ejus inducit. Suarez *cit.*

Quare ad discernendum, an aliquid ab alio peti possit, oportet videre, an, quod petitur, possit ab eo, à quo petitur absolute, sine peccato fieri. Cajetanus *ad cit. loc.* D. Thomæ.

42. Sed quid, si petat sine necessitate?

Resp. Peccat, quia nullum justum titulum petendi habet, nec vitat ruinam spirituales proximi, cum possit. Bonacc. *de contract. disp. 3. qu. 3. punct. 13. prop. 2. num. 3.*

43. Sed quid, si mutuatarius juramento promitteret usuras solvere?

Resp. Deberet juramentum implere ex *cap. debitores de jurejurando. Vide lib. 2. cap. 24.*

## CAPUT XXXII.

Prop. XLIII. ab Alex. VII. &c.  
Legatum.

1. PROP. 42. *Annum legatum pro anima relictum non durat plus, quam per decem annos.*

Cum mens testatoris, vel legantis sit executioni mandanda juxta proprietatem, & rigorem verborum, quibus ipsi vivunt in dispositione legati, debent attendi verba, & quatenus videantur ab eisdem fuisse absolute, indefinite, & absque ulla restrictione prolata, sic sunt accipienda, & non restringenda ad aliquod tempus determinatum, novem-

nium, vel decennium; quia certe alia verborum formula usi essent, si non perpetuum esse voluissent; propterea hæredes defuncti, supposito, quod acceptent hæreditatem, ab eo relictam, tenentur ad legata, modo ab ipso institutore disposita, nec fas est eis dispositionem alterare, vel minuire, ut DD. communiter; quod notasse sufficeret. Verum ne Confessario sim debitor, de legatis aliqua tangam.

2. Quæritur, quid sit legatum?

Resp. Est donatio *quædam à testatore relictâ ab hærede de bonis hæreditariis præstanda.* Sylvester *ver. legatum l. n. 1.* ubi scribit legatum communiter his verbis fieri, *lego, do, dare jubeo, volo, &c.*

3. Quæritur, quid sit legatum pium, vel ad pias causas?

Resp. Quod pietatem re ipsa continet: & est quicquid relinquitur pro Dei, & Sanctorum honore, pro salute animæ, pro miserabilibus personis, pro pupillis, viduis, peregrinis, pauperibus, Ecclesiis, & locis piis, ut, hospitalibus, Conventibus, pro ornamentis Ecclesiæ, maritandis puellis, &c.

4. Sed quæritur, an hæres, vel alienatores legatorum negligentes, aut longo tempore differentes implere pia legata, à defuncto relictâ pro anima sua, verbi gratia, quod annuatim centum Missæ celebrentur: quolibet anno pauperibus distribuantur decem mensura frumenti, &c. mortaliter peccent?

Resp. Affirmative, quia injustè inferunt defuncto damnum notabile, nam pro tempore, quo executio differtur, ejus anima privatur suffragiis, quibus, si non in totum, ad minus secundum partem,

partem, sublevaretur à pœnis Purgatorii. Ideò non debet executor multùm tardare exequi voluntatem defuncti, & siue iusta causa executionem differre; iusta autem causa differendi aliquandò, posset apud Layman *lib. 3. tract. 5. cap. 11.* esse, si sit spes vendendi res defuncti majori pretio, ut sic ampliores elemosynæ in subsidium animæ adhiberi possint; verùm id ex D. Thoma licet sit in mora solum modici temporis, in qua non videtur magnum periculum, vel detrimentum.

5. Quæritur, *Testator voluntatem suam expressit in scheda, manu sua scripta, quam Confessario tradidit, petitur, an heres teneatur, omnia scripta servare?*

Resp. Affirmativè, maximè pertinentia ad pias causas, in quibus non requiritur juris solemnitas, nimirum, quod fiat coram septem, vel quinque testibus; nam in extrema infirmitate, sufficit presentia Parochi, & duorum testium ex *cap. cum esset de testament. immò, cum aliundè constat de voluntate testatoris disponentis ad causam piam, vel ex indubitato ipsius manuscripto, vel signo, cum loqui non posset, vel, ex Confessione heredis, aut alterius fide digni, nec duo testes sunt in foro conscientie necessarii: ex cap. iudicante cir. tit. ubi propter Confessionem solius mariti iubetur tradi monasterio scutella aurea ab uxore nudis verbis legata.*

6. Sed quid, *si moriturus, qui capit facere testamentum, vel Codicillum, morte preventus, non absolvat?*

Resp. Debet exequi, quoad legata pia relicta, quæ in sua imperfecta dispositio-

ne iam expresserat; quoad ea enim ejus voluntas constans, & firma manet, ut pluribus citatis. Layman. ibid.

7. Quæritur, *Testator disponit, ut executores erigant hospitale in suo fundo, pro cuius dote legavit summam scutorum decem milium, executores volunt edificare Ecclesiam cum Monasterio Religiosorum, propterea accedunt ad Confessarium pro consilio, an possint nec ne; quomodo Confessarius se gerere debeat?*

Resp. Debet eos monere, ut pro facultate erigendi Monasterium loco hospitalis, ad Sedem Apostolicam pro rescripto, contrario dispositioni testatoris, recurrant, aliàs tenentur in conscientia, pro ut ipse voluit, eam exequi, quia voluntas defuncti pro Regula servanda est, *capit. tua de testam. Fagnan. cir. ad cap. Dolentes de stat. Monach. num. 46.*

8. Quæritur, *an Religiosus, cui Testator legavit annuam monetam portionem pro suo usu expendendam, possit eam portionem ad eum effectum percipere?*

Resp. Negativè, nam obstat *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 2.* statuens Personis Religiosis non licere bona mobilia, vel mobilia cujuscumque generis fuerint, *etc. tamquam propria, aut etiam nomine Conventus, possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur; annuus autem redditus inter stabilia computatur ex Clement. Exviii. cumque annui redditus, de verbor. signif.* Ideò legatum in effectu quoad Regularem non valet, alioquin esset proprie usufructuarius, & Dominus illius portionis, quia haberet jus utendi, & fruendi, quod repugnat præfata dispositioni, & voto paupertatis; ideò ex ejus

persona tale legatum acquiritur Monasterio: cap. *quarto de off. ord.* ut nec momento temporis maneat apud Religiosum, Fagnan. cit. ad cap. cum dilectus de success. ab intest. num. 20.

9. Sed quid, si Religioso relinquatur legatum sub hac conditione, ut non quaratur Monasterio?

Resp. Tale legatum continet impossibilitatem, & repugnantiam, nam Monachus non potest habere aliquid, sed totum est Monasterii ex alleg. cap. *Trid.* & vulgato dicto, ex cap. *exiit de verb. signif. in 6. quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio;* ideo ea conditio, tamquam turpis, debet haberi pro non adjecta, & heredes tenentur in conscientia legatum Monasterio solvere.

10. Queritur primò, an Fr. Min. de Obs. sint capaces legatorum annuorum, qua sunt, adjecto onere perpetuo Missarum, vel quorundam Officiorum?

1. Secundo, An sint capaces annui legati, facti ad favorem Infirmarie eorumdem pro necessitatibus infirmorum, pane, vino, medicamentis, & Lintheaminibus?

12. Tertio, An sint capaces legati annui, pro Oleo lampadis, qua debeat ardere in eorum Ecclesia?

13. Quarto, An sint capaces legati relictivi sine onere perpetuo, ut, si relinquatur ager, vel census ad fructuum, possidendum, aut locandum?

Resp. Ad primùm vide cap. 6. in fin. & hic iterum pondera, vel Fratres prætendunt ea legata, tamquam tibi debita in perpetuum, civiliter, seu vigore actionis ex testamento, vel juris ad ipsa, vel solum volunt recipere ea, seclusa omni obligatio-

ne, actioneque civili, per modum puræ, & simplicis elemosynæ, sibi sponte dandæ ab Heredibus, vel Executoribus testamenti, & præmissa prius per Guardianum, & Dilectos protestatione, sub signata sigillo Conventus, in ejusque libris registranda, & transmittenda ad ipsos Heredes, seu Exequutores, quod ipsi nullum jus habent in ea legata, vel ipsorum præstationes, & solutiones, juxta monitum D. Bonaventuræ, & disposita à Sac. Congr. proposita Consultationibus Frat. Min. de Obser. apud Fagn. in §. ad cap. nimirum prava nu. 55. de excess. Pralat. & me ipsum Offic. cur. cap. 10. tom. p. num. 7. ubi nu. 15. ejusdem formula datur.

In primo sensu Fratres prædicti sunt omnimò ipsorum Legatorum incapaces, utpotè inhabiles possidendi, vel habendi annuos redditus, qui altissima paupertati, quam profitentur, repugnant, & inter bona immobilia computantur juxta text. in Clement. ex vii, §. annuus annui redditus, de ver. signif. in quo sensu inter DD. recipitur, præfatos Fratres esse incapaces similibus legatorum, & in eo loquitur Sac. Congr. infra nu. 21. dist. 3. ad primum.

In secundo verò capaces sunt, quia ea non recipiunt, per modum annuæ, & certæ assignationis, revelantis eorum mendicitatem, & eximeris eos à debito vivendi ex dietim mendicatio, recurrendo ad mensam Domini, petendo elemosynam ostiatim, sed per modum manualis elemosynæ in stipendium celebrationis Missarum, eis spontè, & libere data ab eis, ad quos spectat legata implere, qua ratione ea recipere non est contra Regulam, nec Paupertati repugnans.

gnans, sicut non repugnat quotidiana receptio stipendiorum, quæ eis in dies dantur pro celebratione Missarum adventitiarum; nec est contra disposita à Sede Apostolica, quæ sæpius declaravit, eos posse similia recipere per modum puræ eleemosynæ vid. *infr. nu. 28.* & Rotæ decisionem coram Emerix in *Turritana Legatorum de anno 1695. & 1696.*

14. At queritur, an nolentibus hæredibus dare Fratribus eleemosynam legata, possint per Judicem compelli? & quatenus, affirmativè; an ad instantiam ipsorum Fratrum per se ipsos, vel per ipsorum Syndicum, aut per alium?

Resp. Judex, vel ex officio, ut Episcopus, uti ordinarius executor omnium piarum dispositionum juxta textum in *cap. Nos quidem de testam. vel ad instantiam unius de populo, ne Anima Testatoris debitis suffragiis defraudata maneat, potest hæredes cogere ad conferendam eleemosynam præfatis pro Missarum celebratione; facit decretum à Sac. Congr. prout *infr. num. 28.**

Neque hoc casu hæredes compulsi dicuntur coacti respectu Fratrum, quibus non cogentibus semper verum est, quòd ipsi, respectivè ad ipsos Religiosos, spontè conferant; vel saltem Fratres liberè recipiant ab Judice per modum simplicis eleemosynæ, ut firmavit Rota in allegata *Turritana*; sed Fratribus ipsis est prohibitum sub pena excommunicationis ipso facto incurrenda, in decreto videndo *infr. num. 26.* ne audeant per se, vel per alios, Syndicos, Ministros, seu Procuratores, tam Sæculares, quàm Regulares, annuas præstationes, seu legata, nec judicialiter, nec coram quocumque

Judice, nec aliàs, nisi juxta formam decreti Congreg. Frat. Min. de Obser. Cis-mont. Famil. prout *infr. num. 19.* ab hæredibus, vel aliis petere, vel exigere; per quod patet ea non esse illis debita, nec circa ipsa jus aliquod civile, & actionem habere.

Verùm ipsorum Syndicus, non tamquam Syndicus, sed veluti unus de populo, potest coram Ordinario agere, & instare, pro implemento Legati, & ne mens testatoris in sua pia dispositione fraudetur. Imò crederem, etiam ipsos Fratres, posse Ordinario, ut piarum dispositionum executori, significare, quod hæredes N. N. non implent legata à Testatore relicta, ad effectum dumtaxat, ut istis satisfaciant, non verò, ut in ea ali-quod jus prætendant, vel in eum finem, ut legata consequantur: experimur enim, quod in his hile, sæpè sit causa, cur similia in oblivionem descendant, & anima Fidelium debitis suffragiis fraudentur.

15. Dices. Ergo Fratres possunt esse certi moraliter de victu, & eleemosyna annua; ex quo eorum paupertas relevatur, & ita contra puritatem Regulæ eis similia relinquuntur legata,

Resp. Negando consequentiam, quia semper Fratres recipient legata per modum eleemosynæ, vel ab Judice, vel ab hæredibus, nec de illis recipiendis essent omninò certi; quia semper esset in prudenti, & rationabili judicio Executorum, vel Judicis, perspectis circumstantiis eleemosynarum, atque locorum, vel iisdem Fratribus legatariis relinquere, vel alius committere. Imò, quandoque, ut Rota cit. ponderavit, ad eos

spectaret, ut aliis committerent, si viderent legata, seu eleemosynas, sic esse ad auctas, ut per Fratres reciperentur in fraudem paupertatis, eosque eximerent à necessitate sibi victum querendi incerta mendicitate, sicut juxta professionem teneantur, dum oblata liberaliter ad id non sufficiunt.

Non tacendum, quod ex aliis titulis tolli potest certitudo; vel, quia, cum omnia Fratribus relicta sint in absoluto dominio Sedis Apostolicæ, ut in *capit. exiit*, §. *ad hancum Fratres de verb. signif. in 6.* in ordine ad tales Eleemosynas semper Fratres penlebunt à Summi Pontificis voluntate, quibus poterit eos privare, & aliis applicare; vel, quia, cum Fratres non obligentur jure actionis ad celebrationem Missarum, eleemosyna non debetur, nisi conditionaliter, si Missas celebrent; contingere autem potest, quod Missæ non celebrentur, vel, quia nolunt, vel, quia aliis præpediti negotiis non possint, & sic eleemosyna non erit certa, sed conditionata pro singulis annis, pendens ex futuro eventu, de quo certitudo moralis non datur, ut bene ex Roderico discurrit Pitonius *Disceptat. Ecclesiæ. par. prima disceptat. 2. num. 32.* immò, si celebraverint, nec certi esse possunt de consecutione, quia apud Judicem instare non possunt; vid. *num. 24.*

16. Ad 2. Affirmativè, ut ipsa Rota incit. *Turritana* firmavit, ratio est, quia natura hujusmodi legati non respicit necessariam sustentationem ipsorum infirmorum, pro qua juxta text. *Regulæ cap. 4. debent Ministri, & Custodes recurrere ad amicos spirituales*, sed potius

majorem ipsorum curam, quam, quæ aliis illis præstari posset per eorum Conventus.

Verùm Fratribus legatum non debetur; & est obligatione conscientie, quamvis non civili, implendum ex parte heredum, seu executorum in ipsa re, in specie legata, seclusa ex parte Fratrum, quavis instantia, etiam per implorationem simplicis officii Judicis; & recipere debent annuam præstationem per modum simplicis eleemosynæ; nec possunt eam in alios usus convertere, quam taxatos à Testatore, ac permissa protestatione, ut supra diximus; super quo observetur Decretum à S. Congr. C. editum in *Romana Donationis*, pro parte albo ministrando Fratribus infirmis in Conventu de Araceli, quæ sub die 2. Junii 1663. censuit licere prædictis Fratribus præarratam annuam præstationem, titulo dumtaxat eleemosynæ, recipere, ad præscriptum Decret. Congr. *Fabr. editi sub die 14. Febr. 1633.* apud Lantusc. *Theatr. Regul. ver. legat. num. 5.* vid. *num. 23.*

17. Ad 3. Affirmativè, ratio est, quia, licet Fratres præfati ex Regula, quam profitentur, & Constitutionibus Nicolai III. *exiit in 6.* & Clementis V. *Clementin. exiit de verb. signific.* sint incapaces cujuscumque juris, & proprietatis, tam in communi, quam in particulari, præactorum tamen incapaces non sunt, cum eorum incapacitas procedat, quoad ea, quæ concernunt utilitates, & commoda ipsorum Fratrum, pro quotidiano victu, & vestitu, & per quæ ipsorum mendicitas relevatur; non verò quoad ea, quæ concernunt decorem eorumdem Eccle-

Ecclesiarum, ac certum usum Cultus Divini, ut in terminis similibus legatorum, frumenti pro hostiis, vini pro Sacrificio, & pecuniæ pro luminibus dixit Rota allegata sub die 6. Aprilis 1696. & tradit Fagn. in 2. de probat. ad cap. in presentia nu. 60. Ventriglia prax. par. 2. annot. 28. §. 2. n. 17. & Bordonus op. posth. de Legat. cap. 3. n. 56. asserentes præfata legata, esse facta Ecclesiæ, vel Sacrificiis, non Fratribus, qui præstationes legatorum in alios usus non possunt convertere, quam in eos à Testatoribus fixos; consequenter, omnia in præfati præfata esse debita ipsorum Ecclesiis, quæ sunt in proprietate Ecclesiæ Romanæ: quarum nomine peti per Syndicum Apostolicum poterunt. Sed vid. infra num. 32.

Ad 3. Negativè, juxta allegatas decretales. Trid. sess. 25. de regul. cap. 3. & Decreti S. Congr. infra num. 25. dist. 4. primum.

Quæ censeo sufficere posse Confessario, ut super similibus interrogatus valeat tuta conscientia responsa dare, Fratresque instruere circa rem, cujus notitia est ipsis omnino necessaria, ne abusus circa paupertatem admittant, & graviter contra puritatem Regulæ delinquant, & interim sequentia à S. Sede in similibus disposita dictis subnecto.

Decreta S. Congr. à S. Mem. Urb. VIII. Frat. Min. de Observ. Consultationibus præposita.

Distinctio prima de Legatis Bonorum mobilium.

18. **A**rt. Primus. An Fratres Minores, tam de Familia, quam Reformati, sint capaces Legatorum Bonorum Mobilium, quæ unica solutione, seu præstatione adimplentur, tam in pecunia numerata, quam in aliis speciebus?
- Art. 2. An possint eadem legata in judicio, aut extra exigere per se ipsos, vel Syndicum Apostolicum?
- Art. 3. An Fabrica S. Petri liceat in hujusmodi Legatis se ingerere infra annum, ex quo dies legati cessit?
- Art. 4. Et quid, elapso anno?

Distinctio secunda de legatis Fabrica.

19. Art. 2. An valeat Legatum annui redditus factum Fabrica, Sacrificiæ, vel Ecclesiæ Fratrum Minorum, tam de Familia, quam ex Reformatione?
- Art. 2. An liceat Fratribus hujusmodi legata in judicio exigere per eorum Procuratores, vel Syndicos Apostolicos?
- Art. 3. An liceat eisdem erogare prædicta legata in usus Fratrum? an verò illa omnino converti debeant in usus à Testatoribus præscriptos?
- Art. 4. An Fabrica Sancti Petri liceat infra annum se ingerere in proprietate horum Legatorum pro Fabrica, vel Sacri-



„ Sacrificia, transigendo cum hæredibus,  
 „ aut alijs de eadem proprietate dispo-  
 „ nendo?

„ Art. 5. Et quid transacto anno?

„ Art. 6. An liceat eidem Fabricæ San-  
 „ cti Petri se immiscere præstationibus,  
 „ seu fructibus eorundem Legatorum  
 „ ab anno decursis, & non solatis?

„ Art. 7. Et quid infra annum, ex quo  
 „ cessit dies præstationis,

*Distinctio tertia de legatis annuis  
 cum onere.*

„ 20. Articulus primus. An Fratres  
 „ Minores, tam de Familia, quàm Re-  
 „ formati, sint capaces Legatorum an-  
 „ nuorum, quæ sunt adjecto onere ce-  
 „ lebrationis Missarum?

„ Art. 2. An iidem possint pro his Le-  
 „ gatis in iudicio experiri agendo, aut  
 „ iudicis officium implorando?

„ Art. 3. An possint Fratres illa accipe-  
 „ re à sponte offerentibus celebrando  
 „ Missas ad rationem rei acceptæ?

„ Art. 4. An possint illa sponte oblata  
 „ accipere per se ipsos: An verò per Syn-  
 „ dicum Apostolicum?

„ Art. 5. An Fratres possint huiusmodi  
 „ legata extinguere, aut illorum proprie-  
 „ tatem vendere, & pretium erogare in  
 „ usus Fabricæ, vel Sacrificiæ?

„ Art. 6. An liceat Fabricæ Sancti Petri  
 „ proprietatem eorundem Legatorum  
 „ cum onere Missarum sibi vindicare,  
 „ tam elapso anno, quam antea?

„ Art. 7. An eidem Fabricæ liceat sibi  
 „ vindicare annuas præstationes decur-  
 „ sas, & non solutas, tam ante annum  
 „ quam post?

*Distinctio quarta de legatis annuis sine  
 onere.*

„ 21. Articulus 1. An Fratres Mino-  
 „ res, tam Observantes, quam Reforma-  
 „ ti, sint capaces Legatorum annuorum  
 „ sine aliquo onere, aut modo adjecto,  
 „ saltem ad effectum illa extinguendi,  
 „ & pretium erogandi in usus Fabricæ,  
 „ vel Sacrificiæ?

„ Art. 2. An ad hunc effectum possint  
 „ eandem proprietatem in iudicio pete-  
 „ re per Syndicum Apostolicum?

„ Art. 3. An possint illam convertere  
 „ in usus Fratrum?

„ Art. 4. Et quid, si caperint illorum  
 „ annuas præstationes accipere?

„ Art. 5. An possint Fratres exigere ju-  
 „ dicialiter annuas præstationes eorum-  
 „ dem Legatorum in viam Martinianæ?

„ Art. 6. Et quid post ultimum Dec. S.  
 „ Congreg. hac de re editum?

„ Art. 7. An Fratres teneantur prote-  
 „ stari se esse incapaces eorundem Lega-  
 „ torum?

„ Art. 8. An possint illas à sponte danti-  
 „ bus accipere per se ipsos, vel per Syn-  
 „ dicos Apostolicos?

„ Art. 9. An hæredes teneantur illorum  
 „ præstationes Fratribus solvere in foro  
 „ conscientiæ?

„ Art. 10. An Fabrica Sancti Petri jus  
 „ habeat sibi vindicandi eorum Legato-  
 „ rum proprietatem, tam elapso anno,  
 „ quam antea?

„ Art. 11. Et quid de annuis præ-  
 „ stationibus decursis, & non soluti-  
 „ tis?

„ Art. ult. An hæc omnia procedant,  
 „ etiam

etiam in Legatis annuis ad modicum  
 tempus  
 De 9. Septe. lib. i. 1628. Sacra Congregatio  
 Negocii Fratrum Minorum Sancti  
 Francisci de Observantia à Sancti-  
 ill. Domino Nobro preposita ad sin-  
 gulos articulos superius propositos ad  
 hunc modum respondit, videlicet.

*Distinctione prima.*

22. Ad primum Articulum. Fratres  
 Minores, tam de Familia, quam Reformatos,  
 esse capaces Legatorum bonorum mobilium,  
 quæ unica solutione, seu præstatione adimplentur,  
 tam in pecunia numerata, quam in aliis speciebus,  
 dummodò tamen huiusmodi legata sint in  
 quantitate moderata, & non in fraudem  
 paupertatis.  
 Ad secundum. Fratres quidem, nec per se  
 ipsos, nec per interpositam personam posse  
 eadem legata in iudicio exigere; sed Syndicum  
 Sedis Apostolicæ tantum iudicis officium implorare,  
 dummodò similiter illa in moderata sint  
 quantitate, & sine ulla fraude paupertatis,  
 & re ipsa erogentur in Fratrum necessitates.  
 Extra iudicium verò ita demum legata huiusmodi accipi  
 posse à Fratribus per se ipsos, si in aliis speciebus  
 consistant, & accipiantur in ea tantum  
 quantitate, quam vera, & imminens eorum  
 necessitas postulet; sed superfluas, aut pecunias,  
 à Syndico tantum posse accipi, dum tamen id  
 omne in Fratrum necessitates convertatur.  
 Ad tertium. Non licere Fabricæ Sancti Petri  
 in huiusmodi legatis bonorum Matthancci  
 Cantela Confess.

rum mobilium se ingerere infra annum,  
 ex quo dies legati possit.  
 Ad quartum. Elapso anno licere ad præscriptum  
 suarum facultatum.

*Distinctione secunda.*

23. Ad primum Articulum. Valere legatum  
 annui redditus factum Sacristiæ, vel fabricæ  
 Ecclesiæ, vel Conventui Fratrum Minorum,  
 tam de Familia, quam de Reformatione,  
 nisi adit excessus in quantitate.  
 Ad secundum. Nec per se ipsos, nec per  
 alios, licere Fratribus in iudicio exigere  
 huiusmodi legata, sed Syndico Apostolico  
 dumtaxat.  
 Ad tertium. Non licere eisdem annui  
 redditus legata erogare in usum Fratrum,  
 sed illa omnino converti debere in usum à  
 Testatoribus præscriptos.  
 Ad quartum. Fabricæ Sancti Petri non  
 licere infra annum se ingerere in proprietate  
 horum legatorum, cum Hæredibus transigendo,  
 aut alias disponendo de eadem proprietate.  
 Ad quintum. Itidem non licere.  
 Ad sextum, & septimum, posse Fabricam  
 Sancti Petri se ingerere in præstationibus,  
 seu fructibus eorundem Legatorum ab  
 anno decursis, & non solutis: Non autem  
 infra annum, ex quo dies præstationis  
 cessit.

*Distinctione tertia.*

24. Ad primum Art. Fratres Minores, tam  
 de Familia, quam ex Reformatione, nullatenus  
 esse capaces legatorum annuorum  
 (Gg)

annuorum

annuorum, quæ sunt adjecto onere celebrationis Missarum.

Ad secundum. Non posse pro his legatis in iudicio experiri, aut iudicis officium implorare.

Ad tertium. Posse Fratres illa accipere per modum eleemosynæ à sponte offerentibus, celebrando Missas ad rationem rei acceptæ, citra tamen ullam obligationem ad onus perpetuum, & dummodò prius protestentur se illorum capaces non esse.

Ad quartum. Syndicum Apostolicum & pro Fratrum necessitatibus, non autem Fratres ipsos, etiam per alios, posse huiusmodi legata, utcumque sponte oblata, accipere, si in pecunia consistant.

Ad quintum. Non posse Fratres huiusmodi legata extinguere, aut illorum proprietatem vendere, & pretium erogare in usus fabricæ, vel Sacristiæ.

Ad sextum. Licere Fabricæ Sancti Petri ad suarum facultatum præscriptum sibi vindicare eorundem legatorum proprietatem cum onere Missarum celebrandarum, tam elapso anno, quam antea.

Ad septimum. Similiter licere.

*Distinctione Quarta.*

25. Ad primum Art. Fratres Minores, tam Observantes, quam Reformatos, non esse capaces legatorum annuorum, quæ sunt sine aliquo onere, aut modo adjecto, nisi ad effectum illa extinguendi, seu illorum proprietatem, & pretium convertendi in usus Fabricæ, vel Sacristiæ.

Ad secundum. Non Fratres ipsos, sed Syndicum Apostolicum tantum, posse eandem proprietatem in iudicio petere.

Ad tertium. Posse convertere.

Ad quartum. Si Fratres caperint illorum annuas præstationes accipere, ne hinc fiat fraus Paupertati, expedire, ut de cætero decernatur, eo calu non licere amplius Fratribus eandem proprietatem vendere, ac pretium in usus Fabricæ, vel Sacristiæ erogare: Ideoque agendum cum Sanctissimo D. Nostro.

Ad quintum, & sextum. Fratres nullo modo posse in iudicio exigere annuas eorundem legatorum præstationes.

Ad septimum. Teneri.

Ad octavum. Posse illa per modum eleemosynæ, & à sponte dantibus accipere, etiam per se ipsos, si in aliis speciebus consistant: quod si in pecunia, non nisi per Syndicum Apostolicum.

Ad nonum. Non teneri.

Ad decimum. Fabricam Sancti Petri nullum Jus habere vindicandi horum legatorum proprietatem, nisi elapso anno, juxta suas facultates.

Ad undecimum. Similiter non habere jus vindicandi huiusmodi annuas præstationes, nisi ab anno decursas.

Ad Ultimam. Hæc omnia locum non habere in legatis infra decennium; sed in his tantum, quæ sunt ad decem annos, & ultra.

Decretum Sac. Congr. Fabricæ Principis  
Apostolorum de Urbe super legatis  
relictis PP. Minor. de Obser.  
S. Francisci.

26. **D**um sapius fuerit habitus re-  
cursus ad S. Congregationem  
Ven. Fabricæ S. Petri super annuis le-  
gatis factis, seu faciendis ad favorem  
Fratrum S. Francisci Min. de Obser.  
cum onere Missarum, seu officiorum,  
sive gratis, sive alio modo.

Præcedente Ven. Fabrica S. Petri  
ad illam spectate propter DD. Fra-  
trum incapacitatem hujusmodi lega-  
torum.

Dictis autem Fratribus allegantibus  
posse annua legata hujusmodi recipe-  
re tuta conscientia. quatenus hæres ex  
sua libera voluntate voluerit illa dare  
in eleemosynam, & committere Fra-  
tribus dictis Missas, & officia juxta  
sententiam S. Bonaventuræ, & decreta  
S. Congreg. à S. D. N. Frat. Min. de  
Observ. S. Francisci Cisimontanæ Fa-  
miliæ Consultationibus præpositæ sub  
die 4. Junii 1628. publicata.

Eadem Sac. Congregatio pro oppor-  
tuna præmissorum provisione, facta  
prius relatione S. D. N. Urbano Papa  
VIII. ac de illius expresso ordine, &  
mandato, decrevit in futurum super  
hujusmodi legatis observari, ut infra.

Quod hujusmodi legata per debito-  
res; vel hæredes non extinguantur,  
vel reducantur per compositionem  
cum Ministris Fabricæ faciendam, vel  
alio quovis modo, sed illorum capita-  
le, sive sps principalis, vel Proprietas

abique aliqua diminutione conserve-  
tur semper & perpetuo ad effectum,  
ut in usus Romano Pontifici pro tem-  
pore existenti bene visos possint appli-  
cari; Ita tamen, ut quamdiu applica-  
tionem specialem Auctoritate Aposto-  
lica fieri non contigerit, hæredes, vel  
Debitoribus possint liberè, si velint, di-  
ctis Fratribus dare dicta annua legata  
per eosdem Fratres recipienda in elee-  
mosynam, non autem pereos exigenda.  
Et quod quævis extinctio, reductio,  
seu diminutio capitalis, seu propieta-  
tis, aliter absque speciali Romani Pon-  
tificis permissione facta, eo ipso nulla  
sit, nec Debitoribus, aut aliis quibus-  
cumque suffragetur.

Quodque Commissarii, alique Mini-  
stri Ven. Fabricæ super hujusmodi ca-  
pitale, seu proprietate supradicta, se  
de cætero non intromittant, nec di-  
ctos hæredes, seu debitores aliquo  
modo molestant, nisi ad effectum re-  
investiendi in casu reinvestimenti, seu  
providendi, ut conservetur, ut supra,  
aut aliàs in executionem applicatio-  
nis auctoritate Apostolica facta, vel fa-  
cienda.

Et quod nolentibus dictis hæredibus,  
vel debitoribus dare supradictis Fra-  
tribus dictas eleemosynas, seu annuas  
præstationes, sive legata, ut supra sol-  
vere, vel illas, seu illa non solventibus,  
tunc, & eo casu, lapsis duobus annis à  
die obitus Testatorum, si fuerit matu-  
ratum legatum, vel à die maturata il-  
lius solutionis, eadem Fabrica, & illius  
Commissarii & Ministri id totum quod  
solutum non fuerit pro pretio, pro-  
rata tamen, in qua fuerit, ut supra  
(Gg) 2 „ cla-

23 elapsum biennium, vel ultra, possit,  
 23 & valeat, annuas præstationes huius-  
 23 modi exigere, exigique facere ad sui  
 23 beneficium, juxta suas facultates, &  
 23 Privilegia: salvo semper capitali, seu  
 23 proprietate, ut supra, ad effectum, quod  
 23 hæredes, vel debitores (dummodo de  
 23 eis per Romanum Pontificem pro  
 23 tempore existentem aliter non fuerit  
 23 dispositum, nec prædicta legata in  
 23 alios usus ejus auctoritate applicata fue-  
 23 rint, vel applicari contigerit) possint,  
 23 si velint, quancumque futuris tem-  
 23 poribus, & deinceps in perpetuum da-  
 23 re dictis Fratribus dicta annua legata  
 23 in elemosynam, ut supra, nec Fabrica  
 23 eosdem hæredes, vel debitores mole-  
 23 stare possit, & valeat toties, & quoties  
 23 casus contigerit, nisi pro præterito, &  
 23 tunc in illis terminis tantum, post quo-  
 23 rum maturacionem fuerit elapsum  
 23 biennium, vel ultra, ut supra: salva  
 23 semper erectione beneficiorum, & ap-  
 23 plicatione legatorum, seu quorum-  
 23 cumque bonorum, & reddituum, ac  
 23 jurium eisdem beneficiis, seu aliis usi-  
 23 bus piis auctoritate Apostolica facta,  
 23 vel in posterum quancumque, &  
 23 quomodocumque faciendæ & execu-  
 23 tionis litterarum Apostolicarum desu-  
 23 per expeditarum, seu expediendarum;  
 23 Itaut præfata decreta ad illas nequa-  
 23 quam se extendant, sed illa semper fir-  
 23 ma, & illa se remaneant ac suos plena-  
 23 rios, & integros effectus sorti de-  
 23 beant, ita quod neque Fabrica, neque  
 23 hæredes, vel debitores præfati, ullo  
 23 modo illas impedire, retractare, vel  
 23 controversere valeant & salvis semper  
 23 Sedis Apostolicæ auctoritate, & facul-

23 tibus competen. dictæ Sacre Con-  
 23 gregationi Ven. Fabricæ.  
 23 Prohibuit tamen eadem Sacra Con-  
 23 gregatio Fratribus supradictis sub pe-  
 23 nã excommunicationis ipso facto in-  
 23 currenda, ne audeant, seu præsumant,  
 23 nec quilibet eorum audeat, seu præsu-  
 23 mat per se, nec per alios Syndicos, Mi-  
 23 nistros, seu Procuratores, tam Sæcula-  
 23 res, quam Regulares dictas annuas  
 23 præstationes, seu legata, nec judiciali-  
 23 ter tam coram quocumque Judice Ec-  
 23 clesiastico, quam Sæculari, Ordinario,  
 23 vel Delegato, nec alias, nisi juxta for-  
 23 mam dicti decreti Congregationis  
 23 Frat. Min. de Obser. S. Francisci Cif-  
 23 montana Familia à S. D. N. deputate  
 23 ab hæredibus, seu quibusvis aliis eo-  
 23 rum debitoribus petere, minime di-  
 23 ctis hæredibus, seu debitoribus facere  
 23 aliquas receptas pro dictis annuis  
 23 præstationibus, nisi prorata, & pecu-  
 23 nia, seu elemosynis supradicti cum  
 23 effectu, ac verè, & realiter eisdem Fra-  
 23 tribus data, vel soluta, seu datis, vel so-  
 23 lutis, nec sub alia data, nisi sub ea, qua  
 23 verè fuerit iisdem Patribus, aut aliis  
 23 pro eis facta realis satisfactio; & insu-  
 23 per ne Provisos Apostolicos pro tem-  
 23 pore de Beneficiis, quibus legata su-  
 23 prædicta fuerint applicata, vel eorum  
 23 Procuratores, & Ministros super ere-  
 23 ctione ad legatorum d. rectè, vel indi-  
 23 rectè impedire, vel molestare quovis  
 23 quaesito colore, vel pretextu audeant,  
 23 vel præsumant. In quorum fidem,  
 23 &c. Datum Romæ, &c. die 14. Fe-  
 23 bruarii 1633.

Constitutio Clem. X. confirmans Decretum S. Congr. in causa Turritana legatorum.

27. Clem. Papa X. Ad futuram, &c.  
 Nuper pro parte dilecti Filii Syndici Apostolici Conventus S. Petri de Syrchis in Sardinia Ordinis S. Francisci de Obser. &c. Congregationi Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, &c. Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod quondam Petrus Moros de Molinos in suo ultimo testamento, quod anno 1645. considerat, diversâ annua legata pro Missis per Fratres dicti Ordinis celebrandis fecerat, modo sequenti: *Primo, mando*, quod meus hæres teneatur expendere pro confectione tumuli, & exequiarum quolibet anno lib. 25. pro una Missâ cantata, & aliis sexdecim Missis pro Animabus meorum Parentum celebrandis à Fratribus Franciscanis S. Petri de Syrchis, & pro hoc legato volo, quod sint perpetuò obligata bona mea. *Item, volo*, quod dictus meus hæres solvat ex dictis bonis meis quolibet anno lib. 40. quæ inserviant pro oleo lampadis meæ Capellæ majoris in dicta Ecclesia S. Petri. *Item relinquo* in perpetuum Missas septem quolibet hebdomada pro Animabus Purgatorii, &c. & elemosyna sit septem solidorum pro qualibet Missâ, &c. & proprietates illarum est 400. lib. quæ sit super domo mea, in qua habito. *Item relinquo* pro elemosyna dicto Conventui S. Petri de Syrchis lib. 300. ut illæ

applicari debeant per meos Curatores in loco securi ad rationem lib. 24. annuarum, & inserviant pro emendis linteaminibus pro pauperibus Fratribus infirmis. *Item, quia* D. Mater mea reliquit, ut dicantur duæ Missæ perpetuæ qualibet hebdomada à dictis Fratribus, mando, quod super bonis meis solvantur quolibet anno lib. 28. *Item, quia* D. Pater meus reliquit unam Missam perpetuam qualibet hebdomada celebrand. à dictis Fratribus, & reliquit pro elemosyna censum lib. 150. debitum à Gavino Padnano, &c. quatenus perdidit supradictum, mando, ut meus hæres solvat lib. 11. annuas, &c. & factis aliis pluribus legatis profanis, &c. instituit sibi hæredem Deum, & animam suam, mandans suis exequutoribus, ut adimpletis, & satisfactis legatis, insisterent unam tertiam dignitatem Archidiaconalem in Cathedrali Turritana, cum annuo reddito lib. 1000. & de residuo unum, vel plures Canonicatus secundum capacitatem honorum suorum, & aliâs, pro ut in dicto testamento dicitur uberius contineri.

Et subinde in executionem dicti testamenti unus Canonicatus, & unus Archidiaconatus in Ecclesia Turritana erecti fuerant, dictusque Archidiaconatus, ex dispositione ejusdem Petri testatoris collatus fuerat quondam Didaco Moros ejus Fratri Germano, exequutori testamentario, qui bona fide, dum in vivis erat, eadem legata pia adimpleri curaverat; verum post ejus obitum de eodem Archidiaconatu provisus fuerat dilectus Carolus de

„ Capudoro, ad cuius favorem dile-  
 „ ctus filius Provicarius Generalis Tur-  
 „ ritanus, nesciebatur quo jure, decla-  
 „ raverat Fratres Minores prædictos le-  
 „ gatorum capaces tantum, factorum  
 „ pro oleo lampadis, & linteaminibus in-  
 „ firmorum, & incapaces pro reliquis,  
 „ quæ Archidiacono prædicto ad judi-  
 „ caverat, prout in ejus sententia dicitur  
 „ contineri; unde dictus Syndicus, tam-  
 „ quam unus de Populo, pro suffragio  
 „ Animarum, pro quibus instituta fue-  
 „ runt dicta legata pia, & pro sua pietate  
 „ erga dictos Fratres de Observantia, qui  
 „ in magna necessitate propter eleemo-  
 „ synarum deficientiam in prædicta In-  
 „ sula Sardinia reperiebantur, prout ex  
 „ attestatione juratorum, & Officialis  
 „ Civitatis Turritanæ constare diceba-  
 „ tur: Nobis humiliter supplicaverat, ut  
 „ omnimodum adimplementum legato-  
 „ rum, prædictorum Ven. Fratri Archie-  
 „ piscopo Turritano, non obstante præ-  
 „ dicta Pro Vicarii Generalis sententia,  
 „ committere de benignitate Apostoli-  
 „ ca dignaremur.

„ Instantia verò hujusmodi ad prædi-  
 „ ctam Cardinalium Congregationem à  
 „ nobis remissa, & de mandato ipsius  
 „ Cong. citato dilecto etiam Filio Ale-  
 „ xandro Bulla supradicti Caroli de Ca-  
 „ pudoro Archidiaconi Procuratore,  
 „ Syndicus prædictus plurimum cupie-  
 „ bat declarari, prædictos Fratres Mi-  
 „ nores de Observantia posse recipere  
 „ præinserta annua legata Missarum,  
 „ per modum puræ, & simplicis elee-  
 „ mosynæ; juxta doctrinam S. Bonaven-  
 „ turæ in quadam Constitutione fel. re-  
 „ cord. Urbani Papa.

„ VIII. Prædecessoris nostri, cuius  
 „ initium; *Sacrofanctum Apostolatus*  
 „ *Ministerium, &c.* proinde debere  
 „ dictum Archiepiscopum Turritanum,  
 „ tamquam executorem ultimarum vo-  
 „ luntatum, & præcipuè piarum, cu-  
 „ rare omnimodum adimplementum  
 „ eorum legatorum, & voluntatis dicti  
 „ Petri Testatoris, compellendo hære-  
 „ des, & detentores bonorum ad satis-  
 „ factionem, ne animæ ejus Auctorum,  
 „ & Benefactorum suffragiis defraudate  
 „ remanent. Emanavit ab eadem  
 „ Cardinalium Congregatione decre-  
 „ tum tenoris, qui sequitur. *Sac. Con-*  
 „ *greg. EE.S.R.E. Card. negotiis, & con-*  
 „ *sultationibus Episcoporum, & Re-*  
 „ *gularium præposita, Procuratore*  
 „ *Archidiaconi Turritani Sapii citato,*  
 „ *referente Eminent. D. Cardinali*  
 „ *Portocarrero, decrevit esse dandas de-*  
 „ *clarationes sæpe alias factas, videlicet*  
 „ *Fratres Minores de Observantia non*  
 „ *posse possidere census, & bona stabili-*  
 „ *lia, posse tamen recipere per viam e-*  
 „ *leemosynæ quicquid eis traditur ab*  
 „ *executoribus ultimarum volumina-*  
 „ *tum pro celebratione Missarum, &*  
 „ *Anniversariorum, & propterea cen-*  
 „ *sus fuit committendum, prout præsentis*  
 „ *decreti tenore committit Archiepisco-*  
 „ *po Turritano, ut ad limites prædictæ*  
 „ *declarationis in causa, de qua supra*  
 „ *agitur, procedat, & ad illius obser-*  
 „ *vantiam quantum opus fuerit, juris*  
 „ *remediis, & in subsidium, etiam*  
 „ *cenfuris Ecclesiasticis compellat. Ro-*  
 „ *ma 3. Augusti 1674. Card. Branca-*  
 „ *cini.*

Loc. Sigilli.

Cum

Cùm autem sicut dictus Syndicus  
 Nobis subinde exponi fecit, ut decre-  
 tum huiusmodi firmius subsistat, &  
 obseruetur exactius, Apostolicæ No-  
 stræ confirmationis patrocinio com-  
 muniti summopere desideret. Nos ip-  
 sum Syndicum, &c. absolventes, &c.  
 Supplicationibus ejus inclinati, &c.  
 Decretum præinsertum Autoritate  
 Apostolica tenore præsentium appro-  
 bamus, & confirmamus, illique in-  
 violabilis Apostolicæ firmitatis robur  
 adjicimus, &c. sicque in præmissis per  
 quoscumque Judices, &c. irritum,  
 &c. Dat. Romæ apud S. Mariam Majo-  
 rem die 22. Augusti 1674. Pontificatus  
 nostri anno quarto, &c.  
 28. *Decretum Sac. Congreg. Episcop.  
 & Reg. in una Lucana sub die 26.  
 Martii 1677. ut in Registro ejusdem:  
 Observantiæ di Lucca. Sac. Congreg.  
 &c. Sapius declaravit Fratres Min. de  
 Observ. S. Francisci, quamvis attenda  
 dispositione, Exivi de Paradiso Cle-  
 ment. V. & constitut. Nicolai III. Exiit,  
 sint incapaces obtinendi census perpetuos,  
 & bona stabilia, posse tamen  
 per viam puræ, & simplicis elemosy-  
 næ recipere quicquid ab executori-  
 bus ultimarum voluntatum eis tradi-  
 tur, pro celebratione Missarum, pro  
 ornamento Ecclesiæ, aliisque neces-  
 sariis procurandis juxta doctrinam D.  
 Bonaventuræ relatam in Const. S. M.  
 Urbani VIII. incipiente, Sacrosan-  
 ctum Apostolatus Ministerium, at-  
 que in præfatis casibus dictos execu-  
 tores ultimarum voluntatum curare de-  
 bere, ut huiusmodi piæ dispositiones  
 adimpleantur, ne Testatorum Animæ*

debitis suffragiis defraudatæ remane-  
 ant; quam quidem declarationem,  
 illiusque tenorem in casu, de quo a-  
 gitur, eadem Sac. Congreg. servari  
 præcipit, committendo Ordinario  
 Lucensi, pro tempore existent, ut  
 quatenus alius Executor non existat,  
 prænaratam pii Testatoris dispositio-  
 nem executioni demandet, &c.

*Decretum Sac. Congregationis  
 Fabr. editum 15. Decembr. 1646.  
 ad providendum indemnitati Fra-  
 trum in annuis legatis, & occur-  
 rendum hæredum, vel executorum  
 malitiæ.*

29. Sac. Congr. Generalis R. Fabr. S.  
 Petri de Urbe ad consulendum non  
 minus indemnitati Fratrum Ord. Min.  
 de Observ. S. Francisci, quam provi-  
 dendum malitiæ hæredum, & alio-  
 rum, quomodolibet obligatorum, qui  
 differunt ultra biennium illis solvere  
 annua legata pia cum oneribus Missa-  
 rum, seu Officiorum, vel etiam grati-  
 tis, dictis Fratribus, seu eorum Ec-  
 clesiis relicta, ac in futurum relin-  
 quenda, sub spe postea super illis pro-  
 minori summa se componendi cum  
 Commissariis, & aliis R. Fabr. Mini-  
 stris, & Officialibus, prohibuit, &  
 expressè mandavit Commissariis, A-  
 conomis, Secretariis, & aliis qui-  
 buscumque Officialibus, & Ministris  
 R. Fabr. præsentibus, & futuris, tam  
 Urbis, & Status Ecclesiastici, quam  
 Regni Neapolis, & aliorum quorum-  
 cumque Locorum, sub pœnis arbitris  
 ejusdem Sac. Congreg. ne de cætero  
 cum hæredibus, vel aliis quomodoli-  
 bet obligatis ad solutionem dictorum

Legat.



Legatorum, ad aliquam compositionem, remissionem, vel transactionem deveniant, sed ab aliis omnes annatas supra biennium decurtas, & non solutas, integraliter exigant, & exigere faciant in beneficium dictæ R. Fabr. sine relaxatione alicujus minimæ portionis, seu quantitatis, servato in reliquis tenore Decreti in hac materia ab eadem Sac. Cong. editi sub die 14. Februar. 1633. & compositiones, &c. eo ipso nullas, & irritas esse decrevit, mandans, &c.

*Epistola Sac. Congr. R. Fabr. concernens capacitatem Fr. Minor. de Obser. circa Legata.*

30. **M**olto Reverendo mio Amatissimo. Hà fatto rappresentare à questa Sacra Congregazione della Fabrica il P. Commissario di Corte della Religione de Minori Osservanti di S. Francesco, come la Q. Bartolomea Ginchelli da Ancona lasciò al Convento di detta Città annui scudi cinque, perche li celebrino un'Officio con 30. Messe; ne, che li Eredi ricusano pagarglieli, sotto pretesto della loro incapacità: Questa Sac. Congregazione altre volte dichiarò detti Frati capaci per modum elemosynæ: però provvedete il Legato si eseguisca, ne sotto il detto pretesto li Eredi ritardino il pagamento. Governandovi conforme al Decreto fatto in questa materia, e conservatevi: Roma 31. Dicembre 1634. Tutto vostro: il Cardinal Lante. Andrea Ghetti Economo.

*Alia ejusdem Epistola.*

31. **M**olto R. mio Amatissimo. Per parte delli Frati Min. Osserv. di S. Francesco d'Offida, è stato rappresentato à questa Sac. Congregazione, che il Capitano Alfonso Paolini per il bisogno, che tenevano d'augumentare il loro orto, gli lasciò certo sito à quello contiguo, con peso d'una Messa la settimana. E perche i detti Padri è permesso ritenere simili orti per gli herbaggi necessari: non solo non li proibirete, ma operate ancora con la vostra autorità, che detti Padri godano il beneficio di detto Legato, facendogli dalli Eredi consegnare detto Orto lasciatioli, e conservatevi. Roma li 2. Novemb. 1641. Tutto vostro: il Cardinal Lante. Andrea Ghetti Economo apud Pitoniam sic. num. 142.

*Decretum S. C. Conc. in Faventina legatorum.*

32. **I**n assignatione bonorum facta per Constantiam Severolam, anno 1657. ad effectum fundandi in Terra Mutilianæ, vel beneficium Ecclesiasticum, vel Monasterium Monialium, tria onera Fundatrix imposuit. Primum, annuæ præstationis, lib. 100. olei pro manutentione lampadis ante sacras Reliquias in Ecclesia Patrum Capuccinorum dictæ Terræ. Secundum, lib. 25. Cera alba pro usu ejusdem Ecclesiæ. Et tertium denique, unius feruli valoris solidorum 20. ip-

sis PP. Capuceinis per singulas hebdomadas subministrandi.

Secuta de anno 1686. Monasterii fundatione, recusarunt Moniales subministrare dd. præstationes, sub prætextu omnimodæ incapacitatis Frat. Capuccinorum. Quare ad instantiam Alexandri Ronconi, tamquam unius de Populo, citatis, & informantibus, quoque Monialibus, declarari humiliter supplicatur,

1. An Monasterium Monialium teneatur subministrare singulis annis dictas libras centum olei, & 25. ceræ albæ pro usu Ecclesiæ Frat. Capuccinorum?

2. An similiter teneantur præstare singulis hebdomadis supradictum ferculum bononensium 20. pro ipsis Capuccinis?

Die 2. Martii 1697. S. Cong. C. ad primum respondit affirmativè.

Ad secundum, servanda esse decreta Congreg. Fabricæ die 14. Febr. 1633. supra num. 26. apud Pitonium cit. numer. 175.

33. Denique, pondera Fratres Min. non posse in fundatione Conventuum pacifici, & convenire cum Fundatoribus pro annua solutione pecuniæ ad emendam pitantiam, vel pro frumento, vino, & similibus, quia debent ex mendicatio vivere; præfata autem ipsorum mendicatio repugnant, & contra Regulam, ac prædictas Regulæ declarationes recipiuntur, & in pactum deducuntur; nam accedunt ad naturam annui redditus, quorum ipsi incapaces sunt. Quod, si Fundatores velint spontè aliquid ipsis conferre, possunt id per viam simplicis elemosinæ recipere juxta superius dicta Matthæi Cacci Cautela Confess.

cta; sed caveant, ne id in pactum deducant; nam nulla esset pactio, & conventio contra Regulæ puritatem celebrata, cum incapaces sint, vel se obligandi civiliter erga alios, vel terminandi obligationem civilem in aliis fundatam ad ipsos; quinimodò etiam, quando Fundatores velent ex sua libera voluntate aliquid dare, vel legare, semper esset ab ipsis præmittenda protestatio, de qua supra sub num. 13.

34. Item, dd. FF. vel pro eis Syndicum non posse institui hæredes, etiam hac lege, ut bona hæreditatis vendant, & pretium erogetur in reparationem Ecclesiæ, Capellæ, sacrarum suppellectilium, &c. ut probat Fagnan. ad cit. cap. nimis prava num. 33. & ego dixi cit. cap. Offic. Curie num. 18. ratio est, quia est eorum statui repugnans; maxime, quia sic instituti, non desinunt esse hæredes, consequenter tenentur ad omnia jura, & onera defuncti; & sic quomodo consultum esset creditoribus? Quis teneretur de evictione, si bona hæreditatis distracta evincerentur, aut alia impleteret, quæ ab hæredibus præstari oportet? Non ipsi Fratres, qui non possunt actione personali convelli, quorum inopia omnem actionem excludit, & reddit inanem, & quibus Clement. cit. §. Amplius, similibus actionibus se immiscere prohibetur, ut per hoc scandalum proximorum evitetur, & puritati satisfaciant sui voti: ut ibi expressè textus. Lege, quæ dixi ap. 30. Offic. Cur. Ecclesiæ.

## CAPUT XXXIII.

Prop. XLIV. ab Alex. VII. &c.  
Praxis quoad absolutionem à censuris.

1. PROP. 44. Quoad forum conscientie, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censure.

Est communis sententia DD. nullum à censura incurta liberari, nisi absolutione data ab eo, qui ad id jurisdictione, vel ordinaria, aut delegata non caret; nam finis censura (quæ utique est poena, sed medicinalis, ex cap. Cum medicinali de sent. excom. in 6.) est peccantem corrigere, & emendare, ergo non debet censuratus absolvi, nisi emendatus à contumacia legis recedat, & Ecclesiæ satisfaciatur; idque Superiori notum esse debet, contra Auctores propositionis; occasione ejus hic pro praxi absolutionis à censuris aliqua aperiam.

2. Queritur, quid sit censura?

Resp. Est poena spiritualis inflata ab Ecclesiastica potestate, privans hominem baptizatum usu aliquorum honorum spiritualium, donec à contumacia recedat, vel ad ejus correctionem.

3. Queritur, quotuplex sit censura?

Resp. Triplex, ex cap. Querenti de verb. signif. excommunicatio, suspensio, & interdictum.

Interdictum est censura Ecclesiastica in locum, vel personam lata, prohibens usum quorundam Sacramentorum, divina officia, & sepulturam interdictis ministrari. Aliud est locale, cum interdicitur locus, ne in eo prædicta exercentur; aliud personale, cum interdi-

citur persona, ne in eis ad præfata admittatur; & aliud mixtum, cum locus simul, & personæ interdiciuntur.

4. Sacramenta prohibita in interdicto, Vide apud Piafec. prax. cap. 4. art. 1. & in cap. quod in re de poenit. cap. permittimus de sent. excommunic. & cap. alma mater eo tit. in 6.

5. Suspensio, est censura, qua Ecclesiastica persona inhibetur exercitium sui officii, Ordinis, seu jurisdictionis Ecclesiasticae in totum, vel in partem, ob culpam, & contumaciam; in totum, tunc contingit, quando non modò functiones ordinis prohibentur, ut administrare Sacramenta, celebrare Missam, eique ministrare, sed & functiones jurisdictionis, ut absolvere à peccatis, censuris, conferre beneficia, ac perceptiones reddituum provenientium ex beneficio, &c. in partem verò, & functiones jurisdictionis, ut absolvere à peccatis, censuris, conferre beneficia, ac perceptiones reddituum provenientium ex beneficio, &c. in partem verò, cum unus, vel alter spiritualis officii actus prohibetur, ut, si Sacerdos ab audiendis Confessionibus, vel à celebratione Missæ suspendatur; & quia effectus suspensionis non sunt connexi inter se, sed in potestate suspendentis, suspensus à celebratione, ex vi hujus, non intelligitur suspensus ab audiendis Confessionibus, si sit approbatus.

6. Excommunicatio est censura, per quam homo baptizatus ab Ecclesiâ communione separatur; & est duplex, Minor, & Major.

7. Minor est censura, quæ privat solum passiva Sacramentorum receptione, cap. si quem de sent. excom. & cap. à nobis de exceptionibus; unde, si excommunicatus excommunicatione minori ante absolutionem aliquod Sacramentum recipiat, mortaliter peccat, ita DD. conti-

inqui-

muniter, sicut mortaliter delinquit, si celebrat, sed non fit irregularis cap. si celebrat de Cleric. excom. ministran. dum verò Sacramenta ministrat, si sine necessitate faciat, delinquit venialiter ex alleg. cap.

8. Quæritur, quando incurratur excommunicatio minor?

Resp. Cum quis in vetitis communicat, & participat cum excommunicato majori excommunicatione cap. Constitutionem de sent. excomm. in 6. verum is debet esse non toleratus, hoc est, denunciatus, vel declaratus, aut notorius Clerici percussor Piafec. cit. art. 13. num. 2.

9. Casus, in quibus est vetitum cum eo communicare, referuntur cap. nuper de sent. excom. & isto comprehenduntur carmine.

*Os, orare, vale, communico, mensa negatur.*

*Os*, significat osculum, colloquutionem, etiam per nutus, literas, & interpositam personam: signa amicitiae, munera recipere, mittere, & similia.

*Orare*, cum eo divinis officiis interesse; pro eo publica oratione orare; in privata non est prohibitum.

*Vale*, salutationem, verbo, facto, vel signo, ut aperire caput, dare locum decentiorem, &c.

*Communico*, commercium in eodem negotio, cohabitationem in eadem domo, societatem in eodem itinere; excommunicatus majori excommunicatione privatur communicatione forensi, & sic non potest esse Judex, Testis, Advocatus, Tabellio, Procurator, Tutor, Curator, &c.

*Mensa*, convivium in eadem mensa,

& convivio; unde, si cepta mensa excommunicatus superveniat, teneris discedere.

10. Dantur causæ, propter quas licet communicare cum excommunicato non tolerato, & sequenti exprimuntur verficulo.

*Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.*

*Utile*, significat utilitatem communicantis; in civilibus potest quis petere solutionem debiti, à Medico medicinam, consilium à Doctore, necessaria ad victum emere à Mercatore, excommunicatis; quando hæc æquè bene non possint haberi ab alio, non sic excommunicato.

*Lex*, nimirum matrimonii, operatur, ut uxor possit communicare cum Marito excommunicato, cap. Quoniam 11. qu. 3. tam, quoad debitum conjugale, quam curam domus, & mensam; idem dicitur de viro respectu uxoris, quam tamen debet cogere ad petendam absolutionem, si possit.

*Humile*, significat hominem subiectum posse participare cum excommunicato, ut servus cum Hero, Religiosus cum suo Prælato, cum Episcopo Clericus, qui sit de ejus familia, Miles cum Duce, filius, vel naturalis, sive legitimus, & emancipatus cum Patre.

*Res ignorata*, significat ignorantiam, sive juris, quod scilicet non sit prohibitum communicare cum excommunicatis; sive facti, quod quis non sit excommunicatus; quæ (modo affectata non sit) excusat cit. cap. Quoniam; & si quis dubitat, tenetur veritatem inquirere, & interim abstinere, sicut, si quis sciret

Petrum hic Romæ esse publicè denunciatum excommunicatum, non teneretur eum Venetiis, ubi nil de tali excommunicatione scitur, in publico vitare, bene verò privatim.

*Necessè*, significat magnam, & urgentem necessitatem, vel excommunicati, vel participantis, cap. *inter alia*, cap. *si verè de sent. excom.*

11. Major est censura Ecclesiastica separans hominem baptizatum ab externa communicatione fidelium, tam in civilibus, quam in divinis; & privans communibus, ac publicis Ecclesia suffragiis, ut Missa, Indulgentiis, recitatione publicis horarum, & ceteris publicis spiritualibus exercitiis, eorumque fructu, excepta concione. DD. communiter.

12. Quæritur, an irregularitas sit censura?

Resp. Conveniunt DD. illam ex defectu non esse; dubitant de illa ex delicto, sed communior negat, etiam de ista Bonac. aliique, & patet, ex ipsius definitione, in qua dicitur, quod est *inhabilitas, seu impedimentum canonicè introducendum ad suscipiendos Ecclesiasticos Ordines, vel ad ministrandum viam susceptis*: & non dicitur pœna. In solis casibus in jure expressis incurritur, DD. communiter. Incurritur, dum Clericus censura affectus solemniter, vel ex officio ministrat in ordine Sacro, quem habet, vel quem non habet, exercet, aut aquam benedicat, vel solemniter baptizat sine licentia, Diaconus celebret, prout videre est rit. de Cleric. excom. ministran. & cap. 1. & 2. de Cleric. non ordinato cap. cum aterni de sent. & de jud. in 6. cap. is de pœnis. & remis. in 6. Layman. Bonacc. &

De la Cruz artic. 1. de cens. in com. dub. 2. conc. 2.

13. Irregularitas à censuris per De la Cruz ibid. distinguitur, quia per irregularitatem arcemur directè, & immediatè ab Ordinibus, ut Ordines sunt, sed non ut Sacramenta, nec fructu orationum Fidelium privamur; per Excommunicationem verò ab eis immediatè, & directè arcemur, ut sunt Sacramenta, & communicatio cum fidelibus; per Suspensionem, ut sunt officia Ecclesiastica, & per Interdictum, ut res spirituales.

14. Quæritur, quanam differentia sit inter censuram latam ab jure, & latam ab homine?

Resp. Hæc, quia illa ab jure (quæ etiam dicitur censura in canone contenta) est perpetua, & fertur à Legislatore cum intentione condendi legem, & statutum perpetuum; quod statutum nec morte ferentis, nec officii depositione extinguitur; illa verò ab homine non est perpetua, & fertur per legem, sed præceptum Superioris, quod solum durat, dum perseverat ejus jurisdictione. Verùm utraque incurta durat, quousque relaxetur, nam jure communi cævetur, ut nemo liberetur à censura incurta sine absolutione.

Utraque, & est lata, & ferenda sententiæ: ipsa lata sententiæ, statim ante Judicis condemnantis sententiam incurritur, per verba significantia non solum comminationem in futurum, sed actionem inflictivam censuræ, ut jam existentis: ut, ipso facto, ipso jure excommunicetur: *excommunicamus, volumus, vel declaramus esse excommunicatum: absque ulla alia declaratione: cæterum,*

terum, ut quis in foro externo sit excommunicatus, exigitur declaratio delicti, hoc est, constare debet delictum, ob quod censura incurritur; fuisse patrum. Illa verò ferenda sententia, est, quando Superior, vel Legislatur utitur verbis dubiis, vel significantibus censuram imponendam de futuro, ut *prohibemus sub censura, noveris te incursum censuram, volumus excommunicari, &c.* vide DD. & sufficiat hæc de censuris in communi notasse, modò ad praxim.

15. *Quæritur. An quisvis Sacerdos possit absolvere ab excommunicatione minori?*

Resp. Affirmativa sententia fuit olim communis propter facultatem, quam quisvis Sacerdos prætendebat in venialia, propterque ipsa incurritur; sed est falsum, quemlibet Sacerdotem posse à venialibus absolvere ex dictis *cap. 9. nu. 11.* ergo ad absolvendum in foro Sacramentali debet esse approbatus ab Ordinario.

16. *Quæritur. Quinam possit absolvere ab excommunicatione majori?*

Resp. Si non sit reservata, nec ab homine lata, potest quilibet Sacerdos approbatus; nam, dum lator excommunicationem sibi non reservavit, videtur concessisse facultatem aliis habilibus absolventi. *cap. Nuper de sent. excom. ut inf. nu. 68.* A lata ab homine, & à reservata debet absolvere, vel is, qui eam tulit, vel alius, cui ipse commiserit. *cap. cum ab Ecclesiarum de off. ord.* etiam si excommunicatus domicilium extra territorium excommunicantis mutet: excipitur mortis articulus.

17. *Quæritur. An, cum conceditur facultas absolventi a censuris, Papa reservatis, possit absolvi ab illis contentis in Bulla Cœnæ, quando non est facta mentio Bullæ.*

Resp. Negative, quia in concessione generali non comprehenduntur casus Bullæ propter eorum specialem reservationem. Papa enim aliæ reservantur censura, videnda in collat. Apostolicis, & idè rescriptum verificatur, licet non extendatur ad illas Bullæ.

Praxim Confessoris cum infirmo ligato censura Bullæ Cœnæ, hæresis, vel alia reservata legas *cap. 2. nu. 15. & cap. 3. nu. 7.*

18. *Quæritur. An possit absolvi ab ordinario Confessario, approbato, qui in Clericum, vel Monachum manus violentas injecerit?*

Resp. Negative, nam innodatur excommunicatione Papæ reservata, quæ incurritur ob violentam injectionem manuum in Clericum, *cap. si quis suadente, &c. in Clericum, vel Monachum 17. qu. 4.* & est casus eidem reservatus ex decreto Clement. VIII. prout supra *cap. 8. §. 4.* ibi videas.

19. *Sed quid, si quis propinaret Clerico venenum, & Clericus suideret?*

Resp. Non potest absolvi, quia censura ligatur, ita Sperel. *dec. 20.* ratio est, quia maxima offensio, & violentia resultat ex propinatione veneni, statim enim, ac venenum haustum est, operatur ad mortem, licet statim non sequatur, vide *tom. 1. off. Curia cap. 23.*

20. *Sed quid, si ex odio in Clericum, vel Monachum mortuum manus violentas injiciat?*

(Hh) 3

Resp.

Resp. Sperellus decif. 21. probat esse excommunicatum, ex quo privilegio Canonis gaudeant in memoriam pristinae dignitatis; ponderavit enim Pelinus Privilegium Canonis non esse datum ratione Ordinis præcisè, cum sit etiam datum Convertis, Laicis Religiosis, & Novitiis, cap. non dubium de sent. excom. & idèd absolvi non potest; propter quod ego ibid. ad Sperellum accessi. Sed id non placet Fagnan. in 5. cap. à nobis il secondo de sent. excom. nu. 29. nam Canon. si quis suadente, loquitur de Clericis, corpus autem mortuum non est Clericus, quia characterem non habet, quod non corpori, sed animæ imprimi ur; & sicut præcidens caput mortui, non sit irregularis, quia cada ver mortuum non est homo; sic in casu, quia corpus mortuum non est Clericus, excommunicationem ipsam non incurrit. Nec obstat, quod privilegium Canonis sit datum, etiam Convertis, & Novitiis non ordinatis, quoniam datur eis, dum vivunt, non autem post mortem; utraque sententia est probabilis, secunda tamen mihi magis placet, & idèd retracto dicta offic. curie caput. 23. numero 31. verum peccuens semper peccat.

21. Sed quid, si explodens scelopum in Clericum, non ex pila, sed ex strepitu territus, Clericus decedat?

Resp. Est excommunicatus, & non potest absolvi, quia hæc actio censetur injuriosa, & violenta in Clericum, clamor enim scelopitangit ipsum, & violentiam majorem ei non potest inferre. Bonacc. de cens. disp. 1. quest. 4. punct. 1. §. 1. nu. 12.

22. Quæritur, An possit absolvi, qui

percutit Clericum consentientem percussioni?

Resp. Negative, quia est excommunicatus, cum injuriam inferat Ordini Clericali, in ejus favorem, & non solum Clerici ordinati, Canon fuit promulgatus, cap. contigit il primo de sent. excom. mun. immò, & ipse Clericus consentiens excommunicatur, quia injuriam inferat statui Clericali.

23. Quæritur, An possit absolvi, qui Clericum, vel Monachum invenit cum matre, sorore, & propria filia, venerem, vel impudicos amplexus exercentem, aut in loco suspecti consortii, & percussit, vel occidit?

Resp. Affirmative, quia, licet mortaliter peccet, non censetur excommunicatus, cap. si verò il 1. de sent. excom. mo ad ex dolo, & fraude Clericus ad dictas personas non invitetur, ut deprehensus ibid. lædatur; verum censura ligatur, si statim non percussit, aut occidat, sed interposito temporis spatio, quo justus dolor sedari posset; vel, si cum aliis consanguineis reperiat peccantem, ut ibi in terminis textus.

24. Sed quid, de famina honesta, qui Clericum, vel Religiosum ad turpia provocantem percussit?

Resp. Si alia via, ut fugiendo, vociferando, vel alio modo se tueri non possit, & provocatio fiat facta, & non solo verbo, ab excommunicatione excusatur. Toletus, & Diana cum Navarro, & sic absolvi potest.

25. Quæritur, An absolvi possit, qui vim vi repellendo percussit, vel occidit Clericum, vel Religiosum injustum aggressorem?

Resp.

Resp. Affirmativè, quia excommunicatione non ligatur *ex alleg. cap. si vero, & cap. ex tenore*, modò cum moderamine inculpatae tutelæ, sic scilicet, ut non ad vindictam sumendam, sed ad injuriam propulsandam, & se defendendo percussio, vel occisio sequatur, juxta dicta *cap. 13. num. 11.*

26. Queritur. *An possit absolvi mandans Clerici percussorem?*

Resp. Negativè, quia, effectu sequuto, excommunicatione innodatur, *cap. Mulieres, §. Illi verò sit. cit.* nec obstat, si mandatum revocaverit, nisi curaverit notitiam de revocatione ad mandatarium pervenire, priusquam occidat, vel percutiat. Idem valet de Sociante homicidum animo occidendi, *cap. sicut il. 1. de homicid. §. autem*, & de non impediante, qui tenetur impedire, ut Reges, Judices, Superiores, Patres, Majores, Clerici, Parochi, & similes respectu filiorum, & subditorum, quorum cura ipsis data est, *cap. quanta de sent. excom. Bonac. disp. 3. q. 4. quæres 1. num. 9. & de ratum habente, cum ad eum pervenerit Clericum suo nomine fuisse percussum, licet percipienti non commiserit cap. cum quis de sent. excom. in 6.* quia, ut ibi textus ratihabitionem trahitur, & mandato debet comparari: super quo *Gloss. ver. Titius, notat* ratihabitionem trahi retro, & operari idem, ac si in principio actus intervenisset: secus dicendum, si rata habeatur percussio, non suo nomine facta, licet graviter peccet.

27. Sed quid, *de eo, qui consulto Clerici percussorem, & postea revocat consilium, sed adhuc consultus ad percussorem procedit?*

Resp. Mihi satis probabilis est soluti. *Layman. lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 5. à nu. 7.* ubi hæc sunt: qui alteri, propositis rationibus, homicidium Clerici persuasit, si eas postea serio, & quatenus potest efficaciter retractet, non incurrit excommunicationem, quamvis postea homicidium sequatur; ratio est, quia quilibet prudens certè præsumet, quod, cum sit persuasus contrariis rationibus, præponderantibus jam datis, homicidium postea sequutum non consulens consilio, & firmiter, sed propriæ malitiæ, quæ dissuasionem, serio oblatam noluit acceptare, debeat adscribi.

28. Queritur. *An Comes, rirremium, vulgo Aguzzino de Galea, incurrat excommunicationem Canonis, percutiendo Clericos, & Religiosos Galeatas?*

Resp. Negativè, modò percutiat, sicut ceteros renigantes: secus si ob alias causas, sicut alius quilibet, qui rixando illos percuteret, *Sum. Leand. ver. degradat. num. 3. Bonac. disp. 2. qu. 4. punct. 3. num. 4.*

29. Sed quid, *de Magistro, & Superiore, qui causa disciplina, & correctionis Clericum, & Religiosum percutiunt?*

Resp. Non incurrit excommunicationem, quia id non suadente diabolo, sed suadente justitia, charitate, & zelo Dei, ac disciplinæ efficiunt, *cap. ex tenore, & cap. cum voluntate de sent. excom.* modò castigatio non ex irato animo procedat, *ex Gloss. ver. inferiorum graduum, & sit* moderata, ac sine notabili excellè, aliàs censura non evitabitur.

Verum, si Magister, & Superior, &c. sit Læicus, possunt tantum causa disciplinæ percutere filios, & subditos in Minoribus



bus constitutos, ut expresse alleg. cap. cum voluntate; indecens enim est statui Clericali, Laicis concedere potestatem corrigendi Clericos in Saeris; & hinc, nec ipsi Prælati possunt per Laicos, Clericos, vel Monachos punire; alias, tam mandans, quàm Mandatarius censura ligatur cap. universalitatis cit. tit.

30. Quæritur. An occidens Clericum, quem putabat esse feram, vel hominem laicum, incurrat excommunicationem Canonis?

Resp. Negativè, ratio est, quia probabilis ignorantia facti excusat à censura, ex cap. si vero il. 2. de sent. excom. nam; qui ignorans est, non potest dici contumax contra prohibitionem Ecclesie, & legem contemnere, modo ignorantia non sit crassa, sed sit invicibilis, vel probabilis vid. lib. 2. cap. 39. num. 2.

31. Sed quid, si percutiens Clericum, quam dubitat esse Clericum, nullam, vel modicam adhibuit diligentiam ad se certiorandum, an esset Clericus?

Resp. Ligatur excommunicatione, nam iste laborat ignorantia crassa, & vincibili, quæ ab excommunicatione non excusat. Bonacc. disp. 1. qu. 2. punct. 1. num. 18. & Engel. jus can. lib. 5. tit. 39. §. 1. num. 10.

32. Quæritur. An procurans baculo, vel lapide Titium Clericum percutere, si casu, & errore manus offendat Cajum Clericum, excommunicatione ligetur?

Resp. Negativè, ratio est, quia in eo non fuit intentio nocendi Cajum, & quod ipsi nocuerit, fuit præter intentionem; modo diligentiam adhibuerit, ne ictus pervenerit ad Cajum, vel sufficienter inquisierit, an ille, qui errore manus percu-

titur, esset Clericus, & cognoverit non esse. Engel. cit. & ex Suarez, Bonac. num. 19.

33. Sed quid de eo, qui nocte volens percutere Titium Clericum, percussit Sempronium Clericum, quem ex incessu cognovit esse Clericum, putat tamen esse Titium, & non Sempronium?

Resp. Ligatur excommunicatione, ac si Titium percussisset, quia ejus intentio fuit Clericum percutere, & defacto percussit, quamvis in persona erraverit, & hinc tam intentio, quam opus externum fuerunt injuriola statui Clericali; in casu reverentiam imposita fuit excommunicatio.

34. Quæritur. An percutiens Laicum credens percutere Clericum, & ex percussione ipsius incurri excommunicationem, excommunicatione ligetur?

Resp. Negativè, ratio est, quia id in jure non exprimitur; nec erronea conscientia inducit excommunicationem, sed legitimus Superior. Adverte, quod in casu peccaret peccato Sacrilegii interni, propter intentionem contra personam Clerici, non verò Sacrilegio externo, quia opus externum non foret contra Clericum.

35. Quæritur. An percutiens plures Clericos, successivè, plures incurrat excommunicationes Canonis?

Resp. Affirmativè; tot incurrit, quot Clericos percussit; ratio est, quia percussiones sunt plures formaliter, & numero distinctæ, sicut sunt plura numero distincta objecta, & plures Clerici. Bonac. disp. 1. qu. 1. punct. 5. num. 6.

36. Sed quid, si simul, & eodem tempore

per uno ictu tres Clericos percutiat, vel occidat?

Resp. Tres excommunicationes incurrit; hæc est sententia tutior, quam tuentur Navarrus, Zerola, Sayrus, Ugolinus, aliique; ratio est, quia pluralitas peccatorum sumitur, etiam ex multiplicitate personarum, & objectorum; sed in casu sunt tres Clerici, quibus omnibus injuria, & læsio infertur, ergo tria peccata, ergo tres censuræ, sicut tres percussiones passivæ.

37. Sed quid, si eundem Clericum pluribus verberibus percutiat, & pluribus ictibus perfodiat?

Resp. Si eodem impetu iræ simul, & sine interruptione verberat, unam tantummodò excommunicationem incurrit, ratio est, quia censetur una tantum actio moralis, una percussio, una transgressio, unum delictum; si verò verberet successivè cum morali interruptione unius percussiois ab altera, tot censuras incurrit, quot sunt percussiones numero distinctæ moraliter interruptæ: nam toties injuria Clerico irrogatur.

38. Queritur. An percutiens Monachum Prima Tonsura initiatum duplici censura ligetur?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia in Monacho sunt duæ circumstantiæ mutantes speciem, nam illa Monachi differt specie ab illa Clerici, cum alia ratione ei debeatur reverentia, ut Clerico, & alia, ut Religioso, ideo quævis sit una percussio materialiter, & entitativè, formaliter tamen sunt plura peccata, & transgressiones.

39. Queritur. An possit quilibet Confessarius, approbatus ab Ordinario, absol-  
Matthæucci Causela Confess.

vere excommunicatum propter percussio-  
nem Clerici, in casu aliquo necessitatis, qui non sit articulus mortis, ut, si propter aliquod legitimum impedimentum non possit. Sedem Apostolicam pro absolutione adire; puta, si foret famina, senex, puer, impubes, infirmus longa infirmitate, non periculoso, Cæcus, Claudus, Debilis qui ad tale iter suscipiendum impediti censentur juxta Cap. ea noscitur, cap. Nuper, cap. Mulieres, cap. de Monialibus, capit. Quamvis de sentent. excommunic.

Resp. Negativè, nam prohibetur in dec. Clement. VIII. per dicta cap. 8. nu. 20. In casu veri impedimenti adeundi Sedem Apostolicam instruantur de recur-  
su ad Sacram Pœnitentiarum per Epistolam, vel Procuratorem pro absolutione obtinenda.

40. Queritur. Quid ab absolvendo ab excommunicatione reservata ante absolutionem sit exigendum?

Resp. De hac re diximus cap. 2. num. 15. legas cap. ex tenore de sent. excom. & cap. super de raptor.

41. Ad dubitatur. An valida sit absolutio, quæ datur excommunicato, antequam parvi læsæ sit, satisfactum, vel priusquam juramentum sit præstitum de parendo in posterum mandatis Ecclesie?

Resp. Affirmativè, ex cap. Venerabilibus de sent. excom. in 6. s. Sanè in fine; excipitur casus Bullæ Cœnæ juxta notata, cap. 3. num. 26. Sed Confessarius peccat, quia in re gravi facit contra Sacros Canones.

42. Queritur. An qui hac lege est excommunicatus; sis excommunicatus, donec satisfacias, vel restituas; collatur  
(11) tur

in censura statim, ac quis satisfecerit, vel restituerit, absque absolutione verbalis, solita dari à Ministro Ecclesie?

Resp. Negativè, ratio est, nam, licet satisfecerit, non habetur ab Ecclesia pro absoluto, sed absolvi debet, cap. quod in dubiis de sent. excomm. ergo non statim tollitur excommunicatio; ideo sensus huius clausulæ: *si excommunicatus, donec satisfecerit*: est, excommunicatum non posse absolvi ante satisfactionem, posse verò, ea praestita. Bonacc. disp. 4. quest. 3. punct. 9. num. 10.

43. *Quæritur. An ob diversas culpas, & contumacias pluribus excommunicationibus, sive numerò, sive specie distinctis, ligatus, ut, propter violentam manus iniectionem in plures Clericos, vel propter istud, & violationem immunitatis Ecclesiasticæ, absolutus ab una, censatur absolutus ab omnibus?*

Resp. Vel petens, petit absolutionem ab una, vel ab omnibus, si ab una, quoad eam tantum absolvitur, non quoad reliquas; hinc, qui tres Clericos percussit, & p. tit absolutionem à censura, incurfa ob percussorem unius Clerici, aliis non expressis, ab una solum censura absolutus remanet, cap. ex parte de offic. ordi. & cap. cum pro causa de sent. excomm. Piasec. prax. Episc. p. 2. cap. 4. ar. 13. nu. 30. ratio est, quia absolutio ex Bonaccina cit. disp. 1. qu. 3. punct. 1. debet accommodari petitioni, ideo, si petitio limitata est, limitata est absolutio; si petit ab omnibus, debet exprimere numerum, quantum possibile est, & causas, ob quas fuit excommunicatus, ex Gloss. ad est. cap. ex parte in princip.

44. *Quæritur. An possit, quis absolvi*

peccatis, non dum absolutus ab excommunicatione?

Resp. Affirmativè, in casu, quo confiteatur peccata, & inculpabiliter ignoret, se esse ligatum censura, vel, dum in Confessione ex inculpabili inadvertentia censuram aperire omittit, vel, dum Confessarius ex oblivione, aut malitia eum solum à peccatis absolvit; ratio est, quia talis recipit validè Sacramentum Penitentiae, tam quoad substantiam, quam, quoad fructum gratiae & remissionis peccatorum; quoad substantiam, quæ adest materia, forma, & intentio, ac iurisdicção, ut suppono: quoad fructum etiam, quia res, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit, cap. cognoscentes de const.

45. *Ceterum, dum cognoverit se censura esse innodatum, tenetur petere absolutionem censura, & confiteri peccatum, cui annexa fuerit censura omitti, nisi forte confessus sit Confessario, habenti facultatem absolvendi ab illa censura, & ab eo obtinuerit generalem absolutionem à censuris; nam tunc non tenetur in posteriori Confessione aperire peccata oblita, ut à censura absolvatur, sed, ut integrè confiteatur peccata. Bonacc. disp. 22. quest. 2. punct. 2. num. 2. de excomm.*

46. *Quæritur. An in articulo mortis quisvis Sacerdos possit absolvere ab excommunicatione reservata?*

Resp. Affirmativè, juxta Decret. Trid. sess. 14. cap. 7. de casuum reservatione, sed ad praxim deduces dicta cap. 2. num. 15. & not. ab in eo articulo non posse quemlibet simplicem Confessarium dispensare ab irregularitate, aut absolvere à suspensione

pensione ab Ordine, Officio, vel Beneficio: ratio est, quia irregularitas, & suspensio à prefatis non retardant à consecutione gloriæ, nec impediunt susceptionem Sacramentorum, & ideo non est paritas de excommunicatione.

47. Quæritur, an sit aliqua forma adhibenda in absolutione ab excommunicatione, suspensione, & interdictione?

Resp. Cum quis pro foro interno, & in Sacramento penitentiae absolvitur à censuris, sufficit præferre illa verba, *Dominus, &c. Ego absolvo te à vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti*, ut traicit Rituale Romanum de *Sacrament. penit.*

48. Cum verò est quoque quis pro foro externo absolvendus, si absolutio sit ab excommunicatione, præmisso *Misereatur, &c. Indulgentiam, &c.* dicendum est: *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius, & Sanctissimi D. N. Papæ N. vel Reverend. Episcopi N. aut Reverend. Generalis, &c.* (cum absolvit ex delegatione ab eis respectivè habita) *mibi concessa, absolvo te à vinculo excommunicationis, (vel excommunicationum) in quam incurristi (vel incurrisse declaratus es) propter tale factum, vel causam (ut percussio- nem Clerici, violationem immunitatis Ecclesiasticæ) &c. & restituo te Communioni, & Societati fidelium, & Sacramentis Ecclesiæ, in nomine Patris, &c.*

49. Pro absolutione à suspensione dicendum: *Dominus, &c. & ego, &c. absolvo te à vinculo suspensionis, quam propter tale factum, vel causam incurristi, & restituo te executioni tui mu-*

*neris, vel Ordinis, vel ad tuum beneficium, in nomine, &c.*

50. Pro absolutione ab interdictione, aliis præmissis, *ego, &c. absolvo te à vinculo interdicti, quod propter tale factum, vel causam incurristi, vel incurrisse declaratus es, & restituo te executioni ordinum, & participationi bonorum, quibus ob interdictum remanebas privatus, in nomine, &c.*

51. Cum verò agitur de tollenda irregularitate (quæ non sub absolutione, sed sub dispensatione cadit) post absolutionem à censuris dicatur. *Eadem auctoritate mibi commissa, dispenso tecum super irregularitate, in quam ob ealem causam ver. gr. propter homicidium, aut ministerium Ordinis sacri in excommunicatione, vel similem, &c. incurristi, & habilem reddo, ac restituo te executioni Ordinum, & Officiorum tuorum, in nomine Patris, &c.*

Nota, Sacerdotem ligatum excommunicatione majori, & simul irregularitatem, absolutum ab excommunicatione, & non dispensatum ab irregularitate, non posselicitè celebrare, & si celebrat, mortaliter peccat.

52. Agunt etiam DD. de excommunicatione, quæ fulminat in monitoriis ad finem revelationis, hoc est, ad revelanda furta, res subtractas, aut deperditas, vel rem alienam restituendam, juxta extravag. Infidelis Joan. 22. inter extravag. com. sub tit. de furtis, & cap. 3. Trid. sess. 25. & Constit. B. Pii V. incip. *Santissimus in Christo apud Quaranta Bullar. ver. excom. ad fin. revelat.* de qua re videndus Piafec. cit. cap. 4. art. 13. num. 15. Engel. cit. §. 1. num. 22. Quilici Confess.

*mand. qn. 4. art. 4. Genuen. prax. cap. 2. ex quibus aliqua transferimus pro praxi Confessarii.*

53. *Quæritur. An principalis, seu fur teneatur se revelare, & possit compelli excommunicatione, non solum ad restituendum, sed etiam ad revelandum se rem detinere?*

*Resp.* Decisio pendet à tenore monitorii, si datum sit, tam contra principalem non restitutum, quam non revelantem, tunc tenetur restituere, & revelare sub pœna excommunicationis; si verò sit datum contra principalem non restituentem, & contra alios scientes, occupatores, & non revelantes, sub excommunicatione, alii, at ipse non tenentur revelare, sed ipse sub ea pœna restituere tenetur.

54. *Sed quid, si ei immineret periculum majoris damni in vita, vel fama?*

*Resp.* Non tenetur, se revelare arg. in c. officii de pœnit. & remis. verum tunc debet, si potest occultè restituere, vel alio modo eum parte concordare, saltem per interpositam personam, quæ nomen principalis taceat, vel ei remissionem debiti impetret.

55. *Sed quid etiam, si in compensationem justam sui veri debiti retineat rem, de qua quæritur?*

*Resp.* Ex Quilici, & Genuen. tunc non tenetur se manifestare, nec restituere, cum tunc non sit in peccato mortali, ratione cujus fertur excommunicatio: peccavit, tamen, dum sibi compensavit, juris ordine non servato, non expectando exitum cause; verum si aliis furtum esset imputandum, crederem debere se prodere, vel rem restituere.

56. *Sed quid, si principalis sit factus impotens ad solvendum?*

*Resp.* Nec tunc obligatur ad se manifestandum, quia tunc non potest restituere, & nemo ad inutile tenetur; verum restituere tenetur, cum poterit, & si tunc potest partem aliquam furti, debet Quilici num. 8. ubi excusat, etiam habentes noticiam de ejus impotentia.

57. *Quæritur. An sciens teneatur revelare, dum probare non potest, id, quod scit, & revelat?*

*Resp.* Affirmativè, nam monitoria non dantur nisi pro revelandis occultis, & quomodo scit, quod probari non possit? pareat ipse præcepto, & de onere probandi non curet.

58. *Adverte, quod tenetur quis revelare impedimentum matrimonii, etiam occultum; eum unus testis sufficiat ad impediendum Matrimonium, & sit plena probatio ad hunc effectum, cap. præterea de sponsalibus.*

59. *Non tenentur ii revelare, quos pars, vel Judex, verisimiliter non intendit includere, nec comprehendere in monitorio. Sic pater non præsumitur, quod velit filium, qui ejus bona furtivè, excommunicari, nec maritus uxorem, & ideo non comprehenduntur, licet teneantur ad restituendum. Genuen. num. 10.*

60. *Quæritur. An, qui audivit ab alio, teneatur revelare?*

*Resp.* Vel, qui audivit, si sub secreto naturali fuit narratum, petendo consilium, vel alia via, quam consilii: primo modo non tenetur revelare, quia ad bonum commune spectat, ut quis ab Advocato, Theologo, Medico, &c. con-

silium

scilicet petat sine timore revelationis; sed hoc limitatur, nisi bonum commune Reipublicæ, & Religionis preferendum sit bono particulari, in quo casu, etiam sine monitorio, tenetur quis revelare per dicta cap. 4. num. 6.

Secundò modò tenetur aperire, à quo auditur, quia poterit Iudex ex officio interrogare illum, qui fortè majorem lucem afferet; maxime, si persona sit fide digna; in dubio autem; quando audiens nescit discernere dictam qualitatem in eo, à quo auditur, debet revelare ex regula juris, quod tutior via sit eligenda, ex Navarro Genuen. nu. 11.

61. Sed queritur, an possit Confessorius absolvere ab excommunicatione contrahita à seipso, qui non revelavit?

Resp. Negativè, si vè excommunicatio sit specialiter lata, hoc est, per sententiam specialem imposita alicui certæ personæ nominatim, & determinatè; si vè generaliter inflicta, per sententiam Iudicis, vel Superioris generaliter contra peccata futura, ut, si quis hoc fecerit, sit excommunicatus; vel præterita, in eorum satisfactionem, ut, si quis pro tali delicto non satisfecerit, sit excommunicatus, non determinando personam, qua est postea determinanda; nam de utraque verificatur, quod sit ab homine lata, à qua absolvere diximus num. 16. esse ordinario Confessorio prohibitum. Legas Layman. Th. moral. lib. 1. tr. 5. p. 1. cap. 7. à nu. 2. & 3.

## REGULA UNICA.

Quamplures excommunicationes reservatæ Pontifici.

**C**athalogus excommunicationum, tam earum, quarum absolutio est Summo Pontifici reservata, quam ipsarum, quæ reservatæ non leguntur, eruendus est ex Decretalibus Gregor. IX. Sexto Decretalium, Clementinis, Extravagantibus, Decreto Gratiani, Bullario, Conciliis, & aliis Apostolicis Litteris; ex quibus ego huc referre conabor aliquas, & fortè frequentiores, pro quarum absolutione recurrendum est ad Sedem Apostolicam, remisso lectore pro cæteris, & non reservatis ad loca præfata, & DD.

## §. I.

Ex Decretalibus Greg. IX.

62. **I. R**eservatur Summo Pontifici absolutio ab ea excommunicatione, quæ incurritur ob violentam manuum injectionem in Clericum, vel Monachum. Cap. Super eo; cap. Si vero il. 1. & 2. cap. Non dabim; cap. Parochianos; cap. Sum nos de sent. excom. & cap. Si quis suadente 17. quasi. 4. etiam si injectio occulta fuerit; cap. Porro cir. tit.

II. Reservatur absolutio ab ea, qua ligatur mandans Clerici, vel Monachi percussorem; cap. Mulieres ibid.

III. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur scienter in divinis officiis communicantes excommunicato à Papa; cap. Significavit ibidem.

(1) 3

IV. Re-

IV. Reservatur absolutio ab ea, qua irretitur incendiarius, postquam fuerit excommunicatus denunciatus; capit. *Sua nos.*

V. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur spoliantes Ecclesias cum estractione, qui per Papam tantum post denunciationem absolvuntur; cap. *Conquesti* ibid.

VI. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur tam Prælatus, quam Laicus, cui Prælatus committit, etiam causa disciplina Regularis Clericum verberare; ipse enim Prælatus id per se ipsum, vel si necessitas urget, per alium Clericum, vel Monachum, debet exequi; capit. *Universitatis* ibid.

VII. Reservatur absolutio ab ea, qua ligatur consentiens in Clerici percussione; cap. *Quanta* ibid. ubi Glos. dixit, *Quod, qui Clericum verberat, & qui verberari facit, vel consentit cooperando, vel, qui auctoritatem habet ex officio, & non prohibet, si potest, est verè excommunicatus.*

VIII. Reservatur absolutio ab ea, qua ligatur Laicus detinens Clericum, vel Monachum in custodia publica, aut privata, vel sine latione corporali; capit. *Nuper* ibid.

IX. Reservatur absolutio ab ea, qua ligatur Clericus, etiam consentiens in sui percussione; cap. *Contingit*, ibid. ratio est, ut ibi textus, *quia huiusmodi manus injectio, & si non violenta, tamen injuriosa videtur: cum ille Canon non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem ordinis Clericalis fuerit promulgatus. Ubi Glos. prima notavit, quod volenti, scienti, & patien-*

ti sit injuria, si in eo laedatur jus alterius.

Et non modò consentiens, verum & percuciens censura ligatur; quia manus temerarias, & causa ulciscendi injuriam suam manus temerarias in Clericum injicit. Percussio, tamen injuriosa non esset Clerico percusso, ut Petro, etiam, ut Clerico, & statui Clericali injuriam irrogaret.

## §. II.

*Ex Sexto Decretalium.*

63. I. SUMMARIO Pontifici reservatur absolutio ab excommunicatione, qua ligatur percuciens Novitium Religiosum; cap. *Religioso*, §. *Quamvis de sent. excom.*

II. Reservatur absolutio ab ea, qua ligatur ratam habens violentam injectionem manuum in Clericum, nomine suo, licet non suo mandato, factam; cap. *Cum quis* ibid. Ratio datur in textu: quia rathabitio retrahitur, & mandato comparetur; si verò injectio eadem tuo nomine non sit facta, tunc, licet peccet ratham habendo, non tamen propter hoc excommunicationis illius vinculo innodaris, cum quis ratam habere nequeat, quod ejus nomine non est gestum.

III. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur deliberatè in scriptis glossantes, & depravantes intellectum Decretalis, Exiit, ac facientes libellos, & ex certa scientia prædicantes contra regulam, & statum Frat. Min. cap. *Exiit de verb. signif. in 6.*

## §. III.

§. III.

Ex Clementinis.

64. I. **R**eservatur Summo Pontifici absolutio ab excommunicatione, qua ligantur Religiosi, & Clerici Seculares inducentes aliquos ad vendendum, jurandum, vel promittendum, ut eligant sepulturam in propriis Ecclesiis, vel, ut jam electam ulterius non immutent. *Clementina Cupientes. §. Sanè de panis.*

II. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur Religiosi Clericis, aut Laicis ministrantes sine licentia Parochi Sacramentum Extremæ-unctionis, vel Eucharistiæ (intellige per modum Viatici) vel solemniter benedicentes matrimonia, aut absolventes excommunicatos à Canone (præter quam in casibus à jure expressis; vel per privilegia Sedis Apostolicæ eisdem concessa) vel à sententiis per statuta provincialia, aut Synodalia promulgatis. *Clement. Religiosi de privileg.*

III. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur Domini temporales cogentes aliquos celebrare divina officia in loco interdicto; vel ad ea officia audienda facientes voce præconis; vel Campanæ vocare aliquos præsertim excommunicatos, vel interdictos. Vel prohibentes, ne publicè excommunicati, aut interdicti exeant de Ecclesiis, dum in ipsis Missarum solemnia aguntur, & à celebrantibus monentur, ut exeant. Vel publicè excommunicati, aut interdicti, qui in ipsis Ecclesiis, nominatim à cele-

brantibus, moniti, ut discedant, remanere præsumunt. *Clement. Gravis de sent. excom.*

§. IV.

Ex Extravagantibus communibus.

65. I. **R**eservatur excommunicatio, qua ligantur Religiosi, qui sine sui Superioris licentia se transferunt ad partes transmarinas, hoc est ad loca Turcarum; *cap. Ad nostrum de Regul. & transeuntib. ad relig.*

II. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur Religiosi exigentes tam à maribus, quàm à sceminis volentibus ipsorum Monasteria ingredi, aliquid etiam ad pium usum deputatum, vel deputandum; *cap. Sanè de Simonia.* Qua etiam ipsi dantes supposita pactione innodantur. *Ibidem.*

Verùm possunt Religiosi recipere quidquid ingredientes parè, spontè, & plena libertate, ac omni pactione cessante dare, vel offerre, Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, &c. voluerint. *Ibidem.*

Sed id ante professionem, excepto vestitu, & vestitu, recipi sub excommunicatione prohibetur à Trid. *cap. 16. ses. 25. de Regul.*

III. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur omnes, qui simoniam, dando, vel recipiendo committunt, sive sint principales, sive mediatores, & procuratores, ut simonia committatur; *cap. Cùm detestabile ibid. & tom. 1. Bulgar. const. Eugenii IV. Cùm detestabile, la 7.*

IV. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur

ligantur



ligantur absolventes à casibus expressis in Extravag. *Et si Dominici Gregis de penit. & remis inter extravag. com.* Hinc Confessarius sciat, Sixtum IV. plura privilegia absolvendi, & dispensandi concessisse, sed quia id cedebat in animarum perniciem, ne facilitas veniæ peccandi tribueret incentivum, ut ipse loquitur, declaravit privilegia à se concessa non esse extendenda ad casus, quos in ea enumerat, in qua disponit, à se privilegiatos absolvere non posse à casibus contentis in Bulla Cœnæ: item ab omni læsione immunitatis Ecclesiæ: à violatione interdicti positi à S. Sede: ab hæresi: à conspiratione in Romanum Pontificem: à rebellionem, & inobedientia ejusdem, & S. Sedis.

Circa verò vota statuit, non posse commutare vota peregrinationis *ultramarine*, *visitationis liminum Apostolorum, Petri, & Pauli, S. Jacobi in Compostella, & Castitatis, ac Religiosis*, sub pœna nullitatis absolutionis, & commutationis, ac excommunicationis absolventibus, & commutantibus, Romano Pontifici reservata. Quod debent privilegiati notare, nisi super hoc habuerint ab hoc Papa privilegia, quia cum hodie sint revocata, in vim illorum nullibi possunt absolvere, & commutare.

V. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur, qui alterutram opinionem de Conceptione B. M. V. damnant peccati mortalis, vel hæresis, Sixtus IV. capit. *Grave de reliq. & venerat. Sanct.*

VI. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur alienantes absque beneplacito Apostolico bona Ecclesiastica. Extravag. *Ambrosia*. Pauli de reb. Eccles. non

alienan. Et licet in Extravaganti expressè excommunicatio non sit reservata Pontifici: tamen Confessarius ordinarius non potest se in absolutione ingerere. Nam praxis S. Congr. Concilii est, absolutionem ea de re Episcopis committere, ut dixi Offic. Curia Eccles. capit. 45. ideo saltem ex praxi reservata est; Tum quia sic alienantes sine beneplacito incurrunt non tantum pœnas dictæ Extravagantis, sed etiam censuram Papæ reservatam, cap. 11. *ses. 22. Trid. de ref.*

## §. V.

*Ex Bullario Cherubini.*

66. I. **S**ummo Pontifici reservatur absolutio ab excommunicatione, qua ligantur promittentes, & acceptantes, dantes, & recipientes aliquid pro obtinenda gratia, vel justitia à Sede Apostolica. Item scientes, & non revelantes: const. *Excommunicamus la. Bonifacii VIII. to. 1. Quodro. 5.* renovavit Alex. VII. const. *Inter la. 19. & sub anno 1699. Innoc. XII. const. Sacerdotalem, & Regiam. vide dicta cap. 19.*

II. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur pugnantes in duello, ad id irritantes, provocantes, auxilium, consilium, vel favorem dantes, ac illis assistentes, & interefferentes, ac cartas subscribentes, vel publicantes: const. *Providentia la. 20. Pii IV. tom. 2.* Vide supra capit. 2.

III. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur rei confidentiæ beneficiæ, ab id. const. *Romanum Pontificem la. 85. Pii IV. & const. Intolerabilis Pii V. la. 85. ibid. IV. Re-*

IV. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur Moniales exeuntes extra Claustrum extra casus in const. permillos, eas comitantes, ipsarumque receptatores, & licentiam concedentes; const. *Decret. la 8. B. Pii V. ibid.*

V. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur mulieres ingredientes Monasteria, & Domos Regularium virorum; const. *Regularium*; & const. *Decret la 20. B. Pii V. ibid.*

VI. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur, qui abutuntur licentiis ingrediendi Monasteria Monialium, ingrediendo necessitate non urgente, quam etiam inscurrunt Moniales eos admittentes; const. *Ubi gratia* Greg XIII. la 28.

VII. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur spondentes, pacificantes, & excommittas stipulantes, super vita, morte, & futura electione Romani Pontificis, ac promotionibus S.R.E. Cardinalium; const. *Cogit nos*, Greg. XIV. la 4. *ibid.*

VIII. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur docentes, defendentes, imprimentes, & ad praxim deducentes propositionem asserentium, *licere per literas, seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*; Decret. Sanctiss. Clement. VIII. l' 87. tom. 3.

IX. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur, qui pecuniis montium Pietatis status Ecclesiastici ad alios usus, quam in ipsorum erectione destinatos utuntur; const. *Onerosa* Pauli V. la 82. *ibid.*

X. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur, qui Astrologia judiciaria, vel *Matthaeucci Causula Confess.*

ante alia divinatoria per se, vel per alios inquirunt de statu Reipublicae Christianae, sive de vita, aut morte Romani Pontificis; const. *Inferutabilis* Urbano VIII. la 14. to. 4.

Super quo considerandum est, quod licet excommunicatio in adducta constitutione reservata non legatur, tamen qui contravenerit constitutioni Urbani solum à Romano Pontifice absolvitur: nam Innoc. XII. const. *Romanus Pontifex edita super facultatibus Majoris Penitentiarii* disposuit, nec eum posse, etiam in occultis, & in foro conscientiae tantum absolvere, & mandare absolvi in simili culpabiles.

XI. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur, praesumentes retinere apud se, vel legere librum, cui titulus Augustinus Cornelii Jansenii Ipresis Episcopi; ac audentes de articulis, & opinionibus, & sententiis in eo contentis loqui, scribere, & disputare: simili censura ligatur, qui, & de propositionibus à Bajo assertis extra casum impugnandi, loquitur, scribit, & disputat; constitut. *In eminenti* Urbani VIII. la 289. tom. 5.

XII. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur publice, aut privatim tractantes, vel docentes (imò forsitan impugnando) unam, vel plures ex propositionibus respectivè damnatis in Cong. SS. Inquisit. sub die 14. Septembris 1665. & 18. Martii 1666. ab Alex. VII. il 162. & il 167. Bullar. to. 5.

XIII. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur contravenientes contentis in Bulla Coenae; const. *Pastoralis* Clement. X. la 34.

XIV. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur

(Kk)

ligan-

ligantur sentientes, prædicantes, & docentes de quinque propositionibus Jansenii contra constitutionem Innocentii X. *Cum occasione*, & Alex VII. Const. *Ad Sanctam Ia* 28. Bullar. 10.5.

XV. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur, qui in Coneionibus, aliisque publicis actibus asserunt B.M.V. conceptam esse in peccato originali Alex. VII. const. *Sollicitudo Ia* 117. Bull. 10.5.

67. Quibus has alias, ex quibusdam aliis Apostolicis decretis, quæ ad manus habeo, lecturo subnecto. Quare I. Reservatur Summo Pontifici absolutio ab excommunicatione, quam incurrunt Confessores, tum Sæculares, tum Regulares, qui prætextu facultatum obtentorum extra mortis articulum, sine nova licentia, aut facultate, præsumunt absolvere à casibus contentis in Bulla Cœnar; à casibus locorum Ordinariis reservatis, & sex aliis, de quibus supra cap. 8. nu. 22. Decretum S.C. Epif. & Regul. de mandato Clement. VIII. editum fuit 9. Januarii 1601. & 26. Novembr. 1602.

II. Reservatur absolutio ab ea, quam incurrunt docentes, vel publicè, aut privatim defendentes, aut prædicantes (nisi forsân impugando) unam, vel plures ex 65. propositionibus ab Innoc. XI. damnatas, sub die 3. Martii 1679.

III. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur docentes, tenentes, vel ad præxim deducentes unam, vel plures ex propositionibus assertis à Michaele de Molinos, & ab eodem Innoc. XI. præscriptis, 28. Augusti 1657.

IV. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur, qui docuerit, vel defenderit aliquas, vel plures ex propositionibus ab

Alex. VIII. circumscriptis; aliis sub die 24. Augusti 1690. & aliis die 7. Decembre. ejusdem anni.

V. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur ingredientiæ Clausuram Monialium ad malum finem, ut dixi cap. 2. nu. 12.

VI. Reservatur absolutio ab excommunicatione, qua ligantur rei simoniæ realis scienter contractæ, *ibid.*

VII. Reservatur absolutio ab ea, qua ligantur asserentes, tenentes, & prædicantes, quod ad obediendum Literis Innocentii X. & Alex. VII. editis contra quinque propositiones Jansenii necesse non sit, ut quis interius ut hæreticum damnet sensum in dictis constitutionibus damnatum, sed satis sit, si ea de re obsequiosum silentium teneat: & quod Formula juramenti ab eodem Alexandro præscriptæ subscribi licite possit, etiam ab iis, qui interius non judicant in Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri; Const. *Vincam Domini*. Clement. XI. 17. Kal. Augusti 1705.

68. Dubitatur. Si excommunicatio ab jure non fuerit reservata, quis ab ea absolvat?

Resp. DD. non concordant; debere ab ea absolvi Episcopum privatè quoad alios inferiores, dixerunt Sayrus *de cens. lib. 2. cap. 19. nu. 2.* Covarruv. & Paludanus, alique apud Gonzalez *in Tit. 3. 1. cap. 8. nu. 9.* Piascus *prax. p. 2. cap. 4. art. 13. nu. 36.* scripsit, quod ab excommunicatione majori à jure lata, si Conditor legis absolutionem sibi non reservavit, absolvi debet Episcopus. Quos sequitur Monacell. *for. p. 2. for. 4. 9. tit. 14.*

Ideo Confessarius alius non potest, nisi ei ab Episcopo committatur.

Diana verò *Coord. 10. §. tr. 1. resol. 194.*  
*Layman. Theol. moral. lib. 1. to 5. p. 2. cap. 5.*  
*nu. 1. Illung. Theol. moral. tr. 3. art. 3. n. 17.*  
*Gonzalez. cit. Fagnan. in 5. ad cap. Nuper*  
*nu. 16. de sent. excom. Abellii Medul. p. 2.*  
*de censur. cap. 6. §. 6. nu. 1. dixerunt ex ta-*  
*cita commissione Conditoris Canonis*  
 posse absolvi etiam Parochos, ceteros-  
 que Sacerdotes habentes jurisdictionem  
 ad absolvendum à peccatis, per tex. in  
 cap. *Nuper de sent. excom. ibi: a suo Epif-*  
*sopo, vel proprio Sacerdote poterit ab-*  
*solutionis beneficium obtinere ... quia*  
*tamen Conditor Canonis ejus absolutio-*  
*nem sibi specialiter non retinuit, eo ipso*  
*concessisse videtur facultatem aliis rela-*  
*xandi.* Appellatione autem Episcopi  
 veniunt omnes habentes jurisdictionem  
 Episcopalem, Patriarchæ, Primate,   
 Archiepiscopi, & Episcopi. Appella-  
 tionem verò proprii Sacerdotis, Sacerdo-  
 tes illi, qui præpositi sunt administra-  
 tioni Sacramenti Pœnitentiæ, Gonzalez  
 ibid. Quare prima sententia procedit quo  
 ad utrumque forum; secunda verò quo  
 ad forum conscientie tantum; & ita con-  
 cordantur, ut apud d. Piafec. cap. 1. art. 3.  
 numer. 8.

69. Sed, an possint saltem quoad fo-  
 rum conscientie Confessarii Regulares  
 absolvi faculares.

Resp. Eis negatur in d. Clement. Reli-  
 giosi, nisi à Sede Apostolica habeant pri-  
 vilegia. Quisque videat, quid à Sede  
 Apostolica receperit.

70. Peti potest, quid importet clau-  
 sula, quæ solet in nonnullis Literis in-

seri, & in subsidium juris excommuni-  
 camus, &c.

Resp. Importat, quod tunc censura  
 ferenda est, ubi in causis tam civilibus,  
 quam criminalibus fieri non potest exe-  
 cutio realis, vel personalis, juxta Trid.  
 sess. 25. cap. 3. de ref. ubi disponitur, quòd  
 ubi executio realis, vel personalis fieri  
 potest, est à censuris abstinendum: ubi  
 verò vel hæc locum non habebat, vel  
 alia via non poterit provideri, tunc in  
 subsidium procedendum est ad excom-  
 municationem, quòd jure communi cau-  
 tum non erat; sed potius ordine inver-  
 so, prius utendum erat gladio excom-  
 municationis; eoque non proficiente in  
 subsidium deveniendum erat ad captu-  
 ram, seu personalem distractionem; cap.  
*Odoardus de solution. cap. Licet de pœn.*  
*Fagnan. in 5. ad cap. Sacro n. 25. de sent.*  
*excom.*

71. Confessarius ponderet, quòd li-  
 cèt Sedi Apostolicæ peccata regulariter  
 reserventur ratione censuræ, aliqua ta-  
 men dantur, quæ reservata censentur  
 ratione sui, & sine censura: hujus gene-  
 ris est peccatum, quòd committunt,  
 qui munera à Regularibus contra const.  
 Clement. VIII. editam 13. Kal. Julii 1594.  
 recipiunt; quorum absolutio reservatur  
 Summo Pœnitentiario, prout in Bulla  
 Innoc. XII. edita tertio nonas Decembr.  
 1692. super facultatibus Majoris Pœni-  
 tentiarii: cui injungitur, ne recipien-  
 tes ultra valorem decem scutorum, ex-  
 ceptis medicinalium, seu devotionis mu-  
 neribus, ante factam restitutionem,  
 absolvat, nec mandet absolvi: infra ve-  
 rò prædictum valorem, non nisi facta,  
 arbitrio ipsius Majoris Pœnitentiarii,  
 seu

seu per eum eligendi Confessarii, elemosyna, quæ in beneficium Religionis, seu Conventus, cui de jure facienda esset restitutio, si cautè fieri potest, erogetur: ut ibi textus; quem inutile non foret inspicere.

## CAPUT XXXIV.

Prop. XLV. ab Alex. VII. &c.  
Libri prohibiti.

1. PROP. 45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Propositio directè opponitur dispositioni, quæ habetur in primo Canone Bullæ Cœnæ, & in decima ex regulis Indicis librorum prohibitorum, jussu Tridentinæ Synodis editis, & à Pio IV. constituta. Dominici 24. Martii 1564. comprobatis, prout in sequentibus patebit, quæ propterea Confessarium legere non pigeat.

2. Quæritur, an sit differentia inter libros prohibitos?

Resp. Affirmativè: duplex statuitur librorum prohibitorum classis: in prima, ponuntur libri hæreticorum tractantes de Religione, vel hæresim continentes; in secunda verò, libri cujusvis auctoris, etiam Catholici, qui prohibentur propter Doctrinam, quam continent, falsam, non sanam, suspectam, offensivam, scandalosam, &c.

3. Quæritur, quinam libri dicantur tractare de Religione, vel hæresim continere?

Resp. Hæresim continet, qui aliquid do-

cet contra aliquem articulum fidei, V. G. septem non esse Sacramenta: sub speciebus panis non esse Corpus Christi: Pontificem Romanum non esse verum Christi Vicarium, & Petri successorem, &c. de Religione tractat, qui de iis agit, quæ ad fidei expositionem spectant, in quibus divina scriptura, aut aliqua pars illius explicatur; aut, qui tractat de Theologia scholastica, vel morali, vel de aliqua illius parte, aut agit de cultu, Deo, & Sanctis debito, de Sacris ritibus, de Clericis, de Monachis, & Prælatibus, de visibili, & invisibili Ecclesia; hæc omnia ad Religionem Catholicam spectant. *Sonsa Apodisismi Inquisit. lib. 1. cap. 21. num. 5.*

4. Quæritur, quæ parva legatur, qui legit Hæreticorum libros, hæresim continentes, vel de Religione tractantes?

Resp. Ligatur excommunicatione in Bulla Cœnæ, reservata Pontifici; nam in ejus primo Canone excommunicantur, scienter absque Sedis Apostolicæ licentia, legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, publicè vel occultè libros Hæreticorum, hæresim continentes, vel de Religione tractantes; & quia loquitur per disjunctivam, vel sufficit, quòd, aut hæresim continet, vel de Religione tractet; & necesse non est, quòd ex instituto, vel ex professo de hæresi tractet, sed sufficit unicam continere, quia unam continens verificatur hæresim continere; expressè tamen debet de Religione tractare, nec sat est obiter unam, vel alteram propositionem de Religione intermiscere cum materia diversa, quam ex instituto tractat: discrimen habes ex istis hæresim continentes, vel de Religione tractantes.

5. Qua-

¶ Quatuor itaque conditiones ex Fa-  
gnan. in 1. *Decretal. cap. damnamus de*  
*sum. Trinit. num. 19.* requiruntur ad ex-  
communicationem incurrendam 1. ut  
Libri sint Hæreticorum. 2. ut hæresim  
contineant, vel de Religione tractent. 3.  
ut scienter legantur, vel imprimantur,  
hoc est, cum notitia, quod sint tales. 4. ut  
fiat sine licentia Sedis Apostolicæ.

6. Sed dubitatur, *an requiratur,*  
*quod Author sit damnatus?*

Resp. Negativè, sed fat est, ut sit hære-  
ticus, sive damnatus, sive non; nam de  
Hæretico non damnato, nec notorio, ve-  
rè dicitur, quod sit hæreticus, & in Bulla  
absolutè ponitur; *libros Hæreticorum.*  
Advertens in legendo, hæresim in Libro  
contineri, etiam ignorato authore, te-  
netur cessare, quia licet ignorantia ex-  
cuset à censura, tamen tunc non igno-  
ratur Auctor, sed solum certus, & dam-  
natus; *Carena de offic. Inquisit. par. 2.*  
*tit. 10. num. 4.*

7. Quæritur, *an scienter legens librum*  
*Hæreticæ, simul hæresim continentem,*  
*& de Religione tractantem duplici ex-*  
*communicatione innotetur?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia alte-  
rum per se ad excommunicationem  
sufficit, ergo, dum simul concurrunt,  
duas inducunt; alioquin æquè puniendus  
foret, qui duplicatam habet in trans-  
gressione malitiam, quam, qui simpli-  
cem, quod non conceditur.

8. Quæritur, *an ad censuram Bullæ in-*  
*scribendam sufficiat legere manuscripta*  
*ab hæretico, si hæresim contineant, aut*  
*de Religione tractent?*

Resp. Affirmativè, *Soula num. 8.* nam  
sunt verè libri; unde excommunicantur,

qui præfatorum allegatos libros, vel eo-  
rum partes legunt, quamvis in ea parte,  
in qua hæresis non continetur. Item, si le-  
gatur Index Libri, proemium, & litera ad  
Lectorem, quia hæc sunt pars libri; quod  
debet esse inter Doctores commune, ut-  
potè sententia tutior; nam, Index totam  
Libri summam amplectitur; proemium,  
& litera ad Lectorem, ea, quæ in libro tra-  
ctantur, & Authoris mentem aperiunt,  
in quibus legendis est periculum perden-  
di fidem.

9. Sed quid, *si legat folia, & frag-*  
*menta, in Librum non congesta, seu tra-*  
*ctatus non integros?*

Resp. Eadem censura ligatur, quia  
verè hæc sunt partes libri: qui librum  
prohibet, singulas ejus partes prohibere  
reputatur; ideo, sicut in libro legi ne-  
queunt, sic nec extra; maxime, quia in fo-  
lius, & fragmentis reperiri potest illa fo-  
la hæresis, ob quam liber erat damna-  
tus, & periculum iamminet semper infe-  
ctionis hæresis, & erroribus Hæretico-  
rum succumbere, cui legens se exponit;  
& quamvis Bulla libros nominet, non  
ideo excludit folia, & fragmenta, quæ  
sunt partes libri, aliàs in fraudem legis,  
per folia in volumen non redacta, tuto  
legi possent hæreses, & sic disseminari:  
exprimit itaque Bulla libros, quia eorum  
frequentior est usus; at nominatis iis,  
etiam censentur, expressa alia, quæ ad hæc  
reducuntur; rigori verborum standum  
non est, quoties præsumitur intentio-  
nem legis extendi, & speciem principa-  
lem pro genere accepisse, *Layman. lib. 2.*  
*tract. 1. cap. 15.* maxime, quia difficile sit  
assignare, quamnam foliorum quantitas  
librum constituat.

(Kk) 3

10. Sed

10. Sed quid, si quis Epistolam ab Hæretico de materia Religionis scriptam, vel hæresim continentem, scienter legat, imprimat, vel retineat?

Resp. Ligatur censura Bullæ Layman. ibid. propter adductam rationem periculi, & inobedientiam Ecclesiæ.

11. Idem dicitur, si librum hæretici non continentem hæresim dividas, ut legas ea parte, in qua hæresis non continetur; nam in fraudem legis operaris, & librum hæretici legis, Soufia.

12. Sed quid, si hæresis, quæ erat in libro, inventiatur abrasa, aut ea folia detracta?

Resp. Ligatur censura, quia propter hæresim totus liber est prohibitus, & abrasio non est facta potestate Ecclesiæ, quæ relinquat totum librum liberum ad legendum, vel retinendum; aliàs in potestate cujusque esset libros prohibitos transferre ad non prohibitos.

13. Sed quid, dicendum de libro continente hæresim, edito ante baptismum, si post baptismum Auctor labatur in hæresim; & de libro de Religione tractante, edito, etiam post baptismum, ante lapsum in hæresim?

Resp. Legentes ligantur censura Bullæ, quia sunt libri esus, qui tunc hæreticus est, & de legente verificatur legere librum hæretici, quamvis hæreticus non fuerit tempore compositionis.

14. Quæritur. An excusetur ab excommunicatione legens librum hæretici hæresim continentem, non malo animo, sed ex sola curiositate, aut ad consultandos Hæreticorum errores?

Resp. Negativè, nam verificatur, quod sine Apostolica Sedis licentia legat, Bul-

la non considerat animum, sed factum; nec excusatur, qui est ita in fide firmus, ut moraliter non sit periculum sequendæ hæresis; nec ille idem, qui librum composuit, etiam si ad detestandos, & retractandos errores legat; aut, si statim post ipsam inscriptionem ipsum percurrat, & perniteat; immò tunc, & ut Hæreticus, & ut lector libri Auctoris Hæretici continentis hæresim, duplici excommunicatione Bullæ innodatur. Generaliter nullus omninò finis excusatur, sed semper est adhibenda licentia; nec curiositas ob imminens periculum, & inobedientiam Ecclesiæ, quia graviter peccaminosa.

15. Quæritur. An excommunicatione Bullæ innodetur, qui librum Hæretici hæresim continentem, oculis percurret, cum advertentia mentis ad ea, quæ in eo scripta sunt, quamvis ore nil profert?

Resp. Affirmativè. Soufianu. 11. Carena nu. 54. aliique; nam secundum communem usum ille talis dicitur legere; nam legere secundum Ugolinum non requirit prolationem verborum, sed solum, ut colligantur verba ad sensum percipiendum, quod etiam mente efficitur.

Nec dicatur, quod cum verba exterius non proferat, ejus peccatum non videtur externum; adeoque, nec subiectum dispositioni Ecclesiæ, & censura Bullæ, quæ propter actum merè internum non fertur.

Nam illius peccatum est in his actionibus externum, a peritione libri ad legendum, in defixione oculorum, & revolutione foliorum, &c.

16. Sed quid, si legens librum Hæreticum, non intelligat id, quod legit? legi Ruffiani

ficus librum lingua latina scriptum, sed, quod legit, non percipit.

Resp. Suarez excusat à censura; nam illa non est lectura formalis, ad quam exigitur, ut percipiatur, quod legitur: & aliàs uon est infectionis periculum. Sed negamus non inodari: adæquatus finis prohibitionis non est dumtaxat periculum errandi, sed eos Ecclesia prohibet, etiam in odium authoris, & hæresis detestationem: undè legens, facit contra legem prohibentem. Hinc ad censuram incurrandam, non est neesse, quòd legens formaliter legat, sed sat est, ut librum legat: aliàs, si lectio formalis necessaria foret, censuram non incurreret, qui eos retineret, & non legeret, quod falsum est, ex Canone; hæc sententia est tutior.

17. Quæritur. An excommunicationem incurrat, qui librum Hæretici hæresim continentem, vel de Religione tractantem, non ipse legit, sed alteri legendum tradit, mandat, & imperat, ut, Dominus famulo, ut ipsum legentem audiatur?

Resp. Affirmativè, nam Dominus moraliter loquendo, quantum ad effectum, librum per se ipsum legit, licet per alterius ministerium: juxta regul. jur. in 6. qui per alium. Si lectio impunè per alium suppleretur, lex eluderetur; nec mandans, nec jussio Domini legentem ab ea excusat, si sine licentia legat.

18. Sed quid, dicendum de illis, qui audiunt aliquem legentem librum hæreticum, si non jubeant, petant, aut consulant, ut illum legat?

Resp. Incurrunt excommunicationem, quia transgressio præcepti non consistit

proprie in inductione alterius, sed in participatione lectionis per auditum, cit. sum ex Suarez. nu. 28. contra Soufam, & Pueronam; etiam si legens licentiam haberet, quia audiens, dicitur legere, quamvis per alium: & legens peccat cooperando peccato alterius.

19. Quæritur. An parvitas materiae in legendo excuset ab incurso hujus censurae.

Resp. Affirmativè, etiam si liber hæresim contineat; nam est probabile in peccatis, quæ sunt contra fidem, ratione periculi infectionis, quale immuet legenti, dari parvitatem materiæ. Prohibet Ecclesia librum legere, vel communicationem cum Hæreticis ob periculum, ne subvertatur Catholicus; si legas unam, vel alteram lineam, unum, vel alterum verbum proferas, dum desit grave periculum, ex parvitate materiæ excusaris; verum, etiam minima attenduntur, ubi grave periculum imminet: furari obolum secundum se non est mortale, sed ob grave alterius damnum læthale ab omnibus dicitur; legere unam, vel alteram lineam libri prohibiti, non est grave peccatum, sed unicum scienter legere, in qua hæresis contineatur, gravissimum; nec censura vitatur, non modò quia periculum infectionis imminet, verum etiam, quia cum illa linea sit tota causa prohibitionis, inobedientia est gravis; nec à peccato, & censura excusatur, qui scienter in libro prohibito, tractante de Religione, dimidium paginæ legit (& si sit magni voluminis minus sufficit) nam inobedientia contra legem Ecclesiæ, quæ etiam damnat librum in odium Auctoris, gravis est. Vide



de Felic. tom. 2. nu. 363, Campion. par. 2. instruet. cap. 5. nu. 7.

20. Quæritur. *An ligetur censura Bulla, qui legunt Hæreticorum libros, Grammaticos, Poeticos, Historicos, Politicos, &c.*

Resp. Negativè, modò hæresim non contineant, nec de Religione tractent, nam Bulla solum istos legentes huiusmodi censura ligat. Sed innodatur excommunicatione non reservata, contenta in reg. 10. Indicis, ubi hæc sunt: *si quis libros Hæreticorum, vel cuiusvis Auctoris scripta ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, legerit, sive habuerit, statim excommunicationis sententiam incurrat: ad istam incurrendam sufficit, legere librum Hæretici, quamvis hæresim non contineat, aut de Religione non tractet. Ut incurratur legendo librum Catholici, necesse est, ut ejus libri sint ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem prohibiti; ex his sequitur, legentem libros Auctoris Catholici, ob res obscenas, & lascivas, in reg. 7. prohibitos, nullam censuram incurtere, sed reus est peccati mortalis, ut ex eadem reg. 10. in fine, ubi: *qui, verò libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, iudicio Episcoporum severè puniatur.**

21. Sed quid, *si quis apud se haberet, vel legeret Sacra Biblia, vel eorum partem aut compendium Historicum, vulgari lingua scriptum?*

Resp. Peccaret mortaliter, modò sine licentia legeret, nec posset absolvi, nisi priùs Ordinatio ipsa redderet, ex reg. 4. Indicis *ver. qui autem?*

In Regula 6. permittuntur antiqui ab Ethnicis conscripti, propter sermonis elegantiam; pueros autem eos legere prohibetur. Libri Origenis, Tertulliani ob specialem utilitatem permittuntur, & jam sunt expurgati *Fel. tom. 2. num. 355.*

22. Quæritur. *An legens Talmud Hebraorum, & libros Cabalisticos censura Bulla ligetur?*

Resp. Negativè, quia Bulla loquitur de legentibus libros Hæreticorum, hæresim continentes, vel de Religione tractantes. Hebræi autem non sunt hæretici; nam ut, quis Hæreticus dicatur, requiritur, ut sit baptizatus: non potest dici ab Ecclesia Dei divisus, qui in Dei Ecclesia numquam fuit. *Carena tit. 14. §. 1. nu. 2.* Christiani tamen legentes, retinentes, imprimentes, & exemplantes excommunicatione Papæ non reservata innodantur, ex reg. 10. Indicis & Const. Clement. VIII. Cum Hæreticorum pridie Kal. Martii 1592.

23. Sed quid, *de legente, & retinente Alcoranum Mahumetis, seu legem Turcarum?*

Resp. Ligatur excommunicatione lata in alleg. 10. regula Indicis, nam certè quamvis liber præfatus non sit auctoris hæretici, tamen falsissima continet dogmata; An autem, tam legens Talmud quam Alcoranum censura, etiam reservata, innodetur? mihi non constat, cum ad manus non habeam Constitutionem Apostolicam, ex qua possim id colligere; ideò me submitto declarationibus S. Matris Ecclesiæ.

24. Quæritur. *An legentes libros Astrologia judiciaria, & scripta Germaniæ, Hydromantia, Aeromantia, Chyr-*

*Chyromantia, Necromantia, & Pyromantia, sive, in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, incantationes, artes magica, qua prohibentur in reg. 9. Indicis excommunicentur in Bulla Coena?*

Resp. Negativè, modò non sint hæretici auctoris, hæresim continentes, aut de Religione tractent.

Sed dubium est, an ligentur excommunicatione contenta in præfata 10. regula?

Resp. Affirmat Bonac. *nn.* 4. quia præfati libri in regula 9. Ind. damnantur; & videntur damnari ob hæresim, vel falsi dogmatis suspensionem; nam in eis continetur modus recedendi à Catholica fide, adorandi Dæmonem, & similia fidei Catholicæ contraria. Quæ est tutior sententia.

25. Nota, Geomantiam ex Dæmonum industria occulta manifestare ex signis in corpore terrestri apparentibus, ut lapide, ligno, &c. Hydromantiam per signa apparentia in aqua. Aeromantiam per signa apparentia in aere. Chyromantiam per lineas manuum. Necromantiam per fictas mortuorum suscitationes, vel locutiones. Pyromantiam per signa igne. Omnes istæ divinationes, & prædictiones rerum occultarum, & futurarum, quæ naturaliter fieri nequeunt, includunt pactum expressum, vel implicitum cum Dæmone consequenter sunt ab intrinseco malæ, quemadmodum ipsa divinatio Pythonica, qua per homines vivos Dæmon occulta prædicat. Soufa Aphorismi lib. 1. cap. 12. & sequen. Legas Conit. Sixti V. *Calis, & Terra, & sup. cap. 1. nn.* 19.

*Marthaucii Cautela Confess.*

26. Quæritur. Quomodo Confessarius se gerere debeat cum legentibus & retinentibus libros Hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes?

Resp. Absolvere non potest, quia excommunicatione Bullæ Coenæ ligantur, à qua nisi Summus Pontifex, aut alius de ipsius autoritate absolvit. Vide *cap. 3.*

Item, injungat, ut libros Inquisitoribus deferant; nec numquam absolvi debent (etiam cum possit) nisi realiter, & cum effectu eis, & in eorum defectum, Ordinario libros consignaverint.

Et interroget pœnitentem, an sciat aliquos legere, vel retinere, etiam in alienis domibus, libros hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes, & dam assermet, et ante absolutionem præcipiat, ut Inquisitoribus eos infra mensem, denunciaret *jux. cap. 4. nn.* 16.

Deinde inquirat, à quanto tempore apud se libros habeat; quoties legerit, & an aliquibus, & quoties, ac quibus commodaverit.

Denique aperiat gravitatem delicti: quod peccavit læthaliter contra obedientiam Ecclesie & beatam, & contra fidem, propter periculum, cui se exposuit ipsam perdendi; ipsum excitet ad eliciendos actus fidei divinæ, ac alia agat, quæ quis prudens Confessarius in Instructione pœnitentium ante absolutionem non debet omittere, & tunc, si habeat facultatem absolvat.

27. Sed dubitatur, an legens libros prohibitos teneatur seipsum denunciare?

Resp. Negativè: edictum S. Officii al. leg. cap. 4. præcipit omnibus, ut denuncient eos, de quibus habent, habuerint.

(L. 1)

vel habebunt notitiam, quod absque debita licentia retineant, legerint, &c. scripta continentia hareses, aut libros hæreticorum tractantes ex professo de Religione, &c. juxta edictum citatum; ex quibus patet onus denunciandi esse ad scientes, non ad habentes, vel legentes; aut reos; habens autem, vel legens, est à Confessario monendus, quod si sponte non compareat coram Sacro Tribunali, & sincere proprium delictum aperiat, sed ab alio se juridicè denunciari sinat, non evitabit penas, quas benignè sponte comparentibus remittit.

28. Sed queritur. *An reus in legendo, & retinendo prefatos libros, teneatur demonstrare complicem?*

Resp. Affirmative. & ne ipse postea patiat ex subsecutura Confessione alterius Complicis, cum Confessarius infirmitat, ut prius sponte compareat proprio delicto, ipsum non diminute aperiendo, sed cum omnibus adminiculis, & circumstantiis, & postea complicem denunciaret.

29. Queritur. *Quomodo tempore Jubilæi se gerere debeat Confessarius cum legentibus libros prefatos, si que datur facultas absolventi ab omnibus casibus, etiam in Bulla Censæ contentis?*

Resp. Interrogat, an, quando legerit librum, hæresim continentem, habuerit etiam errorem in intellectu contra fidem, & dum fatetur, absolvi non debet, quia est hæreticus formalis, etiam excusatus; ab hæresi autem formali vigote Jubilæi nullus absolvi potest, nisi expressè id in Bulla concedatur, prout expressè sequenti Congr. S. Officii decreto: Sanctiss. D. N. Alex. Papæ VII. sub die 13.

Maji 1656. cum crimen hæresis, præ ceteris gravissimum, specialis nota dignum sit, decrevit facultatem absolventi ab hæresi in Jubilæis, vel aliis similibus, concessio- nibus non censeret comprehensam, nisi præcisè verbis concedatur facultas absolventi ab hæresi.

Si verò hæresim in intellectu non habuerit, absolvat ab excommunicatione incurta sed prius curet ut realiter, & cum effectu Inquisitori libros consignet.

30. Queritur. *Quomodo se gerere debeat Confessarius cum legente alios libros in Indice librorum prohibitos, ut continent res aliquas lascivas, &c.*

Resp. Interrogat, an, quando legerit habuerit errorem in intellectu, credendo non esse in Ecclesia Dei auctoritatem prohibendi, & damnandi libros, nec posse eos damnare; nam tunc erit innotatus excommunicatione Bullæ Censæ, & formaliter hæreticus, cum hæreticem sit dicere in Dei Ecclesia eam potestatem non reperiri. Ex actibus Apostolorum cap. 19. refertur plures libros fuisse combustos: res est certa.

Si sine errore, interrogat, ut supra n. 26. ver. Deinde, &c. & an eorum occasione carnaliter peccaverit, saltem per delectationes sensuales, quoties, & erga quos, vel quas passus sit.

Item querit, ut ante absolutionem libros Inquisitori realiter, & cum effectu consignet; nec absolvi debent, qui volunt retinere libros continentés res lascivas & bonis moribus contrarias, ratione periculi peccandi mortaliter.

31. An autem retinentes libros ob res lascivas prohibitos sint denunciandi S. Officio?

Resp.

Resp. Affirmativè, si sint de hæresi suspecti; alias negat Carena *num. 60.* nam non videntur comprehendi in edicto S. Officii; verum tunc ejusdem S. Tribunalis determinationi submitto.

32. *Quæritur. Contra quam virtutem peccet, qui legit, & retinet libros prohibitos?*

Resp. Si libri sunt primæ classis, hæretici nimirum auctoris, continentes hæresim, de Religione tractent, aut damnati, propter falsi dogmatis suspensionem, peccat contra fidem, quia se exponit periculo illam perdendi; nam fides obligat non modò ad non discredenda, quæ

Deus revelavit, & Ecclesia Catholica, ut credenda, proponit, vel ad non dubitandum de illis; verum & ad non se exponendum periculo ipsam amittendi; & contra obedientiam, quæ Ecclesiæ præcipienti debetur.

Si verò sint secundæ classis, & prohibiti ob res lascivas, & obscenas, peccat contra castitatem, quæ obligat etiam ad non se exponendum periculo peccandi carnaliter, vel in re, vel affectu: unde regula generalis est, quod qui se exponit periculo peccandi, peccat eadem specie peccati, cujus periculo se exponit. Et hæc sunt satis de libro primo.

